SAMUELIS WARDI
S. T. D.
COLLEGII SIDNEIANI
PRÆFECTI,
ET
Professoris S. S. Th. Dnæ. MARGARETÆ
IN ACADEMIA
CANTABRIGIENSI
OPERA NONNULLA
VIZ.
Determinationes Theologicæ,
Tractatus de Justificatione,
Prælectiones de Peccato Originali.

Edita à *Setho Wardo* S. T. D. A. P. O.





LONDINI,
Apud SA. GELLIBRAND, & SA. THOMSON, 1658.


REGIA
GEORGIUS D.G. MAG.
J.P.
Sc.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

QUotiescunque mihi redit in animum *Samuelis Wardi* (τῶν ἐν ἁγίοις) Reverendissimi viri Imago, (redit autem sæpenumero): toties ego non tam illum memoria recolere, quam in annos ante hæc tempora transactos, referri, atque in juvenilem ætatem restitui mihi videor.

Ita enim unà cum hac imagine mentem meam repetunt eamque confertim ingruunt earum rerum & personarum Ideæ quæ me minimè olim occupatum, verùm ætate vacuum, primis annis possiderunt, ut depulsis iis quæ à Clarissimi viri excessu (sive publica, in Gente hac nostra, sive privata, in rerum mearum mutatione) acciderunt; Ego totus à veteribus abreptus atque in pristina revocatus rejuvenesco atque in adolescentiæ studia & cogitationes atque affectus revertor.

Redeunte etenim in memoriam Venerando hoc Sene, unà mihi redeunt *Mortoni*, *Davenantii*, *Usserii*, *Brounriggii*, sanctissimorum *Angliæ* atque *Hiberniæ* Antistitum, aliorumque virorum longe præstantissimorum Imagines, quos ipse sanctissima amicitia sibi conjunctos habuit, quos ego veneratione summa colebam, quos grata etiam posteritas venerabitur. Quin redit simul Collegii florentissimi recordatio, redeunt mihi socii atque amici, eorumque suavissima consuetudo, aliaque innumera ejusmodi, quibus ita animus abripitur, totusque occupatur, ut noctes aliquando diesque integras, jucundissimæ huic meditationi, libentissimè tribuere possim, & impendere.

Cum autem in universum istorum temporum curriculum, mea revolvitur cogitatio, in iis (ut fieri solet) longè quidem maximè animus intenditur altiusque hæret, quibus utique solebat, vir sanctissimus & longè profundissimus, de mei ipsius vel studiis dirigendis, vel moribus efformandis, curam suscipere.

Ita enim divinâ disponente providentiâ factum est, ut ille me Ephebum existentem, in sinum quasi, gremiumque sanctissimnm, excipere dignatus sit, omnique deinceps animi affectu fovere; Ille me puerum quindecennem, à Schola privata (ubi me tunc ægre habui) ad Academiam florentissimam vocavit, ille me infirmum atque valetudinarium existentem, recreare solitus est, & omni modo refocillare, ille mihi animum ad studia (ad motis leniter calcaribus præmiisque ante oculos positis) accendere solebat, ille mihi librorum usum suppeditavit, ille me in Collegii florentissimi societatem (quam primum licebat) cooptavit, ille mihi magister unicus erat & patronus, & spes & ratio studiorum. Ego interim (ut fieri decuit) ipsi vicissim soli addictus eram, cum omni studio, honore, reverentia, fide & diligentia, colui & prosecutus sum; Nihil erat quod ipsius ego causâ suscipere noluissem, verè dico existimare me, neque carcerem, neque equuleum, efficere potuisse, ut à fide in illum atque officio deficerem; continuò ipsi ad manum adfui, ejusque ad nutum me composui, in Collegii negotiis viro sanctissimo atque prudentissimo in omnibus, ut par erat, obtemperavi, aderam ipsi quotidie in Musæo studiorum ejus conscius, nunc oculis atque ore, nunc manu, ipsi inserviens, nunc chartulas jussu illius ordinans, nunc calamo transcribens, nunc authores siquid erat opus, conferens, & notans; non deeram ipsi in domesticis, si quâ foret usus, & cum paulò ante obitum, sæviente bello civili, libertate per aliquot hebdomadas privatus est, me ærumnarum participem habuit & curarum, me mensæ socium & cubilis, & cum paulò post, ingenti bonorum omnium luctu atque gemitu, mea verò animi consternatione & stupore, Deo unde profectus fuerat, reddenda esset anima ejus sanctissima, ego ab ipsius ægrotantis latere nunquam discessi, quin etiam (quod nunc ego recolens penitus horreo, & post quatuordecim annos ante

ante oculos revocans contremiſco) morientis oculos clauſi, corpuſque tandem exanime, meis aliorumque humeris impoſitum ad tumulum detuli.

Vereor hic certè (benigniſsime Lector) ne te deluſum exiſtimans, mihi ſucceuſeas, non expectabas opinor ut de meipſo meiſve hoc in loco dicentem invenires fortaſſe! neque tamen ἀπροσδιόνυσα ſunt iſta meive ſolius gratia conſcripta, verum ut fidem tibi faciam, genuina hæc eſſe quæ nunc exhibemus, non eſſe ea exemplaria ſurreptitia quibus uſus eſt Typographus, neque furto, neque notis furtivis ab Autore ea fuiſſe excepta, verum ea ipſa fuiſſe quæ noſtris aliorumque precibus victus, Autor ipſe, anno uno aut altero ante ſupremum diem, prælo deſtinaverat; Ipſe etenim cunctator exiſtens noſtræ atque amicorum diuturnæ inſtantiæ atque petitionibus, illud ante obitum conceſſerat, ut ſi nos eum laborem ſuſciperemus, ut ex Autographis (aliquantulum perplexis) nonnulla tranſcriberemus typiſque ea pararemus; ipſe ea vivus videnſque in lucem ederet; Nos itaq; magna alacritate rem ſuſcipimus, convenimus quatuor ex eis quos habuit chariſſimos, D.D. *Guil. Hodges*, *Edm. Mattheus*, *Edw. Gibſonus*, (Collegii *Sidneiani* ſocii eruditiſsimi longeque meritiſsimi) atq; ego, de *Juſtificatione* Tractatum conjunctis operis deſcribimus, huic limam adhibet R^dus^. Autor, eumq; in capitula diſtribuit; Deinde de *Peccato Originali* opus aggredimur D^n^. *Mattheus* atq; ego, illudq; ferè integrum abſolvimus & quidem ſtatutum nobis erat omnia R. Viri quæcunq; ſaltem voluiſſet noſtris ipſorum manibus deſcripta, prælo præparaſſe. Verùm talia meditantes oppreſſit bellum civile, oppreſſit viri (quem nos certè immortalem futurum credidimus) mors nobis infeſta atque inopinata, conturbavit illa res noſtras omnes atq; reculas; Moriens ille chartas omnes atq; Schediaſmata R. I. C. P. *Radulpho Brounriggio* Epiſcopo *Exonienſi* (quo neminem unquam chariorem habuerat, quo neminem unquam Eccleſia digniorem) commiſit,. Interea autem dum Antiſtes Reverendiſsimus eorum quæ prælo quovis modo parata jam erant, edendorum, occaſiones atq; opportunitates expectat, & præſtolatur, tredecim anni elabuntur, multiſq; tandem fruſtra tentatis, ad nos hæc redeunt, ut Editionis curam ſuſcipiamus; continuo igitur Typographos ego pertento Oxonienſes,

nienſes, ut ipſe poſſim operas corrigere libroſq; caſtigatos atq; correctos exhibere; verùm plena hic omnia atq; occupata reperio, quare quod unicum agendum reſtabat, egimus; Tractatui de *Juſtificatione*, & Prælectionibus de *Peccato Originali* (quorum ego rationem reddidi) *Determinationes Theologicas*, in Comitiis habitas, adjunximus (hæc nempe pulchrè atq; accuratè ſcriptæ, deſcriptione nova non indigebant) atq; Bibliopolæ (probo viro atque honeſto) exemplaria hæc trado, ut ipſe editionem procurare velit; prodeuntque nunc tandem, non admodum ineleganter, utinam ſatis accuratè & correctè.

Expectas forſan ut de Viri præclariſſimi dignitate, eruditione, ſanctitate, fide forſan atq; in aſtruenda veritate conſtantia, aliquid dicamus; verum quis ego tantillus homuncio, ut illud in me ſuſcipiam? Novit hæc omnia Collegium Sidneianum, cui pluſquam triginta annorum ſpatio, ſummâ cum prudentiæ, integritatis, & ſanctitatis, laude, præfuit. Novit atq; admirata eſt Academia Cantabrigienſis, ubi Cathedram profeſſoriam Dom. Margaretæ tot annos ſummo cum honore tenuit, Errorum Malleus atq; hæreſium, norunt Exteri, teſtantur hæc opera quæ nunc edimus; iſta certè ut non neſcires, tui meique intereſſe exiſtimabam,

——cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes.

Vale à Tibi deditiſsimo

SETHO WARDO

S.T.D. A.P.O.

Deter-



Determinationes hoc Libro Contentæ.

Capita in Tractatu de Justificatione.

8 Ubi

Capita in Tractatu *de Justificatione*.

Sola

Sola Fide Justificamur.



ARticulus XI nostræ Confessionis sic habet, Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem, non propter opera & merita nostra, justi coram Deo reputamur. Quare solâ fide nos justificari, Doctrina est Saluberrima ac consolationis plenissima, ut in Homilia de Justificatione hominis fusiùs explicatur, [Hæc Articulus] Ut autem dextre explicemus quo sensu Ecclesia nostra, contra Romanenses contendat solam fidem justificare præmittendum est.

1° Quæstionem institui de illa fide quâ Apostolus Epistola ad Romanos & Galatas & alibi pronunciat nos justificari.

II° Præmittendum ex nostrorum sententia, Justificari in hoc articulo juxta Scripturas sumi significatione forensi quatenus opponitur τῷ Condemnari ut idem sit justificare atque in judicio absolvere, seu à sententia condemnationis liberare, quomodo perpetuo in negotio justificationis sumuntur vox Hebræa *Hitzdic*, & vox Græca *δικαιῦν*. Frustra ergo Romanenses in quibus Bellarminns per *τὸ justificare* in hâc controversia obtendunt non aliud significari, quàm ad justitiæ inhærentis infusionem disponere cum hac Physica & Philosophica notione nusquam vel *τὸ Hitzdic* apud Hebræos, vel *τὸ δικαιῦν* in Sacris Literis reperiatur.

III° Porrò per fidem, qua justificamur intelligimus non fidem Catholicam quam Chrysostomus appellat *πίστιν δογμάτων* Fidem dogmatum, nec fidem specialem applicantem rem ipsam promissam in fœdere evangelico, (*i.*) remissionem peccatorum vel vitam æternam, quam alii sic describunt esse firmam persuasionem aut fiduciam de remissione peccatorum: Alii, esse apprehensionem specialis misericordiæ: Alii, esse fiducialem assensum: sed fiduciam recumbentem in Christum Mediatorem ob remissionem peccatorum non tam includentem quam supponentem firmum & indubitatum assensum conditionali promissioni Evangelii: Est enim ille firmus assensus promissioni Evangelii adhibitus, basis & fundamentum fidei justificantis, nemo enim potest fiducialiter recumbere in Christum Mediatorem ob remissionem peccatorum qui non firmiter assentiatur huic promissioni in Evangelio expressæ. Quicunque crediderit in Christum illi remittuntur peccata.

IV° Præmittendum, Ubi dicimus fidem qua justificamur esse fiduciam, per fiduciam intelligimus actum fiduciæ profectum ab affectu fiduciæ: est autem fiducia quâ affectum denotat, affectus ille quo voluntas vel appetitus adhæret alicui medio quod judicatur vel solum vel cum aliis sufficiens vel potens ad finem aliquem arduum quem volumus vel appetimus possibilem tamen consequendum. Est autem iste affectus (quicquid in contrarium afferunt Thomas vel Jesuitæ) fiduciæ, affectus in appetitu irascibili distinctus specificè ab affectu spei: Nam 1° Spes est finis, fiducia mediorum: 2° Spes est futurorum & absentium; fiducia rei præsentis, ut rectè observavit. *Scaliger. Exercitat.* 314. 3° Distinguuntur actibus, actus fiduciæ est

confidere, quem Hebræi exprimunt per *Shagnam*, *Batach* & *Casah*, & *Aman* cum regit substantivum cum Præpositione *Beth*, ut Gen. 15.6. [*Ve Hamin Bai hovah*] & Abraham credidit in Dominum, & imputatum est ei ad justitiam. Actus spei est expectare, quem Hebræi exprimunt per *Jakal*, *Kavah*, & *Cacah*. 4º Spei opponitur desperatio, fiduciæ diffidentia, alia discrimina prætereo, ex hisce differentiis constare potest, quomodo rectè distinguuntur actus horum affectuum, qui tamen sæpe iisdem vocibus designantur. Hinc est, quod τὸ sperare in Deum seu Christum, semper denotet actum fiduciæ propriè dictæ, seu fidei justificantis: exempla passim occurrunt tum in V. T. tum in N. T. præsertim in Psalmis Davidis in Tralatione 72. Actus autem proprius hujus fiduciæ seu fidei quâ justificat est credere in Christum ut Mediatorem vel Redemptorem; (*i.*) in Christum confidere vel fiduciam collocare. Desumitur autem hæc φράσις seu formula loquendi ex V. instrumento, neque enim occurrit in scriptis Gentilium. Ac quanquam credere in aliquem & credere alicui in Scripturis interdum promiscuè usurpentur idémque significent, ut cum dr. *Exod.* 14.31. *Crediderunt Deo & servo Mosi*, longè tamen frequentius distinguuntur, & plerumque idem sonant credere in aliquem, & fiduciam in aliquem collocare, uti *Mich.* 7. 5. Ne credatis in socio, ne fidatis in duce [*ubi al taaminu be reang*, & *al Tivtechu be alluph*] in Psal. 76 22. Quia non crediderunt in Deo, nec confisi sunt in salute ejus sed potissimum hoc cernitur, ubi conditio novi fœderis exprimitur per πιστεύειν ἐπὶ τὸν Χριστὸν, vel ἐν Χριστῷ, vel πιστεύειν εἰς τὸν Χριστὸν, Porro ubi N. T. exigit fidem justificantem ibi V. T. præcipit fiduciam, & in N. T. eadem tribuuntur fidei quæ in V. fiduciæ, & in N. T. eadem permittuntur credentibus in Deum, quæ in V. T. confidentibus qualia sunt N. Fœderis beneficia, Remissio peccatorum, Justificatio, Adoptio, Beatitudo & id genus alia. Hinc est quod in Psalmis Davides Deum toties appellat perfugium, firmamentum, fortitudinem, petram, turrem, rupem, præsidium, cornu salutis, auxilium, spem, fiduciam; quæ omnia sonant fiduciam, nixum, confidentiam, innitentiam, adhæsionem, acquiescentiam. Rectè Cyprianus non credit in Christum, qui in eo solo non collocat totius suæ fœlicitatis fiduciam. Credere ergo in Christum est, in Christum propositum in Evangelio in Salvatorem & Redemptorem fiduciam collocare quomodo hanc ipsam phrasim rectè explicant Cajetanus, Stapletonus & Catechismus ipse Tridentinus, ut mittam alios.

V. Dicimus hunc actum credendi in Christum Mediatorem seu hanc fiduciam esse medium applicans mortem seu satisfactionem Christi peccatori resipiscenti, ac proinde justificare organicè & per modum instrumenti, applicantis satisfactionem seu justitiam partam sanguine Christi, qui est causa materialis nostræ justitiæ.

VI. Dicimus solâ fide justificamur, hanc particulam exclusivam adhibemus non ad excludendum vel in actu justificationis, vel in persona justificanda præsentiam & coexistentiam operum præparatoriorum & dispositionum præviarum, sed cooperationem & vim justificatoriam in negotio justificationis. Illud enim hic inprimis monendum ut injustæ cavillationi Romanensium, qui Solifidianorum nomine nos passim calumniantur, occurratur. Nos non quemlibet & qualemlibet peccatorem in Ecclesia degentem, subjectum idoneum fidei justificantis constituere; sed peccatorem fide Catholica credentem, timentem pœnam, sperantem veniam & desiderantem reconciliationem, de peccatis verè dolentem, prioris vitæ pertæsum, novam anhelantem, insitæ pravitatis conscium, justitiam & meritum proprium abdicantem. Peccator nisi hoc modo dispositus fuerit, fiducialiter in Dei misericordiam & in Christum, ut justificatorem & salvatorem recumbere nec vult, nec cupit, nec potest. Contendimus igitur solam hanc fiduciam non opera præparatoria, non fidem Catholicam, non timorem pœnæ non spem veniæ, non dilectionem, non dolorem de peccatis admissis, non novæ vitæ propositum, imò nec ipsum fiduciæ actum infitâ aliquâ suâ vi, aut virture morali, sed sola facultate naturali à gratia elevata & actâ, qua recumbit, conquiescit, innititur, confidit, adhæret misericordiæ Dei promittentis & Christi λύτρῳ & satisfactioni ob reconciliationem & remissionem peccatorum, ut pluribus docet Ecclesia nostra in præclara illa de salute Homilia Ho-

milia

milia item de vera & viva Christiana fide, ex quibus hæc nostra explicatio ferè desumitur. Licet enim hæc opera prærequirantur in persona justificanda ad præparationem subjecti, præsertim dolor & contritio cordis, & desiderium serium liberationis, ad applicationem tamen objecti Christi seu Redemptoris, & ejus satisfactionis ac meritorum unicum instrumentum immediatum est fides seu fiducia hæc salutaris quæ Christo Redemptori & ejus morti confidit, adhæret, eique soli innititur ut coram Deo Rege justo in solio sedente à peccatis absolvatur & ad vitam æternam acceptetur.

Restat jam ut Thesim hoc modo explicatam Scripturæ testimoniis & rationibus in Scripturis fundatis demonstremus.

Et quidem I. Ex Scripturis hoc evincitur in quibus docetur homines justificari non ex operibus quibuscunque, quæ, si quid aliud in negotio justificationis cum fide conjungerentur. Notus est ille locus ad Galat. 2. 16. Scientes hominem non justificari ex operibus sed per fidem Jesu Christi οὐκ ἐξ ἔργων εἰ μὴ διὰ πίστεως ubi εἰ μὴ nisi seu sed adversativè sumitur, quod, quid aliud est quam fide sola? Et ne existimemus hic excludi sola opera cæremonialia aut opera lib. arbitrii facta sine gratia Christi adminiculatrice, ut habet Franciscus ille de S. Clara, arrigat aures si intersit & intelligat Apostolum ibidem compellare Galatas jam ad fidem conversos quos contendit non justificandos fore ex suis operibus sed ex fide Christi. Idque porrò evincitur ex ratione quam subjungit Apostolus; Quia ex operibus legis non justificabitur ulla caro, quæ sunt verba Davidis jam renati declinantis judicium divinum. Sed & ad Romanos 4. Abrahami renati opera excluduntur, verba enim, credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam, dicuntur de Abrahamo decennio ferè postquam conversus est, quo tempore bonis operibus maxime floruit, annotante Chrysostomo. De eodem Abrahamo renato pronunciat Apostolus ibid. Rom. 4. 2. Nam si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum. Item ad Abrahamum jam renatum Paulus dicit illud pertinere; Beatus cui Deus imputat justitiam sine operibus.

II. Apostolus sæpius docet nos justificari gratis & ex gratia, idem enim est justificari gratis & ex gratia, & non ex operibus, ac per hoc idem est gratis justificari & ex solida fide apud Apostolum, cum inter se opponantur opera nostra & Dei gratia, quod enim Apostolus de electione ad salutem pronunciat prorsus dicendum est in negotio justificationis. Rom 11. 6. Si justificati sumus per gratiam, non jam ex operibus, alioqui gratia jam non esset gratia, seu ex operibus, jam non ex gratia, alioquin opus non esset opus. Sic Rom. 4. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito, ei verò qui non operatur sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia ubi opera & gratia; deinde opera & fides, & alibi τὸ facere & τὸ credere opponit Apostolus ut contraria & secum perpetuo pugnantia, quorum alterum inducit suam mercedem κατ' ὀφείλημα, alterum tantum κατὰ χάριν: gratia enim non est gratia ullo modo (ut rectè Augustinus) si non sit omni modo gratuita & loquitur de operibus Abrahæ jam diu renati, & addit credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam, cum igitur pugnantia unà consistere non possunt & passim dicit Apostolus nos gratis seu ex gratia & misericordia justificari excludendo opera quæcunque tandem fuerint, conficitur nos absque omni operum merito sive ex condigno, sive etiam ex congruo justificari per consequens vi immediatæ disjunctionis sola fide in Christum recumbente justificari.

III. Idem evincitur ex proprietate hujus fiduciæ cum enim certum sit secundum Scripturas nos justificari justitia non nostra sed justitia Dei, obedientia Christi, sanguine Christi, morte Christi, satisfactione & λύτρῳ quod Christus persolvit, non alio medio aut instrumento applicari potest ex parte justificandi quam hac sola fiducia. Hinc Apostol. ad Rom. 3. 24. Justificamur gratis per redemptionem factam in Jesu Christo, quem proposuit Deus ut esset placamentum, per fidem in sanguine ipsius] Christus ergo in Evangelio propositus in placamentum fide

in sanguine ejus innitente & recumbente, Paulus commentariensi sciscitanti, Quid me oportet facere ut salvus fiam? R. *Crede in Dominum Jesum & servaberis tu & domus tua*, Gal. 3.16. Omnes Filii Dei facti estis per fidem in Christo Jesu. Et Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum] Solius ergo fidei est non alterius cujusquam virtutis recumbere in Christum propositum in Evangelio & mediatorem seu redemptorem vel quod eodem recidit, in Christum quâ λύτρον seu satisfactionem præstantem. Atque hoc solo actu Christus ut Redemptor, & ejus λύτρον, & satisfactio nobis applicatur & appropriatur, ex cujus applicatione formalitèr justi constituimur coram tribunali divino, & ab omni peccatorum reatu absolvimur.

IV. Hoc idem probatur ex imperfectione operum tam præcedentium quàm subsequentium justificationem, quæ coram justo judice in solio sedente consistere nequaquam possit dicente Solomone Prov. 20.8. *Cum Rex justus sederit in solio quis dicere potest mundum est cor meum?* Quomodo enim: quod imperfectè justum est rigidum examen sustinere poterit: Justitia enim nisi perfecta fuerit & omnibus numeris absoluta quomodo potest ferre divini judicii severitatem? κηλῖδα ἀνάγκη τινὰ μὴ εὑρεθῆναι, necesse ut omnis absit macula ubi Dei judicio nos sistimus dicente Chrysostomo. Atque hinc est quod uno ore Sancti comparentes coram hoc tribunali propriæ justitiæ semper renunciârunt, semper abdicârunt. Hinc *August. in Psal.* 143. Si judex solum esse velles, & misericors esse nolles; Quis sustineret? Quis autem staret & diceret? Innocens sum: Quis staret in judicio tuo? Spes ergo una est quoniam apud te propitiatio est: Hinc Bernardus, sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium cui soli peccavi.

V. Scriptura docet nos non tantum cum ex impiis justi facti sumus primitùs fide justificari, sed & post justificationem & remissionem peccatorum semel adeptam sola hac fiducia, in justitia parta permanere, hac sola à peccatis infirmitatis seu ut Tertullianus appellat quotidianæ incursionis liberari, quam liberationem Lotione pedum Christum designare volunt tam veteres quam recentiores Theologi. Non enim solùm injustus ex fide fit primò justus, sed & justificatus ex fide manet justus; Justus enim ex fide vivit dicente Propheta, vitam quam nunc vivo in carne dicit B. Paulus. *Vivo per fidem Filii Dei*] & hac sola quilibet pius à quotidianis lapsibus absolvitur & si quando justus in gravia & atrocia peccata inciderit quomodo ceciderunt sanctissimi viri David & Petrus, non alio modo recidivantes restituuntur quam cum primitus justificantur. Etsi enim actibus supra dictis præparatoriis potissimum novis actibus pœnitentiæ & desiderio liberationis disponantur ad novam cum Deo reconciliationem; non tamen nisi interveniente novo actu hujus fiduciæ in Christum Redemptorem & ejus sanguinem mors & merita Christi applicantur ad novum contractum reatum abluendum, totum hoc quantumcunque est hujus fiduciæ salutaris in Christum & ejus merita de novo recumbentis. Unde Apostolus cum proferat exempla justificationis nostræ ad Roman. 4. non modo meminit justificationis impiorum sed & piorum lapsorum, ipsius nempe Davidis.

VI Ubi fœderis gratuiti conditionis mentio occurrit, hujus solius actus fidei & applicantis nobis Christum Redemptorem & ejus mortem & merita meminerunt Scripturæ ut docet Ecclesia nostra Homilia, 2ª de passione Joan. 30.16. *Ita Deus dilexit mundum*, [scil. humani generis] *ut filium suum unigenitum dederit* [scil. in crucem levandum ex Collect. ver. precedentis] *ut quicunque crediderit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* Sic Paulus commentariensi sciscitanti, *Quid me oportet facere ut salvus fiam?* R. *Crede in Dominum Jesum Christum* & salvus eris tu & domus tua, Galat. 2.17. *Nos in Jesum Christum credidimus ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis*, Act. 10.43. Hinc omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum, & 13.19. In hoc Christo sci. qui credit Justificatur] Ubi ad hanc immediatam applicationem Christi & Redemptoris ad justificationem sola fides exigitur quæ tamen non excludit pœnitentiam, spem, dilectionem, timorem quoad præsentiam, & co-existentiam, sed à munere & officio justificandi & habet

Homilia

Homilia de salute part. 1ª. Quemadmodum enim in humano corpore ut corpus sit integrum requiritur omnium membrorum cohærentia & coadunatio, tamen sua cuique membro est singularis functio & peculiare officium, unde solus oculus videt, solæ aures audiunt, sola lingua gustat, soli nervi sentiunt, eodem planè modo se res habet in negotio præsenti; omnes virtutes in vero Christiano individuo nexu cohærent imperfectiori quidem modo ante justificationem, perfectiori post infusam habitualem justitiam, quæ fit in justificatione ita tamen ut sola fides catholica assentiatur divinitùs revelatis, solus timor dejiciat, sola spes veniæ erigat, sola contritio proximè disponat ad justificationem, sola fides justificans seu fiducia Christum & merita ejus amplectatur, iisque innitatur & in eum fiducialitèr recumbat atque adeo sola immediatè applicando Christum & ejus merita justificat.

VII Accedit ratio à naturâ & proprietate fiduciæ Deus est Dominus Zelotes, Exod.34.14. *Gloriam* (inquit) *meam alteri non dabo*, Isai.42.8. Hæc una est ex iis quæ sibi soli conservari, nemini vel ex parte communicari solenniter profitetur. Nullus est autem inter omnes animi affectus quo magis testamur nos totam justificationis nostræ gloriam Deo & Christo ejus, integre & illibate transcribere quam abrenunciando propriæ justitiæ, & totaliter confidendo & recumbendo in Dei misericordiam & Christi Redemptoris mortem & merita in negotio justificationis coram Deo. Ideóque sapientissimè ordinavit Deus ut hac sola fiducia justificemur ut omni gloriationi via præcludatur, & gloria justificationis nostræ Deo & Christo Redemptori integre conservetur. Hanc rationem reddit Apostolus ad Roman.3.27. *Ubi igitur gloriatio? exclusa est; per quam Legem? operum? Non imò per legem fidei*; Et ad Ephes.2.8. *Gratiâ estis salvati*, (*i.*) *justificati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus ne quis glorietur*; Et ne quis Franciscus à Clara suspicetur hic non excludi nisi opera lib. arbitrii absque gratia Christi facta subjungit Apostolus se intelligere ea quæ præparavit Deus ut in iis ambularemus in via sc. ad vitam æternam ducente. Et 1 Cor.1.30. *Christus factus est nobis sapentia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*; ut sicut scriptum est, Qui gloriatur in Domino glorietur] in quæ verba sic Basilius M. concione de Humilitate: *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem seipsum vera justitia indignum esse, sola autem fide in Christum justificatum*] En Basilium justificationis per solam fidem nobiscum assertorem. Hunc Basilii locum citavit Hom. de salute partic. 2ª. Accedat Bernardus, quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in eum qui justificat impium & per solam fidem justificatus, pacem habebit apud Deum. Scam. 23. in Cantica.

Ultimo. Accedat praxis recepta Ecclesiæ quæ ex Veterum agendis satis constat, ex quibus luculenter constat edoctos fuisse Majores nostros in extremis constitutos ad hanc saluberrimam doctrinam, & consolationis plenissimam de justificatione per solam fidem, utpote ad portum tranquillum & perfugium tutissimum sese recipere. Testis sit illa formula ab Anselmo interrogandi agonizantes præscripta, ubi interrogat sacerdos infirmum, Credis te non posse nisi per Christi mortem salvari? *R.* Infirmus, etiam: tum subjungit Sacerdos, Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, In nulla alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, totum confige, te totum involve.] En quam Emphaticè, quam multifariam hanc per solam fidem justificationem exprimit, & cordibus ipsis penitissimè imprimendam Sacerdos curat.

Doctissime respondens tempus jam monet ut receptui canamus. Macte pugillatus hisce primitiis. Iniquum esset te tam fortiter in pulvere certantem diutius sudare te igitur pugilem fortissimum laudum tuarum legitimâ coronâ meritò redimitum, dimittimus, liberamus.

Te autem Venerande Pater æquum jam est tibimetipsi indulgere post tot & tantos præclare defunctos labores, tibi in hoc amplissimo threatro Matris Academiæ nomine gratias promeritas referimus honoresque tot tantisque anniversariis laboribus dignos, ex Almæ Matris decreto, merito, conferimus, decernimus.

Vobis

Vobis etiam optimi Patris filiis, suus quoque honos in hac palæstra Theologica decernendus. Non est enim invidus (ut præclare Chrysostomus) agonatheta noster, nec unius palma alteri parit ignominiam, omnes athletas suos coronare desiderat, præsertim te Reverende Decane, te Athletarum primum, post tam præclare defunctum hesternum certamen, perfectum pugilem pronunciare minime dubitamus imò jure optimo pronunciamus.

Superest jam (Auditores spectatissimi) ut vobis horum certaminum spectatoribus, qui undequaque tanta frequentia huc confluxistis, maximas gratias & agamus, & habeamus, quos tam benignos & attentos experti sumus in Comitiis hisce nostris anniversariis cohonestandis, præsertim quòd certantibus in pulvere hoc Theologico aures tam faciles, & benevolas præbuistis. Hæc scilicet erat Majorum nostrorum summa cura, prudentia summa ut ritu solenni honores, & gradus in hoc amplissimo theatro quotannis conferrentur, ut virtuti suus honos & laboribus diuturnis in stadio hoc Theologico transactis sua præmia publicè tandem decernerentur; quæ omnia sub oculorum vestrorum fideli testimonio peragi voluit *Honoranda Mater Academia.*

Accedat duntaxat candor & æquanimitas vestra, & Almæ Matris solennibus Comitiis ore oculis & linguis favete.

Jam superest laboris nostri suprema pars, ut de quæstionibus ventilatis, nostrum calculum adjiciamus.

Nulla

Nudus assensus divinitus revelatis non est Fides Justificans.



Hesis hæc secunda est negativa, & proponitur adversus Romanensium dogma, qui fidem justificantem non aliud esse statuunt, quàm nudum assensum divinitus revelatis; hoc est, non aliud esse, quàm fidem dogmaticam et Catholicam. Nos verò

1. Impugnabimus fidem justificantem Romanensium.
2. Fidei justificantis naturam & rationem propriam indagabimus.

Et quidem fidem justificantem non esse nudum assensum divinitus revelatis.

I. Demonstratur ex variis elogiis & effectis, quæ Scripturæ tribuunt fidei justificanti, quæ fidei Catholicæ, secundo assensui divinitus revelatis nullo modo accommodari possunt ut cùm ad Romanos 1.17. Apostolus ex Propheta ait, *Justus fide vivit:* & alibi, Gal. 2.20. *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei.* At fides Catholica in iis reperitur in quibus nulla erat vita spiritualis, seu vita justitiæ, ut in Simone Mago, & aliis. Sic Ephes. 3.17. Christus per fidem inhabitat cordibus. *Jus filiorum confert*, Joan. 1.12. & Gal. 3.26. *Remissionem peccatorum obtinet*, Act. 10.43. *Justificat*, Act. 15.9. *Purificat corda.* Hæc non possunt accommodari nudo assensui eorum, quæ in verbo revelantur, cùm iste assensus sæpenumerò in iis reperiatur, in quorum cordibus Christus non inhabitat; iis etiam quibus jus filiorum nunquam confertur, nec remissio peccatorum, nec justificatio, nec pax cum Deo aut aditus ad Deum; iis etiam, quorum corda non purificantur.

II. Actus fidei justificantis est conditio fœderis gratuiti.

At assensus nudus divinitus revelatis non est conditio fœderis gratuiti. Ergo,

Talis assensus non est fides justificans.

Major constat ex iis locis, ubi mentio fit fœderis gratuiti; ut Joan. 3.16. Quicunque credit in eum, non peribit, sed habebit vitam æternam, Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum quemvis, qui crediderit in eum. Act. 16.30. Crede in Christum Dominum & servaberis. Idem apertius adhuc ad Roman. 10.5. collato cum ver. 9. & 11. Nam ibi describitur fœdus Legale his verbis. *Qui præstiterit ea, vivet in iis.* Fœdus autem Evangelicum, hisce, si credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis, &, Quisquis in eum credit non pudefiet.

Minor autem, [At assensus nudus revelatis in verbo, non est conditio fœderis gratuiti] apertè constat ex loco ultimo citato. Nam si assensus nudus revelatis à Deo esset conditio fœderis novi seu gratuiti, tam æquè credendo & assentiendo huic propositioni, *Qui præstiterit ea, vivet in iis*, justificaremur, atque assentiendo huic, *Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Quæ tamen apertè distinguuntur eo in loco, ut patet ex collat. ver. 5, 6, 9, 10. Cùm tamen Apostolus disertè dicat in priore fundari justitiam legalem; in altera justitiam evangelicam, quam Paulus justitiam fidei appellat, & discrimen hujus utriusque justitiæ deducit ex duplici promissione Dei, altera Legali, altera Evangelica.

III. Objectum fidei Catholicæ, qui est nudus assensus est omne divinitus revelatum, tam minæ quàm promissiones, tam Belial quàm Christus, tam Tentator quàm Servator, tam Christus Judex quàm Christus Redemptor, tam sanguis agni seu vitulorum

tulorum, quàm sanguis Christi. At fides justificans ad promissiones novi fœderis respicit & circa eas versatur. Ejusque objectum proprium est Christus, Christus ut Servator, Christus ut Redemptor, Christi sanguis, mors, meritum, satisfactio, obedientia, ut passim docet Scriptura. Ergo aliud est nudus assensus divinitus revelatis: aliud fides justificans. Mitto alias differentias brevitatis ergo.

Jam secundo in loco, fidei justificantis natura est explicanda; ex cujus explicatione satis constabit nudum assensum divinitus revelatis non esse fidem illam quam appropriato nomine justificantem nuncupamus.

Ad hujus rei demonstrationem, quasdam propositiones præmitto.

I. Certum est ad fidem justificantem necessariò præmittendum, ut fide Catholicâ credamus Christum esse mundi Redemptorem: promissionem item Evangelii, ut quicunque credat in eum, illum consecuturum remissionem peccatorum & æternam salutem. Juxta illud, Act. 16.31. *Crede in Dominum Jesum & servaberis.*

II. Certum est nos justificari Christi satisfactione, morte, passione, meritis nobis communicatis.

III. Certum itidem est hanc satisfactionem, mortem, merita, nobis debere applicari per actum aliquem à nobis præstandum, quem Scriptura fidem appellat. ut Roman. 3. 25. Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguinem ejus.

IV. Certum itidem, fidem dogmaticam prædictam, spem veniæ, timorem pœnæ, dilectionem Dei invitantis ad salutem, dolorem de offensa Dei, unà cum proposito derelinquendi peccata (.i.) veri nominis pœnitentiam, præexigi ad justificationem, ad præparationem subjecti.

Quæritur jam ad applicationem objecti, vel, quod eodem recidit, ad applicationem causæ meritoriæ, satisfactionis, mortis, passionis & meritorum Christi, quis actus ex parte nostra requiratur. Et certè cùm Scriptura ubique justificationem fidei tribuat, ut omnes concedunt, quæritur quænam sit illa fides quam appropiato nomine justificantem appellare solemus.

V. Superest adhuc ad applicationem objecti salutaris fiducia in satisfactionem, mortem & merita Christi, unicè recumbens, ad remissionem peccatorum, & acceptationem ad vitam æternam.

Hîc non una eademque est omnium sententia. Alii enim ut Romanenses volunt fidem justificantem non aliud denotare quàm nudum assensum divinitus revelatis] Hanc opinionem jam antè profligavimus. Alii volunt fidem justificantem esse fiduciam de speciali misericordia, vel fiduciam de remissione peccatorum. Alii specialem persuasionem, quâ credo mihi jam remissa esse peccata mea. Alii assensum fiducialem, quo firmiter statuo, fieri non posse, ut aliter quàm per Jesum Christum æternam mortem evadam, & contra, vitam sempiternam consequar. Alii fiduciam in Christum Redemptorem, & ejus merita recumbentem ob remissionem peccatorum.

Nos hanc ultimam definitionem, ut Scripturis maximè consentaneam amplectimur. Atque hîc per fiduciam intelligimus actum fiduciæ profectum ab affectu fiduciæ. Est autem iste affectus (quicquid in contrarium asserunt Thomas, vel Jesuitæ) fiduciæ, affectus in appetitu irascibili distinctus specificè ab affectu spei. Nam 1. Spes est finis, fiducia mediorum. 2. Spes est futurorum & absentium, fiducia rei præsentis ut rectè observavit *Scalig. Exer.* 314. 3. Distinguuntur actibus, actus fiduciæ est confidere quem Hebræi exprimunt per *Shagnam, Batach Casah,* & *Aman* cum regit substantivum cum Præpositione *Beth,* ut Gen. [*Ve Heemin Bai hovah*] & Abraham credidit in Dominum, & imputatum est ei ad justitiam. Actus spei est expectare, quem Hebræi exprimunt per *Jakal, Kavah,* & *Cacah.* 4° Spei opponitur desperatio, fiduciæ diffidentia, alia discrimina prætereo, ex hisce differentiis constare potest, quomodo rectè distinguantur actus horum affectuum, qui tamen sæpe iisdem vocibus designantur.

In Scripturis actus etiam hujus fidei ponuntur πιστεύειν εἰς Θεὸν, εἰς Χριστὸν, vel ἐπὶ seu ἐν Θεῷ vel Χριστῷ, fidere, item confidere, niti, inniti, recumbere, adhærere, acquiescere.

Hisce

Hisce sic positis, dico actum affectus fiduciæ, quo peccator contritus credit & recumbit in Christum Mediatorem seu Redemptorem, seu quod eodem recidit, in Christum quà λύτρον, seu satisfactionem præstantem, esse actum illum, quo Christus ut Redemptor & ejus λύτρον satisfactio, seu merita nobis applicantur & communicantur ad remissionem peccatorum. Est enim objectum hujus fiduciæ, ut causa efficiens, persona Christi Redemptoris, ut causa meritoria Christi λύτρον, satisfactio seu meritum. Quod verò hic actus fiduciæ, quo credo in Christum Redemptorem & ejus λύτρῳ, morte ac meritis, fido, confido, nitor, innitor, acquiesco, sit ille actus, quo Christus & ejus λύτρον, satisfactio, meritum nobis applicantur, communicantur, imputantur, ad remissionem peccatorum, id jam breviter demonstrandum est.

I. Ex eo, quòd hic actus sit conditio fœderis gratuiti, ex cujus præstatione reconciliamur Deo, sic Christus, Joan. 3.16. Sic Deus dilexit mundum ut dederit Filium unigenitum, ut quicunque in eum crediderit, non pereat sed habeat vitam æternam. Sic Paulus, Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum quemvis, qui crediderit in eum. Sic Paulus Commentariensi Act. 16.31. *Crede in Dominum Jesum, & servaberis tu ac domus tua.* Quòd verò credere in Christum, sit in Christum recumbere & in eo fiduciam collocare, doceo ex promiscua acceptione harum φράσεων, Mich. 7.5. Ne credatis in socio, ne fidatis in duce. Et Psal. 78.22. Quia non crediderunt in Deo, nec confisi sunt in salute ejus. Et ubi N. Testam. exigit fidem justificantem, ibi Vetus Testam. præcipit fiduciam. Et in N. T. eadem tribuuntur fidei, quæ in Veteri fiduciæ. Et in N. Testamento eadem promittuntur credentibus in Deum vel Christum, quæ in V. T. confidentibus; qualia sunt novi fœderis beneficia, Remissio peccatorum, Justificatio, Adoptio, Beatitudo.

II. Ex eo demonstratur quòd aliarum virtutum actus licèt requirantur ad peccatoris justificationem, quales sunt fidei Catholicæ assensus spes veniæ, timor pœnæ, dilectio Dei invitantis ad salutem, dolor de offensa Dei, propositum de cætero non peccandi & id genus alia, hi tamen actus propriè conferunt, non nisi ad præparationem & dispositionem subjecti; ad applicationem tamen objecti, Christi sc. & ejus sanguinis, satisfactionis, meriti, non alius actus occurrit quàm actus fiduciæ & fidei hujus salvificæ, quo cor contritum & spiritus contribulatus confugit ad λύτρον & meritum Christi, eique duntaxat innititur & confidit in negotio reconciliationis & remissionis peccatorum. Apostolus ait, obedientia unius multos constitui justos, & nos habere redemptionem per sanguinem ipsius; & alibi Joannes sanguis Christi purgat nos ab omni peccato: sed non sanguis quâ nudè fusus & Deo in λύτρον oblatus, sed quâ nobis applicatus, nobis communicatus, id autem non alio actu fit quàm fide seu fiduciâ hac salutari. Sic Apostolus ad Romanos 3.25. *Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius*: Christus ergo propositus est in placamentum, *sed quomodo? Per fidem recumbentem in sanguine ejus.*

III. In Symbolo fidei juxta explicationem Sanctorum Patrum, inprimis Augustini & Scholæ, aliud est credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Est autem credere in Deum juxta Augustinum, credendo in Deum ire, & Deo adhærere, Quid autem aliud est in Deum ire & Deo adhærere, quàm in Deo fiduciam collocare. Hinc est quòd in Psalmis Davides toties Deum appellat perfugium, petram, turrim, rupem, præsidium, cornu salutis, auxilium firmamentum, quæ omnia sonant fiduciam, nixum, confidentiam, innitentiam, adhæsionem, acquiescentiam.] Sic venire ad Christum, & credere in Christum, pro eodem sumuntur Joan. 6.35. *Qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet unquam*; & 37. *Quicquid dat mihi Pater venit ad me*; (*i.*) credit in me. Illud Christi, *Creditis in Deum, etiam in me credite*, sic explicat Stapletonus, In Deum fiduciam habete, & in me.

IV. Quòd actus fiduciæ sit ille actus quo Christi meritum nobis applicatur optimè docent formulæ interrogandi agonizantes jam animam agentes, quas præscripsisse dicitur Anselmus Cantuariensis, quæ etiamnum extant in Sacerdotali Romano, & in libro qui inscribitur Ordo Baptizandi & alibi. Ibi hæc interrogatio

extat, Credis te non posse nisi per ipsius [Christi scil.] mortem salvari. Respondet infirmus, etiam tum subjungit Sacerdos. Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue. In nulla aliâ re fiduciam habe. huic morti te totum committe, hac solâ te totum contege, totum immisce te in hac morte, totum confige, hac morte te totum involve. En quàm Emphaticè vim & virtutem fidei justificantis exprimat. Et si Dominus Deus te voluerit judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium: aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic, Domine mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & mea peccata. Si dixerit tibi, quòd meruisti damnationem, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusque meritum meum offero pro merito, quod ego debuissem habere nec habeo.

V. Quòd actus fiduciæ sit ille actus quo Christi meritum nobis applicatur, optimâ ratione probatur, quæ in Scripturis fundamentum habet. Ille enim actus noster est maximè idoneus ad justificationem, quo gloria justificationis & salutis Christo illibata asservatur, & omnis ansa gloriationis nobis præripitur. At alius actus non datur, quo magis totam gloriam salutis nostræ Deo ascribimus, & nobismetipsis auferimus, quàm nobismetipsis abrenunciando, nostra merita abdicando & confugiendo ad solam Dei misericordiam, & Christi meritum & satisfactionem, in eáque fiducialiter recumbendo. *Ergo.* Hinc Apostolus. *Christus factus est nobis Sapientia, Justitia, Sanctificatio & Redemptio, ut qui gloriatur in Domino glorietur.* Et Rom. 3. 27. *Ubi gloriatio exclusa est; per quam Legem? Operum? non, imò per Legem Fidei.* Et Ephes. 2. 8. *Gratiâ estis servati per fidem; idque non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ut quis glorietur.*

Omitto reliqua [Precemur] Huc accedit quod adversarii ipsi fateantur, omnem fiduciam nostram in negotio justificationis in Christum & ejus merita collocandam esse *Stapl. Bellarm.*

Generalis assensus veritati Evangelicæ non est Fides Justificans.

APostolus Paulus præsertim in Epistolis ad Romanos & Galatas sæpius fidei justificationem tribuit, seu vim justificandi ad Rom. 1.17. *Justitia Dei per Evangelium revelatur ex fide ad fidem, sicut scriptum est, Justus ex fide vivet.* Et 3.21. *Justitia Dei absque lege patefacta est. Justitia Dei per fidem Jesu Christi.* Et ver. 25. *Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguinem ipsius.* Et ver. 28. Concludit ex ejusdem capitis premissis, *Colligimus fide justificari hominem absque operibus Legis.* Et Rom. 5.1. *Justificati ergo ex fide pacem habemus apud Deum.* Et ad Gal. 2.16. *Scientes non justificari hominem ex operibus legis sed per fidem Jesu Christi.* Quæritur quid per fidem Christi, per fidem in sanguinem Christi, quid per fidem justificantem intelligat Apostolus.

Romanenses per fidem intelligi volunt, Generalem assensum, quo assentimur veritati Evangelicæ, & quidem toti, omni veritati divinitus revelatæ, tam minis quàm promissionibus, tam maledictionibus quàm benedictionibus, tam veritatibus de diabolo tentatore, quàm de Christo Redemptore, tam de suppliciis Gehennæ malis paratis, quàm de præmio vitæ æternæ vere credentibus promisso. Hanc fidem Catholicam, dici fidem Christi, fidem in sanguine Christi, dictitant; & quidem hanc justificare sensu Apostoli, quod ad justificationem seu potius justifactionem, disponat & præparat quomodo & alia opera præparatoria, timor sc. pœnæ, spes veniæ, desiderum reconciliationis, dilectio Dei invitantis ad reconciliationem & id genus alia.

Hic inprimis disquirendum quid sit τὸ justificare juxta Apostolum ex quo rectius dijudicatur, quid per fidem justificantem intelligi vult Apostolus.

Hic 1. Certum est apud Apostolum & alibi in Sacris Literis, τὸ δικαιῦν, τὸ justificare sumi sensu forensi ut opponatur τῷ καταχρίνειν, seu τῷ condemnare. Hebræa siquidem vox הצריק *Hitzdic* in Hiphil, & Græca item δικαιῦν & δικαιῦσϑ sumuntur hac significatione, ut idem sit justificare atque absolvere coram tribunali Judicis, à criminibus intentatis. Hoc ex eo liquet, quod coram tribunalibus, de pœnis potissimum agitur, an irrogandæ sint reo, an ab iisdem sit absolvendus. Sic Rom. 8.33 *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat, quis condemnabit?* Hic opponuntur τὸ justificare & τὸ condemnare, quomodo alibi sæpè [ut Deut. 25.1. Prov. 17.15. 2 Sam. 15.4.] Fides ergo justificans est illa qua peccator pœnitentiam agens, credens in Christum Redemptorem & ejus λύτρῳ, nitens & confidens, à peccatorum reatu coram tribunali Dei absolvitur & justus pronunciatur.

Hoc jacto fundamento τὸ justificare idem esse atque absolvere coram tribunali à criminationibus jam disquirendũ, quænam sit illa fides quæ absolvit coram tribunali Dei, reum in crimen vocatum. Et quidem primo videamus an assensus generalis veritati Evangelicæ, absolvat omnes ei assentientes coram tribunali Dei à reatu peccatorum.

Hic I. Certum est, assensum firmum & generalem veritati evangelicæ adhibitum seu quod eodem recidit, fidei Catholicæ assensum in malis Christianis quamplurimis reperiri, qui nunquam absolvuntur coram tribunali Dei à reatu peccatorum ac proinde non justificantur. Hoc fuse probat Bellarminus ipse lib. 1. de justif. c. 15. ubi fidem veram & Christianam, posse à dilectione, aliisque virtutibus separari. diligenter docet. Quomodo ergo dici potest ille fidei Catholicæ assensus, fides justificans cùm in non justificatis quamplurimis reperiatur.

Dices hunc assensum fidei Catholicæ, disponere ac præparare ad absolutionem coram tribunali Dei, ac proinde rectè dici fidem justificantem.

Solut. At contra 1. Vox Hebræi in V. T. *Hitzdic*, & Græc. in N. Testam. δικαιῦν, hanc explicationem planè repudiant, cum nusquam hâc Physica & Philosophica notione in Sacris Literis reperiantur. Nusquam enim significant disponere & præparare ad absolutionem; sed denotant formaliter absolvere coram tribunali Dei, à reatu peccatorum ritu forensi; ex reo justum facere pro tribunali Dei.

At assensus fidei Catholicæ, non absolvit reum, nec ex reo justum facit pro tribunali Dei.

2. Assensus iste fidei Catholicæ reperitur in quamplurimis qui nunquam absolvuntur à reatu peccatorum coram tribunali Divino; atque adeo in non justificatis. In hisce erant Herodes, Simon Magus qui d[r] credidisse & in signum fidei Baptizatum fuisse. Act.8.13. Tales erant auditores isti verbi in parabola semminantis, qui assimilantur terræ petrosæ, Luc.8.13. *Qui ad tempus credunt, & cum gaudio excipiunt sermonem; sed tempore tentationis abscedunt.*

II. Occurrunt in sacris litteris plurima elogia & effectus fidei justificantis quam nullo modo possunt accommodari fidei Catholicæ.

Nam 1. Datur in Sacris Literis fides, quæ dat spiritualiter vivere Apostolus ter è Propheta Habacuk allegat illud *Justus ex fide vivet*, Rom.1.17. ad Galat.3.11. & Heb 10.38. Apostolus item ad Gal 2.20. *Vivit in me Christus* (inquit) *& vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei.* At fidei Catholicæ assensus inesse potest spiritualiter mortuis, in quibus nunquam vivit Christus,& qui nunquam ex fide vivunt.

2 Datur in Sacris Literis fides, quâ qui credunt, hoc ipso accipiunt remissionem peccatorum. Act.10.43. *Huic* [Christo] *omnes* (inquit S. Petrus) *Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturos per nomen ejus, omnes qui credunt in eum.* At ejusmodi fides, non est assensus fidei Catholicæ. quæ in multis Christianis reperitur, quibus nunquam remittuntur peccata: Restat ergo, ut sit fides justificans supra dicta, quæ reum absolvit coram tribunali Dei, à reatu omnium peccatorum.

3. Datur in Sacris Literis fides, quæ υἱοθεσίαν confert quæ dat dignitatem ut Filii Dei fiant, quotquot credunt in nomen Christi, Joan.1.12. Apostolus etiam compellans Galatas, *Omnes* (inquit) *Filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu.* Quænam autem est illa fides? Non Catholica, nam illa reperitur in iis, qui nunquam jure filiorum gaudent, nec unquam hæreditatem regni cœlestis adituri sunt. Restat ergo, ut sit fides justificans, quæ hanc dignitatem υἱοθεσίας, & jus ad hereditatem cœlestem confert.

4 Datur in Sacris Literis fides quæ pacem & tranquillitatem conscientiæ parit, Rom.5.1. *Justificati fide, pacem habemus apud Deum per Christum, per quem etiam, fide habemus aditum in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur spe gloriæ imò gloriamur in tribulationibus.* Hæc Paulus in persona omnium justificatorum, omnium fide justificante credentium. At hæc dici nullo modo possunt, de credentibus solo assensu fidei Catholicæ, quorum nemo, vi hujus assensus pacem habet apud Deum, aut aditum & accessum ad gratiam de qua ibi agitur aut gloriari potest sub spe gloriæ multò minus in tribulationibus.

5 Datur in Sacris Literis fides quæ placat Deum, quæ purificat cor, quæ vincit mundum, quæ ignea tela Satanæ extinguit. At Catholicæ fidei assensus nudus, hæc non præstat; restat ergo, ut illa fides quæ hæc omnia præstat, sit fides illa quam justificantem appellamus. Non enim datur alia.

III. Fides justificans est conditio novi fœderis, & annexam habet promissionem remissionis peccatorum, liberationis ab æterna damnatione, salutis item & vitæ æternæ, Joan.3.16. Deus ita dilexit mundum ut dederit filium unigenitum, [levandum in Crucem] ut quicunque in eum crediderit, non peribit sed habebit vitam æternam, Actor.13.38. *Notum igitur sit vobis quia per hunc Christum vobis remissio peccatorum annunciatur: Et ab omnibus quibus non potuistis in Lege Mosis justi-*

justificari, in hoc qui credit justificatur. Et Act. 16. 38. Paulus compellans commentariensem sciscitantur *quid faciam ut salvus fiam? Crede* (inquit Paulus) *in Dominum Jesum & servaberis tu ac domus tua.*

At fides Catholica non est conditio novi fœderis, nec habet annexam ejusmodi promissionem. Nusquam habetur in Evangelio, qui assentitur veritati evangelicæ, salvus erit, aut non peribit, quia & ejusmodi fidem in perditissimis hominibus reperiri posse passim docent Romano-Catholici, etiam in illis qui dicturi sunt in die judicii, Nonne in nomine tuo Prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Qui tamen audituri sunt à Domine nunquam novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. 2. Respondeo ejusmodi fides non tam præscribitur in fœdere Evangelico, quàm legali. Nam lex moralis exigit ut assentiamur omni veritati divinitùs revelatæ, etiam Evangelicæ, quàm primum revelatur. Angeli & Adamus integer tenebantur credere mysterio Sacrosanctæ Trinitatis quàm primum ex revelatione divina illis innotuit; idque dici potest de quocunque alio mysterio iis revelato, tantum abest ut fidem Catholicam dicamus conditionem esse Novi Fœderis.

IV. Fidei Catholicæ actus est credere Deo; (*i.*) Assentiri omni veritati divinitus revelatæ, ac proinde toti veritati Evangelicæ; ac proinde est actus intellectus cujus est, assensum præbere veritati alicujus enuntiabilis.

At actus fidei justificantis est credere in Deum (*i.*) in Deo fiduciam collocare, in Deo confidere, ac proinde est actus voluntatis, cum sit actus affectus fiduciæ quæ in voluntate sedem habet.

Est autem iste affectus (quicquid in contrarium asserunt Thomas, vel Jesuitæ) fiduciæ, affectus in appetitu irascibili distinctus specificè ab affectu spei. Nam 1. Spes est finis, fiducia mediorum. 2. Spes est futurorum & absentium, fiducia rei præsentis, ut rectè observavit *Scalig. Exer.* 314. 3. Distinguuntur actibus, actus fiduciæ est confidere quem Hebræi exprimunt per *Shagnam, Batach Casah*, & *Aman* cum regit substantivum cum Præpositione *Beth*, ut Gen. [*Ve Heemin Bai hovah*] & Abraham credidit in Dominum, & imputatum est ei ad justitiam. Actus spei est expectare, quem Hebræi exprimunt per *Jakal, Kavah*, & *Cacah.* 4° Spei opponitur desperatio, fiduciæ diffidentia, alia discrimina prætereo, ex hisce differentiis constare potest, quomodo rectè distinguantur actus horum affectuum, qui tamen sæpe iisdem vocibus designantur.

In Scripturis actus hujus fidei seu fiducia sunt πιστεύειν εἰς Θεὸν, vel ἐπὶ seu ἐν Θεῷ ἐλπίζειν ἐν Θεῷ, nam ἐλπίζειν ἐν τινὶ idem est atque τὸ πιστεύειν εἰς τινά; τὸ sperare in aliquo cum refertur ad medium sive personam sive rem idem est atque crêdere in aliquo, seu confidere in aliquo, unde LXX τὸ *Batach* Hebræam vocem quæ proprie significat confidit vertunt frequentissime per τὸ ἐλπίζειν, ut τὸ ἐλπίζειν ἐν Θεῷ, sit Deo confidere vel in eo fiduciam collocare, actus hujus fiduciæ sunt fidere, confidere, niti, inniti, recumbere, adhærere.

Quod autem credere in Deum, sit in Deo fiduciam collocare, multis indiciis probatur.

1. Illa nova loquendi formula quæ tam crebro occurrit in N. Testam. (trigesies nonies (sit benè observavi) in Evangelio Joan.) Εἰς τὸν Χριστὸν πιστεύειν, tota est a S. Sancto & illi quidem propria; neque enim ullum è Græcis scriptoribus Authorem agnoscit, ne illos quidem LXX Interpretes. Hanc formulam actum fiducia exprimere perspicuum est Rectissime ergo in hunc sensum interpretanda sunt illa loca, ubi exprimitur conditio novi fœderis ut in celebri illo loco Joan. 3. 26. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut quisquis credat in eum ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν: non pereat sed habeat vitam æternam.* Credere autem in Christum crucifixum, non est nude assentiri, Christum esse crucifixum, id ipsum enim & Dæmones & impii homines credunt, qui tamen in æternam perituri sunt, nec unquam habituri sunt vitam æternam; sed in Christum crucifixum fiduciam omnem collocare in negotio salutis. Cajetanus in explicat. loci Gen. 15, *Credidit Abraham in Deum*] Moses non dicit] Abraham credidisse Deo, sed in Deo; hoc enim plus est quàm

quàm credere Deo & fidem habere illius verbis ut veracibus, credere autem in Deo adjungit confidentiam in Deo ita quod non solum credidit verum sibi dici à Deo: sed etiam innixus est Deo, sed etiam jecit se in Deum adimpleturum quæ dixerat] Credere ergo Deo, Cajetano est, inniti Deo & conjicere se in Deum.

2. Ex promiscua acceptione harum φρασέων in Sacris Literis, ut Job. 39.11. Ubi Deus agens de Behemoth de Rhinocerote, ut creditur, Nunquid confides in eo? nunquid credes in eo? Hîc apertè confunduntur confidere in aliquo, & credere in aliquo. Sic Mich.7.5. *Ne credatis in socio, ne fidatis in duce.* Et Psal. 78. 22. Ira ascendit in Israel quia non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus idem sonant, non crediderunt in Deum & non confisi sunt in eum.

3. Evincitur idem ex versione interpretum, 2 Paralip. 5.20. ubi de Reubenitis d', Exoratus fuit Deus, qui fiduciam collocaverunt in eo [Hebraice *Batcha Bo*] Hæc verba reddit vetus Interpres eò quod credidissent in Deum. Sic 2 Paralip.16.8. ubi in Hebræo est, in innitendo se super Domino (â radice *Shagnan*) vetus Interpres reddit, cum in Domino credidisses: ubi veteri Interpreti, nisi seu confidere Domino idem sonat atque in Domino credere.

3. Quæ in V. Testam. confidentibus & fiduciæ in Deum ea in Nov. Testam. sæpè credentibus in Deum, & fidei justificanti tribuuntur ut multis exemplis facile esset ostendere.

Ad Rom 3.25. Agens Apostolus *de Christo quem* (inquit) *proposuit Deus propitiationem seu placamentum per fidem in sanguine ejus*] Fides in sanguine ejus, juxta Cajetanum, est fides quæ innititur morti, per effusionem sanguinis Christi. Pighius explicans locum, per fidem in sanguinem ipsius, hoc est (inquit) per fiduciam aut confidentiam in sanguine ipsius. Liber ascriptus Cypriano de duplice Martyrio: Non credit in Deum qui in eo solùm non collocat totius fœlicitatis suæ fiduciam.

Erasmus Deum crediderunt & Philosophi plerique, Deo credunt & dæmones; sciunnt enim illum mentiri non posse; sed soli pii credunt in Deum, sive in Deo: nihil enim refert, qui totam fiduciam totamque spem fixerunt in Deo] Postea agnoscit sermonis figuram fluxisse ab idiomate Linguæ Hebraicæ quæ frequenter addit præpositionem In, ubi sermo latinus eam repudiat. Hisce accedat Ecclesiæ nostræ explicatio. Homilia de vera viva & Christiana fide; ubi distinguit inter credere Deo, & credere in Deum, ubi explicat τὸ credere in Deum per fidem & fiduciam in Deum; ubi etiam fidem cum fiducia confundit: & hujus veræ & vivæ fidei actum vult esse, τὸ fidere. τὸ confidere in Deum, concredere nos totos Deo, pendere à Deo totos. In Catechismo edito ex Recensione Reverendiss. Præsulis & Martyris Thomæ Cranmeri, Primarii Ecclesiæ nostræ Reformatoris in explicat. Symbol. in 1. Articul. *Credo in Deum Patrem*, *(.i.)* Fiduciam colloco in Deum Patrem, à quo omnia bona, lætus expecto. Et mox, docet Articulus, fiduciam nostram non in ulla creatura ponendam sed in Deum verum & viventem: Et postea debemus in Deum solum confidere, illi adhærere, ab illo pendere: addit, illum esse unicam rupem & præsidium, quo si nitamur non confundemur. Postea ubi secundum Articulum explicat. *Credo in Jesum Christum unigenitum Filium Dominum nostrum*, &c. *(.i.)* Fiduciam omnem colloco in Christum Redemptorem. Dei justitiæ satisfacientem, & ejus merita ob remissionem peccatorum, nostris meritis quibuscunque abdicatis & prorsus abrenunciatis in negotio justificationis.

Illud Christi Joan.14 *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Sic explicat Stapletonus, In Deum fiduciam habete, & in me. Bellarm. in explicatione Symboli, explicans, Quid sit credere in Deum: significat (inquit) credere nos in Deum qui est primum principium & ultimus finis noster, in quo super omnia confidimus.

Cornel. à Lapide explicans illud, Prov.14.21. *Qui credit in Domino, misericordiam diligit*] Post alias explicationes sic habet planius & nervosius; *q.d.* Qui credit in Domino, vel qui confidit in Dei bonitate, qui fiduciam suam in Deo Collocavit.] misericordiam diligit.

Ex

Ex hisce, aliquatenus constat, Generalem assensum, veritati Evangelicæ adhibitum non esse fidem justificantem.

Doctiss. Respond. Satis in hac palestra sudatum est, satis experti sumus tuam in hoc Theologico pulvere certandi peritiam. Macte tuâ virtute & eruditione, cujus specimen eximium hodierno certamine edidisti. Te jam ex hac palestrâ, tua merita cum laude, dimittimus, liberamus.

Te autem Venerande Pater quod attinet, non possum non mirari, quantâ cum facilitate, & fœlicitate, & heri, & hodie tot tantaque munia tam præclarè obire & præstare possis. Tibi in hoc amplissimo Theatro, Academiæ nomine gratias promeritas referimus. Nos tibi hunc honorem, meritis tuis debitissimum serio gratulamur, quem indies auctiorem cupimus & exoptamus.

Vobis etiam optimi Patris filiis, tibi inprimis natu maximo, mihi præ cæteris, ex diutina multorum annorum experientia, & insigni eruditione nota, est quod vobis meritò gratulemur, quibus doctoratus insignia contulit venerandus Pater, decrevit indulgentissima Mater Academia. Spartam vestram ornate, Almæ Matris honore nihil prius, nihil antiquius habetote.

Te verò Reverendissime Archi-præsul Armachane Ecclesiarum Hybernicarum Primas Vigilantissime multis nominibus merito honorande, non compellare scelus esset; Quem ad tantum Honoris fastigium merita tua jam pridem evexerunt. Inprimis in omni genere disciplinarum, supra communem sortem præcellens vestra eminentia Indicio sint, in Historia antiquitatis, in Chronologia, in Geographia, in Theologia denique scientiarum principe, admiranda solertia. Testes sint, Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates, in quibus & Historia Pelagiana, nuper in vulgus emissæ, summâ diligentiâ elaboratæ. Testes itidem sunt veterum epistolarum Hibernicarum Sylloye, & Goteschalchi Historia ante aliquot annos evulgata. Testes item sunt Responsio doctissima ad provocationem Jesuitæ Malons, & libellus de veterum Hibernensium Religione, & ante complures annos editus liber de Christianarum ecclesiarum successione & statu.

Testis hisce accedat, omni acceptione major, insignis pietas & morum probitas, & summa in concionando industria, fervor item & Zelus animarum. Te talem & tantum virum insalutatum præterire nefas esset, crimen esset, præsertim cum Almæ Matris Comitia, non tam honestare quàm honorare præsentiâ tuâ dignatus sis. Quo nomine, gratias amplissimas merito agit Amplitudini vestræ, Honoranda Mater Academia.

Vobis etiam viri verè nobiles olim Academiæ filiis, est quod gratiarum victimas immolemus, quod tanto studio Matrem invisendi ducimini, & vestra præsentia hodierna, eam Comitia anniversaria celebrantem cohonestare dignati estis.

Superest jam viri vere nobiles, Auditores spectatissimi, ut vobis [qui undequaque tanta frequentia huc circum fluxistis] gratias & agamus, & habeamus maximas, quos tam benevolos & attentos experti sumus, præsertim quod certantibus in pulvere hoc Theologico, aures tam avidas & benignas præbuistis. Vos vicissim solennia hæc Almæ Matris Comitia, ore, oculis, linguis favete.

Jam superest Laboris nostri suprema pars, ut de quæstionibus ventilatis, nostrum calculum adjiciamus.

Datur

Ex hisce, aliquatenus constat, Generalem assensum, veritati Evangelicæ adhibitum non esse fidem justificantem.

Dantur Opera ad Justificationem Præparatoria.

HÆC Quæstio merito instituitur, ut occurratur injustæ calumniæ Romanensium, qui nos Solifidianorum nomine passim traducunt, eo quod sola fide nos justificari asseramus, Ac si omnes ad justificationem dispositiones, & omnia alia ad justificationem opera præparatoria rejiciamus, ut huic calumniæ rectius occurratur, divinitus dari opera ad justificationem præparatoria.

Ut autem intelligamus quænam sint illa opera. Dicendum est 1 Hæc opera præparatoria esse actus liberos à nostro intellectu & voluntate libere elicitos.

2. Hæc opera non proficisci ex solis naturæ viribus; Certum enim est, non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam justificationis, ullo modo se præparare: ac proinde certum est hæc opera præparatoria proficisci à gratia Dei prævenienté & velimus ut habet Articulus nostræ Confessionis decimus; quæ tamen non meretur de congruo gratiam justificationis, ut habet Articulus decimus tertius.

3. Dico hanc gratiam saltem esse illam quam Theologi solent appellare gratiam auxilii specialis, eamque efficacem quæ facit ut irresistenter, libere tamen & resistibiliter hosce actus præparatorios eliciamus.

Per opera præparatoria intellige opera, quæ animos peccatorum movent, præparant, disponunt, ac quasi subigunt ut idonei fiant ad gratiam justificationis consequendam, Horum nonnullorum meminit Homilia de salute, parte prima & secunda.

Porro dicendum est opera præparatoria disponere ad justificationem diversimodo: alia enim opera disponunt remotius, in hisce sunt,

1. Fides Catholica.
2. Timor pœnæ.
3. Spes veniæ.
4. Dilectio Dei ad reconciliationem invitantis vel hostes.

Alia disponunt propinquius ut
1. Agnitio & improbatio peccati.
2. Dolor serius de Dei offensa ob peccatum.
3. Propositum de cætero non peccandi, ab renunciandi peccato & vitæ propositum.
4. Desiderium serium liberationis & reconciliationis.

Per justificationem intellige illum actum Dei quo condonantur peccata, & peccator ad vitam acceptatur.

Porro dicimus dicta opera præparatoria dari (*.i.*) prærequiri ad justificationem antequam Deus vel condonet peccata, vel ad vitam acceptat. Siquidem Deus non justificat peccatorem quemlibet in Ecclesia degentem, sed peccatorem fide Catholica credentem, timentem, pœnam, sperantem, veniam, amantem & desiderantem beati-

beatitudinem, Diligentem Deum, gratiose invitantem ad Salutem, agnoscentem, & improbantem peccata, De offensa Dei vere Dolentem, prioris vitæ pertæsum, novam anhelantem. Peccator nisi istis præviis artibus præparatus ac Dispositus fuerit, non quærit medicum, nec currit, & confugit ad Christum & Justificatorem, & salvatorem, nec confugere cupit.

Hisce hunc in modum præmissis Restat adversus eos qui hæc opera præparatoria non admittunt, ut Demonstremus ex scripturis horum operum præparatoriorum necessitatem.

Et certe primò quod ad fidem catholicam attinet nemo idoneus esse potest ad gratiam justificationis consequendam, qui non firmiter assentiatur omnibus Divinitus revelatis, inter quæ hoc unum est, ut in Ecclesia haberi possit remissio peccatorum, & justificatio, idque per Christum mediatorem. Nisi enim hoc primitius credatur, frustra quærimus justificationem, unde Apostolus ad Hebr: 11. 6. accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est, & remunerator sit quærentium eum. Nemo autem potest credere Deum esse remuneratorem, qui non prius credit Deum esse justificatorem. Hinc Fides Catholica a Clem. Alexand. dr. prima ad salutem inclinatio, & ab Eusebio Gallicano ostium vitæ, fundamentum salutis, & Augustin. Domus Dei Credendo fundatur, & Prospero fides est justitiæ fundamentum. l. 3. de vitâ contempl. c. 21.

2. Opus præparatorium, est timor pœnæ, timor Domini est initium sapientiæ Psal. III & Proverb. 1. nascitur iste timor ex fide comminationum divinarum in justitia divina fundatarum, qui enim firmiter credit comminationibus divinis, necesse est ut timeat pænas ubi Deum offenderit; est enim ejusmodi timor actus imperatus fidei comminationum divinarum. 3. est spes veniæ, nascitur autem spes, ex fide (*i.*) ex firmo assensu promissionibus divinis adhibito, ex fide etiam bonitatis, clementiæ, ac misericordiæ Dei per Christum. Ambros. lib: 1. de pæniten. cap. 1. Nemo potest bene agere pænitentiam nisi qui speraverit indulgentiam, & August. serm. 22. de verbis Apostol. domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur.

4. Est dilectio Dei invitantis, vel hostes ad reconciliationem, eamque promittentis ad eum accedentibus. Nascitur iste motus animi ex promissione salutis omnibus in eum credentibus, & gratiosis invitationibus Christi, qualis est ista Matth. 11. Venite ad me omnes qui fatigati estis. est tamen ista dilectio non nisi inchoata, post justificationem perficienda August. lib. de Catech. rudib. cap 4. Quicquid narras, ita Narra, ut ille cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet [vide Estium 3 distincti. 27. sectione 2 & M. Baium tractatu de charitate, capite 7. & Bellar: De justificatione libro primo capite decimo tertio.]

5 Opus præparatorium est pænitentia, cordis contritio & dolor de offensa Dei, Hoc unum est ex primariis operibus præparatoriis & proximis quæ disponunt & præparant peccatorem, ad peccatorum remissionem consequendam. Neque enim ipsa pænitentia interna, seu contritio attingit affective, seu operatur immediate remissionem peccatorum, sed per pænitentiam, peccator præparatur & idoneus fit ut particeps fiat divinæ Misericordiæ, sine qua ipse sibi obicem ponit, quò minus Deus illi peccata condonet, neque enim congruum est aut consentaneum divinæ aut justitiæ aut etiam sapientiæ, ut ei peccata condonentur qui de peccatis quibus Dei justitiam graviter læsit, non seriò dolet, simulque non serio proposuerit secum, ab iis peccatis in posterum sedulo abstinere. Hoc ergo modo pænitentia concurrit ad justificationem peccatoris, quatenus eum præparat & disponit & idoneum reddit ad veniam capescendam & capacem misericordiæ Dei per Christum, removendo obstacula quæ peccatorem a Deo dirimunt & sejungunt. Hoc ipsum innuit Regius Propheta, compellans Dei nomine Judæos Esaiæ 1. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ob oculis meis——Venite jam & arguite dicit Dominus; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, veluti lana alba erunt] Ecce aperte innuit propheta, peccata gratiæ Dei obicem ponere, quæ ubi pænitentiâ, præveniente amoventur, ibi divina Misericordia parata est & præsto peccatoribus.

6. Est propositum de cætero non pecandi. Hoc opus virtualiter includitur in ipso

dolore de offensa, nemo enim seriò dolet de Dei offensa qui non simul pro-pronit declinare offensam tam gratiosi Dei, simulque non proponat de cætero non peccare.

7. Est propositum vitæ novæ. Ezek. 18. projicite omnes iniquitates a vobis vestras, & facite vobiscor novum & spiritum novum.

8. Est serium desiderium liberationis & reconciliationis cum Deo Peccator, hoc modo dispositus currit ad Christum mediatorem, in eumque totus quantus est, recumbit, ejusque satisfactionem & meritum, ob remissionem peccatorum, & acceptationem ad vitam æternam. Ex hisce aliquatenus patet, opera præparatoria perexigi ad justificationem.

Fides

Fides quæ sola justificat, non est sine spe & dilectione.

MEritò hæc quæstio instituitur adversus eos, qui opera præparatoria quæ ad justificationem peccatorem disponunt non admittunt. Superioribus Comitiis asserta est veritas Art. xi. nostræ confessionis qui sic habet, *Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem non propter opera & merita nostra justi coram Deo reputamur. Quare sola fide nos justificari doctrina est saluberrima ac consolationis plenissima, ut in Homilia de Justific. hominis fusius explicatur.* Ubi dicimus Tò justificare sumi debere in forensi significatione; idem. n. sonare atq; in judicio absolvere; seu a sententia condemnationis liberare; condonando scil: peccata, & peccatorem ad vitam acceptando.

Per Fidem dicimus intelligendum esse actum fiduciæ profectum ab affectu fiduciæ quo peccator tactus sensu peccatorum & de offensa Dei seriò dolens, spe veniæ inductus, fundata in promissione Evangelii, & dilectione Dei invitantis ad reconciliationem, confugit ad Christum Mediatorem & Redemptorem ejusq; satisfactioni & meritis innititur, confidit, recumbit ad justificationem, remissionem scil. peccati & acceptationem ad vitam æternam. Hæc siquidem est illa πανθεγχλίδε fides, quam justificantem indigitant Theologi.

Atq; hanc fidem justificantem Solam justificare dicit confessio nostra. Hanc particulam exclusivam addit non ad excludendum vel in actu justificationis, vel in persona justificanda concomitantiam aut coexistentiam operum præparatoriorum & dispositionum præviarum, sed cooperationem & vim justificatoriam in negotio justificationis. Illud enim hic imprimis monendum ut Solifidianorum calumniam nobis injustissime a Romanensibus impactam, abstergamus. Nos non quemlibet aut qualemlibet in Ecclesia peccatorem subjectum idoneum fidei justificantis statuere, sed peccatorem fide Catholica credentem, timentem pœnam, sperantem veniam, Deum ad reconciliationem invitantem, diligentem Deum, desiderantem liberationem, de peccatis & offensa Dei verè dolentem, prioris vitæ pertæsum ad novam anhelantem, justitiam item & meritum proprium abdicantem. Peccator nisi hoc modo dispositus fuerit, fiducialiter in Dei misericordiam & in Christum ut justificatorem & Salvatorem recumbere nec vult, nec cupit, nec potest. Hoc ergo est quod dictus Articulus suggerit, solam hanc fiduciam non opera quæ dicuntur præparatoria, non fidem Catholicam non timorem pœnæ, non spem veniæ, non dilectionem Dei invitantis ad reconciliationem, non dolorem de offensa Dei, non novæ vitæ propositum, imò nec ipsum fiduciæ actum insitâ aliquâ sua vi aut virtute morali, sed sola facultate naturali à gratia elevata & acta quâ conquiescit, recumbit, innititur, confidit, adhæret misericordiæ Dei promittentis, & Christi λύτρῳ & satisfactioni, esse illud medium quo S. Sanctus utitur ad applicandum dictam satisfactionem & merita Christi peccatori resipiscenti, ac proinde justificare prout exprimit Homilia de passione organicè & per modum instrumenti applicantis dictam satisfactionem, & justitiam partam sanguine Christi ad justificationem peccatoris, quæ omnia fuse docet Ecclesia nostra in præclara illa Homilia de justificatione seu salute, ad quam remittit Articulus: Homilia item de vera & viva Christiana fide; Homilia item de passione ex

quibus hæc nostra explicatio fere desumitur. Licet enim hæc opera prærequirantur in persona justificanda ad præparationem subjecti, ad applicationem tamen objecti Christi sc: Redemptoris & ejus satisfactionis ac meritorum, unum instrumentum immediatum est fides viva seu fiducia hæc salutaris quâ Christo Redemptori & ejus morti peccator confidit, adhæret, eique soli innititur, ut coram Deo Rege justo in solio sedente a peccatis absolvatur, & ad vitam æternam acceptetur.

Porrò dicimus dictam fidem seu fiduciam quæ sola dicto modo justificat non esse sine spe & dilectione. Quod ipsum Homilia de justificatione seu salute ad quam remittit artic. XI. fuse docet, explicans illud Apostoli ad Roman. 3. 23. Omnes peccaverunt & egent gloria Dei. 24. Justificantur autem gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu. 25. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus; & illud cap. 10 4. Finis. n. legis Christus ad justitiam omni credenti: & illud c. 8. 3. Quod impossibile erat legi quatenus infirmabatur per carnem Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, καὶ περὶ ἁμαρτίας (. 1.) victimam pro peccato, damnavit peccatum in carne. 4. ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum] ubi (inquit Homilia) tria concurrunt in nostra coram Deo justificatione. 1. ex parte Dei ejus misericordia & gratia. 2. ex parte Christi divinæ iræ per corporis sui oblationem & sanguinis effusionem satisfactio, unà cum perfecta Legis impletione. 3. ex parte nostri vera & viva fides in Jesu Christi meritis, & mox subjungit, S. Paulum ex parte hominis in negotio justificationis solius veræ & vivæ fidei meminisse, quæ tamen est donum Dei, non opus solius hominis absque Deo. Et tamen (inquit Homilia) fides illa non excludit pœnitentiam, spem, dilectionem, & timorem Dei, quò minus concomitentur fidem in persona justificanda, sed hæc ipsa opera excludit ab officio seu negotio justificandi, & quamvis coexistant unà in justificato, non tamen unà justificant. Similia plane habet Homilia dicta in parte secunda ubi ait hanc sententiam, nos justificari sola fide, quam arcessit ex Patribus Græcis & Latinis quos ibidem enumerat, non ita ab iis intelligi ac si fides justificans esset in homine sola absque resipiscentia, spe, dilectione, metu & timore Dei, vel ullo temporis momento. Et postea in eadem Homilia, ait verum sensum illius enuntiati nos justificari gratis fide absque operibus, vel fide sola in Christum, hunc esse, ut quamvis audiamus verbum Dei, eique credamus, quamvis habeamus fidem catholicam, spem, dilectionem, resipiscentiam, metum & timorem Dei, & opera alia quantacunque præstemus, tamen omnium harum virtutum & operum meritis renuntiandum esse; sive quæ fecimus, sive quæ facturi sumus, vel facere possumus, ut quæ infirma sunt, & imperfecta, nec possunt mereri remissionem peccatorum, & justificationem, ideoque omnem fiduciam collocandam esse in Dei misericordia, & sacrificio Christi in cruce oblati, ad impetrandam remissionem peccatorum. Hæc ipsa fusius recensui ut liquido omnibus appareat nos in explicatione nostra κατὰ πόδας insistere in vestigiis Matris Ecclesiæ, nec ab iisdem vel latum unguem discessisse.

Ex hisce perspicuum est juxta explicationem nostræ Ecclesiæ fidem quæ sola justificat non esse sine spe & dilectione.

Sed adhuc diligentius paulo inquirendum est quænam sit illa spes, & quænam sit illa dilectio sine quibus non existit fides quæ sola justificat.

Præmittendum ergò hic agi de spe & charitate quæ antecedanea sunt ad justificationem, et inter opera præparatoria recenseri solent, sic. n. in locis supra citatis, spes & dilectio accipienda sunt.

Et ut prius de spe agamus. Spes denotat vel { Spem veniæ seu remissionis peccatorum. / Spem præmii essentialis seu vitæ æternæ. }

Illa autem spes quæ disponit ad justificationem est proprie loquendo spes veniæ seu impetrandi remissionem peccatorum. Nascitur autem ista spes ex fide Catholica (. 1) ex

ex firmo assensu promissionibus divinis adhibito; ex fide etiam bonitatis, clementiæ ac misericordiæ Dei per Christum. Recte Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 1, Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.

At spes præmii essentialis seu vitæ æternæ non est nisi justificatorum, id quod clarè docet Apostolus Rom. 5. Justificati ergo ex fide pacem habemus erga Deum ——& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei] Ubi clarè docet Apostolus ex justificatione per fidem —— nasci spem gloriæ Dei & ver. 4. & 5. docet experientiam efficere spem non confundentem eò quod charitas Dei [sc. qua nos diligit] diffusa sit in cordibus nostris per S. Sanctum qui datus est nobis] spes siquidem gloriæ futuræ fulcitur certo testimonio conscientiæ ex S. Sancti dono nos a Deo diligi.

Quod ad dilectionem attinet, animadvertendum est in Scripturis & etiam in Patrum scriptis promiscuè sumi amorem, dilectionem & charitatem : unde Augustinus, de civit. Dei. lib. 14. c. 7. de hisce tribus vocibus disserens ait eas cum in bono accipiuntur in sacris literis, idem significare; Juxta Scholam tamen ita distinguuntur hæ voces, ut amor latius pateat dilectione, & dilectio charitate; ut Amor non solam spiritualem affectionem sed & carnalem & vitiosam denotet, sive cupiditatem; Dilectio denotet bonam voluntatem qua, seu bonum voluntatis motum quo Homo diligit Deum ut justitiæ authorem & gratiose invitantem inimicos ad reconciliationem; nascitur iste motus animi ex promissione salutis omnibus in eum credentibus & gratiosis invitationibus Christi qualis est ista, Venite ad me omnes qui fatigati estis & ego reficiam vos; est tamen ista dilectio non nisi inchoata, post justificationem perficienda. Neque enim adhuc diligitur Deus ex toto corde & supra omnia, efficit tamen ut doleamus de offensa Dei, atque ut sic præparat etiam ad justificationem ut recte annotavit Andr. Vega. lib. 6. c. 28. & 30. De hac dilectione loquitur Servator, Joan. 14. Siquis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus] Hic prior est dilectio Dei, & posterior Trinitatis in homine mansio seu inhabitatio. Deus autem ad nos inhabitandum venire censetur quando per remissionem peccatorum propitius efficitur. Apostolus item sic habet. 1. Cor 16. Si quis non amet D. nostrum Jesum Christum sit Anathema (inquit)] Sed impium esset execrari Catechumenum aut pœnitentem ad gratiam remissionis peccatorum anhelantem, etiam si illam nondum sit consecutus; Ejusmodi igitur Catechumeni & Pœnitentes amant D. nostrum Jesum Christum per quem sperant consequi remissionem peccatorum. Similiter loquuntur Concilia. Arausic. 11. can. ult. Deus nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat ut Baptismi sacramentum fideliter requiramus] ex sententia ergo PP. Arausicanorum Catechumenus competens qui baptismum fideliter requirit, ut consequatur remissionem peccatorum, habet Dei amorem sibi inspiratum à Deo, antecedaneum ad dictam remissionem] Ex dictis patet dari dilectionem quæ præparat & disponit peccatorem ad justificationem, atque adeò ad justificationem est necessaria, ut absque ea fides justificans nec habetur nec haberi potest, certum est fidem quæ justificat absque hac dilectione non dari. Sed aliter philosophandum est de charitate proprie dicta quæ denotat actum infusæ charitatis habitus, quo donantur homines justi Deo reconciliati, in filios adoptati, qui ordinat omnes actus aliarum virtutum infusarum ad ultimum finem, æternam beatudinem. Hoc dono diligitur Deus supra omnia non solum ut author naturæ, sed & supernaturalis beatitudinis. Atque ista charitas sequitur remissionem peccatorum & justificationem ac proinde fidem justificantem. De hac charitate sic Apostolus. 1 Tim. 1: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta] At ante justificationem nec purum est cor hominis nec conscientia bona. &. 1. Joan. 3. 1. videte qualem charitatem dedit nobis pater ut filii Dei nominemur & simus & cap. 4. 7. omnis qui diligit ex Deo natus est. & ver. 13. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis expleta & perfecta est] ubi videmus hanc charitatem esse peculium filiorum Dei & conferri solis illis qui donantur jure filiorum, ac proinde illis qui prius naturâ justificantur. Actus enim fiduciæ est ille actus qui solus applicat mortem & passionem Christi ad remissionem peccatorum & justificationem, quo tempore infunduntur habitus omni-

um virtutum atque adeò ipsius charitatis cujus munus est imperare actus omnium aliarum virtutum infusarum eosque ordinare ad ultimum finem. Prius ergo natura placatur Deus fide in sanguinem Christi, prius natura remittuntur peccata, prius justificatur peccator, quam infunditur charitas, quam fides per charitatem operatur. Dico signanter prius natura, nullum. n. instans temporis datur in quo remittuntur peccata, & non infunditur charitas. Ad remissionem. n. peccatorum sequitur concomitanter donatio Spiritus, & infusio donorum atque adeo doni eximii charitatis. Atque hoc est quod dixit Lutherus in 2. c. ad Galatas. Fidem sine & ante charitatem justificare.

Neque dici potest fidem quæ sola justificat spem & charitatem in sua formali ratione includere, siquidem sic non vere diceret Ecclesia nostra fidem solam justificare. Ex Ecclesiæ. n. nostræ germano sensu supra commemorato fides sic sola justificat ut in actu justificandi nihil aliunde ab aliis sc: virtutibus efficaciæ sumat, nihil mutuetur, sed sua quadam insita ac propria efficientia instrumentali effectum justificationis producat quatenus ejus solius non alterius cujuscunque virtutis munus est niti, confidere & adhærere Christo Redemptori, & ejus λύτρῳ & meritis ob remissionem peccatorum, & acceptationem ad vitam æternam. Non præstat hoc spes præmii, non charitas, nec altera virtus quæcunque tandem illa sit: Totum hoc quantumcunque sit soli fiduciæ huic acceptum referri debere intrepide pronuntiamus. Sit spes in justificato, & ad hæreditatem conscripto, promissæ hæreditatis expectatrix sit charitas, Dei jam Patris indulgentissimi actu suo elicito ex toto corde dilectrix, sit omnium aliarum virtutum actuum imperatrix, etiam ipsius dictæ fiduciæ in Christum Mediatorem quoties novum peccatum admittitur, eorumque omnium ad consecutionem ultimi finis æternæ sc: salutis ordinatrix. Attamen in foro justificationis Scriptura disertè docet Nos non tantum cum ex impiis facti sumus justi primitùs fide in sanguinem Christi justificari, sed & post justificationem & remissionem peccatorum semel adeptam sola hac fiducia in Christum Redemptorem, in justitia parta permanere hâc solâ à novis quibuscunque peccatis justificari. Non. n. solum injustus ex fide fit primò justus, sed & justificatus ex fide manet justus. Justus. n. ex fide vivit dicente Propheta Et vitam quam nunc vivo in carne dicit B. Paulus, vivo per fidem filii Dei] & hac sola quilibet justus a quotidianis lapsibus absolvitur, & si quando justus in gravia & atrocia peccata inciderit (quomodo ceciderunt sanctissimi viri David & Petrus, non alio modo recidivantes restituuntur quàm cum primitùs justificantur. Etsi. n. actibus præparatoriis supradictis, potissimum actibus pœnitentiæ, & desiderio liberationis disponantur ad novam cum Deo reconciliationem, non tamen nisi interveniente novo actu hujus fiduciæ in Christum Redemptorem & ejus sanguinem, mors & merita Christi applicantur ad novum contractum reatum abluendum, totum hoc quantumcunque est, est hujus fiduciæ salutaris in Christum & ejus merita de novo innitentis & recumbentis [unde Apostolus cum profert exempla justificationis nostræ ad Rom. 4 non modo meminit justificationis impiorum cum primo fiunt justi, sed & ipsorum piorum justificationis nimirum Abrahæ decennio fere postquam conversus est ad fidem, De quo dicit Scriptura Genes. 15. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam: justificationis item Davidis renati, Beatum item pronuntiantis eum hominem cui Deus imputat justitiam absque operibus. Esto igitur dicamus fidem quæ sola justificat non esse sine spe veniæ, non esse sine delectione ad justificationem disponentibus; esto non sit sine spe præmii hæreditatis cœlestis, nec sine charitate quam ex toto corde sincere diligitur, ut concomitantibus tamen hæc nihil impediunt quo minus in foro justificationis, Fides sola justificet, sola impetret remissionem peccatorum.]

Sed & aliæ rationes efficaciter evincunt de hac justificatione per coadunationem trium Theologicarum virtutum (Fidei, Spei, & charitatis) uti appellat Schola, ne per somnium cogitâsse conditores Articulorum Religionis, & Homiliarum ab iis approbatarum. Siquidem

I. In homilia de justificatione seu salute ad quam remittit nos Art. xi. de hominis justificatione: Fides quæ sola justificat contra-distinguitur spei & dilectioni, eo modo quo contra-distinguitur metui, timori, pœnitentiæ, ergò in sua notione non

magis

magis includit illas quam hasce; imperitissime certè in Homilia tam studiosè contradistingueretur ab hisce fides quæ justificat; siqua justificat hasce virtutes suo sinu complecteretur.

II. Fides quæ sola justificat, qua justificat, & istæ Theologicæ virtutes differunt objectis. Objectum fidei justificantis est Christus Redemptor & λύτρον & satisfactio ab eo persoluta; at objectum Fidei Catholicæ est prima veritas Objectum Spei est promissa hæreditas & æterna beatitudo; quid hæc ad forum justificationis? Objectum charitatis est Deus ut Pater, quæ virtus supponit justificationem non; enim diligitur Deus ut Pater nisi reconciliatio præcesserit.

III. Fides quæ sola justificat juxta Artic. xi. justificat forensi significatione, sic Homilia de justificatione. Hoc etiam fuse demonstrat. Reverendiss. Wintoniens. concione illapræclara in illud, Jehovah justitia nostra. Justificat ergo qua coram Rege justo in solio sedente liberat à condemnatione propter satisfactionem Christi imputatam, & condonatis peccatis justos homines pronuntiat. Sic uno ore Protestantes, quo sensu perpetuo in negotio justificationis sumuntur vox Hebræa Hitzdic & vox Græca δικαιῦν. At dictæ tres virtutes si justificant, non justificant nisi ad justitiam disponendo vel physicè justos faciendo, infundendo inhærentem justitiam, cujus acceptionis vocis justificationis, ubi agitur de negotio justificationis coram justo Rege in solio sedente, altum silentium in sacris literis.

IV. Fides quæ sola justificat, juxta articulum & Homilias justificat, gratis remittendo, peccata condonando, tegendo, non imputando, in profundum maris projiciendo, idque prius natura quam infundatur inhærens justitia aut sanctitas. At posita justificatione, per tres dictas virtutes. justificatio non fit gratuita remissione sed deletione, abolitione, aut physica expulsione peccati. At longè aliud est remittere peccatum ac delere peccatum. Nam 1. remissio peccati & justificatio forensem habent significationem unde justificare & condemnare opponuntur τὸ remittere & τὸ punire; at deletio & purgatio physicam actionem denotant & physicam significationem habent. 2. remissio est actus individuus & simul & semel fit totus, deletio peccati est actus dividuus & gradatim perficitur. 3. remissio peccati est actus perfectus at deletio peccati est actus imperfectus cum reliquiæ peccati in hac vita semper supersint delendæ. 4. remissio peccati est vel integra justificatio, vel saltem pars integrans justificationis unde ad Roman 4. Apostolus videtur confundere justificationem & remissionem peccatorum. At deletio peccati est formalis effectus justitiæ inhærentis, non justificatio aut part integrans justificationis. 5. Remissionis peccati objecta sunt reatus & pœna, Deletionis fœditas & macula peccati. Alia discrimina omitto.

V. Fides quæ sola justificat juxta Homiliam licet non excludit in persona justificata præsentiam, aut coexistentiam, aut concomitantiam spei aut charitatis tamen disertis verbis excludit vim omnem cooperatoriam harum virtutum in officio seu negotio justificationis, non ergò junctis viribus cooperantur in actu justificandi; Sed sola fides justificat quomodo non obstante cohærentia & unione omnium membrorum in corpore integro tamen solus oculus videt, sola lingua gustat.


VI. Fides quæ sola justificat, justificat organice seu per modum instrumenti applicantis satisfactionem Christi ad remissionem peccatorum, & est unicum medium seu instrumentum quo applicatur dicta satisfactio ut in Homil. de salute & de passione clare asseritur, non sic spes aut veniæ aut præmii justificat, non sic dilectio aut charitas, quis. n. Theologus unquam affirmavit spem aut charitatem organicè applicare satisfactionem Christi; ergò contra receptam doctrinam nostræ Ecclesiæ asseritur hæc novella justificatio coram Rege justo in solio suo sedente per istam coadunationem triumTheologicarum virtutum Fidei, Spei & Charitatis.

VII. Fides quæ sola justificat juxta Artic. xi. de justificatione, & ejus commentarium Homil. de salute ita justificat ut hac fide justificati sistantur perfecte justi in foro justificationis coram Rege justo sedente in solio, cum non nitatur suâ virtute morali sed virtute & dignitate Christi Redemptoris in quem tota recumbit, & ejus satisfactione & meritis. At nec dictæ tres virtutes Fides, spes & charitas; aut ullæ aliæ virtutes, aut earum actus consistere possunt coram tribunali Dei in foro justifica-

tionis cum omnes sint imperfectæ & culpabilem defectum adhærentem habeant. De ipsis habitibus virtutum audite Augustinum. Virtus quæ nunc est in homine justo hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat ipsius imperfectionis & in veritate cognitio & in humilitate confessio [cont. 2. epist. Pelag 3 7.] ubi ergo perfecta habitualis justitia? Manere certe aliquid vetustatis in perfectissime renatis passim docet Paulus, passim Augustinus; De actuum itidem imperfectione æquè certa & explorata res est. Artic. XII. Bona opera divini judicii severitatem ferre non possunt. Imperfectiones & culpabiles defectus optimis renatorum operibus adhærere non semel Homiliæ pronuntiant sed crebro inculcant. Ex parte cognoscimus inquit Apostolus, ergo ex parte credimus in Deum, ex parte expectamus beatitudinem promissam, , ex parte etiam Deum diligimus. Quamdiu. q. aliquid carnalis concupiscentiæ inest quod vel continendo frænetur, non ex toto corde diligitur Deus, inquit August. de perfect. Iustit. Unde in hora mortis forum justitiæ declinant & ad forum misericordiæ omnes recte instituti Christiani currunt & confugere solent. Ubi ergo perfecta illa justitia, quæ coram Rege justo in solio sedente consistat?

Addo hanc nostram explicationem fidei quæ sola justificat per manus tradidisse nobis Ecclesiæ nostræ lumina, conditores Articulorum & Homiliarum compilatores tum temporibus Edovardi VI. quo primum conditi sunt in Synodo Londinensi sub præsidio Beatissimi Martyris Th. Cranmeri, tum temporibus Elizabethæ Reginæ in altera Synodo sub præsidio Reverendiss. Archiepiscopi Matthæi Parkeri. Quibus accedant ex illorum temporibus, Reverendissimi Archiepiscopi, & Reverendi Episcopi, qui de hoc articulo scriptis aliquid prodiderunt. In quibus sunt Reverendi Episcopi; Joannes Sarisburiensis, Thomas Dunelmensis, Juellus Sarisburiensis, Lancellotus Wintoniensis, Robertus Sarisburiensis, Franciscus Eliensis, Arthurus Bathoniensis, Joannes Norvicensis. Mitto doctissimos Professores, Martinum Bucerum, P. Martyrem, Noellum, D. Humfurdum, Fulconem, Whitakerum, Rainoldum, Hookerum. Feildium; qui omnes hanc ipsam de Fide quæ sola justificat veritatem tradiderunt, & posteris fideliter transmiserunt. Addo Regiam Majestatem in declaratione non ita pridem articulis Religionis præfixa, confirmâsse & ratos habuisse dictos articulos & verbo Dei consentaneos, & simul Prohibuisse nequis a dictis articulis vel minima ex parte discrepantem doctrinam doceat; aut affingat novum sensum articulo alicui publica authoritate stabilito. An. a. sola fide justificari excludente spem & dilectionem ut concausas in negotio Justificationis, prout habetur in Homilia ad quam refert Articulus XI; sit fide formata spem & charitatem suâ notione includente, omnibus sano intellectu præditis, dijudicandum relinquo. Côncludo, fidem quæ sola justificet, sine fide & dilectione non ut coexistentibus, sed ut cooperantibus in officio justificandi, justificare.

Fides



Fides salutaris, est Christi appropriativa.

HÆc quæstio merito instituitur variis de causis. 1. adversus Pontificios qui nullam fidei distinctionem admittentes, fidem Catholicam cum salutari & justificante confundunt. 2. ut stabiliatur fidei distinctio e scripturæ fundamentis. 3. ut fidei salutiferæ natura & proprietates explicentur & demonstrentur; per fidem salutarem intelligimus illam fidem, cui & quidem soli (quicquid aliter sentiant Romanenses) vis justificandi sine operibus passim in scripturis tribuitur; fidem illam ex qua justus vivit, ex qua in filios Dei adoptamur, ex qua pacem habemus cum Deo, quæ corda hominum purgat, quæ per dilectionem operatur, ut alia hujus fidei elogia præteream, quæ passim in sacris literis occurrunt.

Porro dicimus inter alia elogia hoc non esse infimum, quod hæc fides sit Christi appropriativa, quatenus scilicet Christum ipsum, ejusque passionem, mortem, merita, obedientiam quæ ut ἀντίλυτρον copiosum pro toto genere humano ipse patri suo obtulit; & pater ut abunde sufficiens ad omnes redimendos acceptavit, quatenus inquam hæc merita & hanc mortem omnibus in ministerio evangelii oblata, cuilibet vere credenti infallibiliter actu applicet & appropriat.

Romanenses contendunt ad hanc applicationem Christi & ejus meritorum, non sufficere fidem, sed multas alias dispositiones requiri, spem veniæ, timorem pænæ, dilectionem Dei invitantis ad salutem, dolorem de peccatis, propositum novæ vitæ, & id genus alia, & certe hæc omnia ad hanc applicationem Christi suo modo sunt necessaria ad personam justificandam rite disponendam & præparandam; sed jam quærimus quodnam sit illud immediatum organum seu instrumentum quod sua peculiari vi & efficacia, applicat Christum & ejus merita ad justificationem, in persona rite disposita & præparata. Hoc nos contendimus esse fidem; sed non omnem, sed salutarem; nec fidem cum aliis virtutibus cooperantem, sed solam; Catholica fides seu dogmatica quam unam admittunt Romanenses, non magis Christum respicit & ejus merita, quam alia obiecta fidei, imo Christum & ejus merita quæ sunt termini incomplexi, non respicit, cum tantum versetur circa propositiones integras in verbo divino revelatas, nihil aliud cum sit quam assensus veritatibus complexis divinitus revelatis, quas omnes ex æquo respicit, & longe aliter philosophatur scriptura de fide salutari, quæ speciali ratione versatur circa Christum & merita ejus ut terminos incomplexos & eorundem debitam applicationem. Id quod non incommode forsan explicabimus & simul demonstrabimus, accurate perpendendo syllogismum cujus propositio in Evangelio sæpe inculcatur, quo fideles suam in fœdus gratiæ receptionem inferunt ac concludunt; ubi una eademque opera, variæ species fidei sese nobis offerent, ex quarum distinctione, & collatione, magis elucescet hujus fidei salutaris proprietas, sic enim ratiocinatur fidelis. Quisquis credit in Christum, illi sunt remissa peccata. Ego credo in Christum. Ergo Mihi sunt remissa peccata. Hic assensus majori adhibitus exhibet nobis actum fidei Catholicæ, seu dogmaticæ; Minor exprimit actum fidei salutaris, seu justificantis; Assensus conclusioni, exprimit actum fidei specialis applicantis fideli promissionem generalem. Iam ostendemus hanc proprietatem appropriandi Christum & ejus merita I. non competere fidei Catholicæ, cujus actus in propositione exprimitur; nec II. fidei speciali applicanti generalem promissionem credenti quam exprimit Conclusio, unde sequetur

hanc esse propriam affectionem fidei salutaris & justificantis, quam minor exprimit.

1. Ostendemus hanc proprietatem non competere fidei Catholicæ, seu assensui adhibito generali propositioni evangelii. Nam licet fides Catholica quâ assentimur conditionali promissioni generaliter propositæ, quicunque credit in Christum, habebit vitam æternam, seu illi remittuntur peccata, sit tum fidei justificantis, tum hujus applicationis basis & fundamentum, unde necessario præexigitur actus iste ad hanc applicationem; non tamen est illa virtus, aut illius virtutis actus, quâ hæc appropriatio Christi & ejus meritorum fit; siquidem iste actus quo assensus fit promissioni generali, præstari potest & elici a non-justificato; siquidem multi impii in Ecclesiæ gremio enutriti audito verbo evangelii assentiuntur generali promissioni Evangelii, sic Herodes, sic Simon Magus; Ac illa fides quæ appropriat Christum & ejus merita est propria credentium & piorum. Hinc Scriptura ait, nos filios Dei fieri per fidem in Christum Jesum. Gal. 3. 26. fide purgari corda, quæ non sunt effecta semper comitantia fidem Catholicam.

2. Ostendo hanc proprietatem, appropriandi Christum non competere fidei speciali generalem propositionem applicanti, nam 1. hæc appropriatio sive applicatio specialis promissionis semper supponit ac præexigit hanc applicationem Christi & ejus meritorum. Jus enim quod habeo in beneficiis partis sanguine Christi, fundatum est in illo jure prævio quod habeo ad mortem & merita Christi, quod jus acquiritur fide salutari, mortem & merita Christi applicante, cum mors Christi sit causa meritoria omnium beneficiorum salutarium 2. cum in propositione Evangelii quod fœdus gratia continet duo sunt consideranda { 1 Conditio fœderis. 2 Res promissa.

Nemo jus habet ad rem promissam, nisi præstita conditione cum ergo conditio fœderis sit ut credamus in Christum; res promissa, remissio peccatorum, & jus ad vitam æternam ex tenore fœderis. 1. credendum est in Christum, 2. deinde applicatio sit specialis remissionis peccatorum & vitæ eternæ. 3. objectum hujus fidei specialis applicantis promissionem, sunt res promissæ in fœdere seu beneficia salutaria promissa, qualia sunt justificatio, remissio peccatorum, sanctificatio, unio cum Christo, adoptio, vita æterna. At objectum fidei salutaris & justificantis sunt Christus ipse qua Mediator, satisfactio Christi, mors Christi, justitia Christi, merita Christi, ordo autem postulat in pangendo fœderes, ut prius applicemus nobis Christum & ejus merita, deinde applicemus beneficia salutaria; id quod in omni fœdere cernere licet

ut { 1. Conditio præstetur. 2. Res promissa, consecuta.

3. ergo in loco ostendendum hanc proprietatem appropriandi Christum esse propriam affectionem fidei salutaris, cujus actus in minore exprimitur, hisce verbis, ego credo in Christum; hîc ergo explicandum est, quid sit credere in Christum, desumitur hæc φράσις seu formula loquendi ex Veteri instrumento, neque enim occurrit in scriptis Gentilium; Ac licet aliquando credere in aliquem, & credere alicui in scripturis promiscue usurpantur, idemque significant, longe tamen frequentius distinguuntur, & plerumque idem sonant, credere in aliquem, & fiduciam in aliquo collocare, præsertim quando usurpantur ad exprimendam conditionem gratuiti fœderis, sic Michæ 7. 5. ne credatis in socio, ne fidatis in duce, sic Psal. 78. 22. quia non crediderunt in Deo, nec confisi sunt in salute ejus, & ubi novum Testamentum exigit fidem justificantem; ibi vetus testamentum præcipit fiduciam, & in novo Testamento eadem tribuuntur fidei; quæ in veteri, fiduciæ, & in novo Testamento eadem promittuntur credentibus, quæ in veteri, confidentibus, qualia sunt Novi fœderis beneficia, Remissio peccatorum, justificatio, adoptio, beatitudo & similia, denique in Symbolo juxta explicationem sanctorum Patrum, imprimis Augustini, aliud est credere Deo, aliud credere in Deum: est autem credere in Deum juxta Augustinum, Credendo in Deum ire, in Deum tendere, Deo adhærere. Actus fidei salutaris secundos actus notione sua includere

{ 1. Ire, tendere, venire ad christum. 2. Christum amplecti, eique niti, & adhærere.

Hinc est quod in Psalmis Deus toties dr. nostrum perfugium, firmamentum, fortitudo, petra,

petra, turris, rupes, scutum, præsidium, cornu sa ut s, auxilium, spes, fiducia.

Recte Cyprianus, non credit in Christum qui in eo solo non collocat totius suæ fœlicitatis fiduciam; Credere ergo in Christum, est fiduciam in Christum propositum in Evangelio, in salvatorem, & redemptorem collocare. Atque hic per fiduciam intelligo actum fiduciæ profectum ab affectu fiduciæ; Est autem fiducia quæ affectum denotat, affectus ille, quo voluntas vel appetitus adhæret alicui medio, quod judicatur vel solum vel cum aliis sufficiens vel potens ad finem aliquem quem volumus vel appetimus, arduum, possiblem tamen consequendum; est autem iste affectus fiduciæ, affectus distinctus ab affectu spei. Nam 1. spes est finis, fiducia mediorum. 2. spes est futurorum & absentium, Fiducia rei præsentis, ut recte observavit Scal g. exercit. 314. 3. distinguuntur actibus; Actus fiduciæ est confidere, quem Hebræi exprimunt per Shagnam, Batach, & Casah. Actus spei est expectare, quem Hæbræi exprimunt Jakal Kavah, & Caeah. 4. spei opponitur desperatio, fiduciæ diffidentia, alia discrimina prætereo, ex hisce differentiis constare potest quomodo recte distinguuntur actus horum affectuum qui tamen sæpe iisdem vocibus designantur. Hisce sic positis, dico, fidem salutarem, id est fiduciæ affectum recumbentem in Christum mediatorem seu redemptorem seu quod eodem recidit in Christum qua λύτρον seu satisfactionem præstantem, esse actum illum quo Christus ut redemptor, & ejus λύτρον, & satisfactio nobis applicantur & appropriantur. Est enim objectum hujus fiduciæ, ut causa efficiens meritoria persona Christi quâ Mediator, ut causa materialis Christi λύτρον satisfactio seu meritum id quod vel inde probatur. Illud est objectum fides Justificantis, ex cujus applicatione formaliter justi constituimur coram tribunali divino. At Christi justitia, & satisfactione, & merito applicatis, formaliter justi coram tribunali Dei constituimur ergo Christi justitia & satisfactio sunt objectum fidei justificantis.

Major patet, ex eo quod fides justificans est illa quæ applicat justitiam quâ justi efficimur, Minor patet ex plurimis scripturæ testimoniis in quibus asseritur, nos justificari, justitia Dei, obedientia Christi, sanguine Christi, fide in sanguine Christi, morte Christi, aliena scilicet justitia sed nobis imputata, atque hinc patet nos non formaliter justificari applicando promissionem Evangelii in speciali, quia promissio Evangelii in speciali non est formalis causa justificationis, neque enim Deus promissionem Evangelii in speciali nobis imputat ad justitiam; dicendum tamen assensum generalem promissioni Evangelii esse radicem fidei justificantis, atque adeo justificationis, & applicationem specialem promissionis evangelii esse effectum fidei justificantis, ut supra monuimus. Idem esto judicium de speciali misericordia quæ nihil differt a speciali applicatione promissionis; Idem etiam sentiendum de applicatione beneficiorum partorum morte Christi, qualia sunt justificatio, remissio peccatorum; Idem etiam de persuasione speciali de remissione peccatorum. Illud tamen adjiciendum, subjectum hujus fiduciæ, seu fidei salutaris non esse nisi cor contritum, spiritum contribulatum, sub insitæ pravitatis & rebellionis onere ingemiscencem, iræ divinæ ob peccatum conscium, justitiam & meritum proprium penitus abdicantenm cor sic contritum confugit ad Christum, illi se totum applicat, in ejus merito conquiescit; prærequiritur igitur vera pœnitentia in persona justificanda ad præparationem subjecti; ad applicationem tamen objecti, Christi scilicet & ejus meritorum, unicum organum & instrumentum immediatum est fides hæc salutaris.

Hanc sententiam nostram optime exprimit Bernardus, Sermon. 22. in Cantica. quisquis pro peccatis compunctus, esurit & sitit justitiam, credat in eum qui justificat impium, & per solam fidem justificatus, pacem habebit apud Deum.

Hisce ita explicatis, sententia nostra confirmatur ex eo quod juxta Scripturas satisfactio & meritum Christi non alio instrumento ex parte justificati applicatur, quam hac fide salutari.

Apostolus ait, obedientia unius multos constitui justos, & nos habere Redemptionem per sanguinem ipsius, & Apostolus Joannes sanguis Christi purgat nos ab omni peccato; sed non sanguis qua Deo in λύτρον oblatus, sed qua nobis applicatus, nobis appropriatus, idque non aliter fit quam fide seu fiducia hac salutari, sic Apostolus ad Romanos, cap. 3.25. Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine suo] Christus ergo propositus est in placamentum, sed quomodo per fidem recumbentem

bentem in sanguine ejus; hanc nostram sententiam optime etiam explicant veteres agendæ quæ usurpari solebant in visitatione infirmorum, unam tantum proferam ex formula quam dicitur Anselmus Cantuariensis composuisse, quæ operi ejus epistolarum manuscripto inserta reperitur. In illa formula quomodo à Cassandro edita est. Hæc interrogatio & responsio extat, credis te non posse nisi per ipsius (Christi scilicet) mortem salvari Resp. Infirmus, etiam, tum subjungit Sacerdos; Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, totum confige, hac morte te totum involve, en quam emphatice, & diversimodo, vim & virtutem appropriativam fidei salutaris exprimit. Et si Dominus Deus te voluerit judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium; Aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic. Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & mea peccata; si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo, inter me & mala merita mea, ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, non habeo. Huic liceat adjicere aliud testimonium alterius Episcopi Angli Joannis Fisherii quondam Reginalis Collegii præsidis, deinde Episcopi Roffensis, qui hanc Cathedram D. Margaretæ Lecturæ dicatam, primus occupavit, qui ex fundatione ejusdem D. Margaretæ primus Lector ejusdem Lecturæ creatus & ordinatus est, Is insigni opusculo de fiducia & misericordia Dei à Cassandro primum edito Colonæ 1556, quod Sixtus Senensis in præfatione, seu Bibliothecæ falsissime Bucero inscribit, & pessima fide in nupera sublata editione Coloniensi operum istius Roffensis omittitur. Is nostram thesim ubique in isto libello asserit, unum tantum locum producam, Duodecimum axioma sic habet, fiducia igitur nostra in Christum esse debet, per cujus merita salutem resipiscentibus Pater daturus est gratis, Neque enim ob industriam nostram fidendum est, sed ob unius Jesu Christi merita, In cujus explicatione hæc habet; prima ratio salutis nostræ, fides est in Christum, sine qua nihil agitur, & per quam assequimur omnia, modo viva sit: & à malis operibus abstinere, pariter & bonis, quum opportunitas data fuerit, propter Christum insudare, constituerimus. Hæc sola fides est quæ justificat: Atque ideo Paulus fidem vocat ejusmodi quæ per dilectionem operatur. Quisquis enim nova secum constituta vitâ, verè sentit se conversum à peccatis ad Christum, spem suam omnem reponens in ipsum, is vere justificatus est etsi nondum habuerit opera. Quod siquis habuerit opera, non illis fidendum est, sed judicium operum suorum Deo permittat omnino, nam quo minus ipsi nostra probaverimus opera, tanto futuri sumus acceptiores Deo, tantoque chariores habendi prorsus, periculum certè non exiguum est ad opera spectare: nam si mala sint inde mox oritur desperationis occasio, sin bona fuerint, facile nobis ob ea placentes: per inanem gloriam amittemus quicquid erat in iis meriti. Quare tutissimum est ut sive adsint, sive non adsint, tota nostra spes in Christum feratur, qui gratis unumquemque salvat.

Plura non addam, memor temporis.

Superest jam (Auditores spectatissimi) ut vobis qui tantâ frequentiâ huc confluxistis gratias condignas persolvamus, qui Almæ Matris Comitia anniversaria, honoris theatrum amplissimum solitâ vestrâ præsentiâ cohonestare dignati estis, imprimis verò quòd certantibus in pulvere Theologico aures attentas & benignas accommodastis: Hæc scilicet erat majorum nostrorum summa prudentia, ut solennes disputationes in omni scientiarum genere hisce vesperiis haberentur; ut viris doctis in hoc theatro publici honores & gradus decernerentur non tamen absque suæ virtutis in hoc certandi genere prævio specimine, ut horum exemplo alii ad similia studia incenderentur. Horum omnium vos testes, imò judices estis, annuente & decernente iò indulgentissima Matre Academia, quæ non parum lætatur anniversario hujus celeberimæ coronæ conspectu. Accedat tantum candor & æquanimitas vestra, & Almæ Matri anniversaria sua Comitia celebranti omnia fausta & felicia precamini.

Tempus jam monet ut receptui canamus (Ornatissime & Doctissime st. Tua mihi diu comperta & erga Deum pietas & morum probitas, & eruditio insignis efficiunt, ut non possim non seriò gratulari de hodiernis tuis laboribus tam præclarè susceptis

ſuſceptis, tam feliciter tranſactis. Macte tua virtute, & eruditione ſingulari cujus egregia ſpecimina hodierno tuo cum tot veteranis congreſſu tum antehac tam concionando quam diſputando Almæ Matri Academiæ exhibuiſti, edidiſti. Reſtat horum laborum præmium craſtino die (decernente venerando patre) reportandum. Te ex hac palæſtra poſt tot tam fortiter exantlatos labores dimittimus, liberamus.

Te autem Reverende Pater nos omnes meritò beatum prædicamus, qui Filios tali ingenio præditos quotannis in hoc Theatro exhibes. Tu itidem nos omnes beare ſoles ſalutaribus iſtis præceptis & monitis, quibus filios tuos doces, inſtruis, ad omnia Theologiæ munia inſtituis. Tibi in hoc ampliſſimo theatro gratias promeritas referimus, honoreſque tot tantiſque anniverſariis laboribus debitos mandamus, decernimus.

Vobis etiam Graviſſimi Viri eſt quòd gratias agamus pro veſtris in hoc pulvere Theologico laboribus ſuſceptis: qui veſtris velitationibus, inſtituitis in Theologia inceptores qua ratione cum hoſte vero ſiquando opus fuerit in hac arena congrediendum ſit. Vos igitur meritis veſtris honoribus affectos dimittimus.

Jam accedo ad te venerande Pater cujus partes nunc proximæ agendæ ſunt, Tuum eſt pro ea qua maxime poſſes facultate, facultatem tuam Sacroſanctam Theologiam, ſcientiarum principem ſuis meritis laudibus apud hanc ampliſſimam coronam, ornare, ejus latifundia per luſtrare, filios inſtituere, & eorum aliquem in hanc arenam educere; & ſi qua alia munia tibi obeunda ſint quæ dum Tu prò more hujus loci & temporis præſtiteris, nos aures benignas & attentas accommodabimus.

Æquum eſt Venerande Pater, ut tibi jam indulgeas. [Vir graviſſimi jam in procinctu ſunt, filium tuum adorituri. Eſto tu jam ſpectator filii tui in hoc certandi genere peritiæ.

Fidelis certus esse potest de remissione peccatorum certitudine fidei.

ROmano-Catholici docent extra casum specialis, & quidem extraordinariæ revelationis, neminem illum certitudinis gradum cui nullo modo possit subesse falsum attingere aliquando : sed homines justificatos de sua justitia ordinariè certos esse sola conjecturali certitudine, quæ anxietatem omnem excludat, quam certitudinem spei appellant, quæ opinionis est potius, quam fidei ; nullo autem modo certitudine fidei, aut ejusmodi signis indubitatis, quæ formidinem contrarii expellant.

Nos asserimus 1. Quemlibet verè fidelem certum esse posse indubitatò & esse aliquando, se peccatorum indulgentiam consecutum. 2. Hanc certitudinem non semper omnem formidinem contrarii, imò nec omnem anxietatem excludere, præsertim in prima conversione, aut tempore tentationis 3. Aliquando hanc certitudinem de adepta & accepta peccatorum indulgentia, in fideli talem ac tantam esse, ut omnem scrupulum eximat, omnem formidinem contrarii excludat ; nimirum in seriis fidei & pænitentiæ exercitiis, præsertim post devictam gravem tentationem. 4. Ordinariè licet non omni momento cordibus fidelium tantam vigere certitudinem de impetrata peccatorum remissione, quæ omnem anxietatem & frequentes dubitationes actu excludat, licet non actu semper omnem scrupulum, aut contrarii suspicionem. In eorundem tamen cordibus post diuturnos in pietatis palæstra & curriculo exantlatos labores, formidine consumpta quandam jam de præsumptione veniæ nasci securitatem ut devotissimè Gregorius. 5. Nasci hanc dictam certitudinem tum ex vera cordis contritione unà cum novæ vitæ proposito, tum ex fide viva in Christum Mediatorem, tum ex hujus vivæ fidei indiciis minime fallacibus & fructibus, quæ omnia indubitatis experimentis in sese sentit, ac per ista fidelem ordinariè & infallibiter certum esse per temporum intervalla de remissione peccatorum & propria justificatione, idque certitudine fidei, licet non Catholicæ cujus objectum est generale & omnibus proponitur, specialis tamen, cujus objectum speciale est, & fideli tantum proponitur, estque dicenda conclusio fidei, saltem Mediatè ; quia ordinariè nascitur illa certioratio mediatè, siquidem hujus conclusionis certitudo mihi peccata sunt remissa ex tali syllogismo, quem quisque fidelis tacitè apud se format, oritur.

Quicunque seriò pænitentiam agit, credit in Christum Med. aut diligit Deum & proximum, ei peccata sunt remissa ; At ego seriò pænitentiam ago, ego credo in Christum Med. diligo Deum & proximum, ergo.

Major est vera & certa in se, quia in Scripturis revelata & certa est fideli, quia illi firmitèr assentitur ut divinitus revelatæ certitudine fidei Catholicæ. Minor etiam est vera in se, cùm actus iste à me præstetur, & mihi certa est, quando actu reflexo experior & intùs sentio certò me hunc actum elicere, idque certitudine indubitatæ expientiæ. Idem enim. S. Sanctus qui indit donum pænitentiæ, fidei, dilectionis, simul etiam sensum horum donorum indit, & talem cui nunquam subesse falsum possit, cùm sit Spiritus veritatis. Quemadmodum enim sensus visus non alio indiget lumine ad videndum lumen per quod videt alia, quam ipsomet lumine per quod lumen quoque appredenditur, eodem modo contingit in lumine gratiæ, ipsum lumen gratiæ sufficit ad sui manifestationem

festatione sine alio novo lumine. Ex istis duabus præmissis tam indubitatis nascitur conclusio æquè indubitata, mihi remissa sunt peccata, de quo certus esse possit fidelis certitudine fidei modo explicato.

Hac explicatione præmissa duo mihi demonstranda sunt.
1. Posse hominem fidelem, certò, indubitato & infallibiliter certum esse de remissione peccatorum.
2. Hanc judubitatam certitudinem rectè dici certitudinem fidei.

Ut aliquando aut fallant, aut confundant.

Quod ad 1. attinet dico hominem fidelem indubitantèr certum esse posse de remissione peccatorum. Ubi tamen ad memoriam revocandum quod supramonui S. Sanctum ordinariè non solere nos immediate de peccatorum remissione & statu gratiæ certiorare, sed Mediatè (*i.*) vel ex actibus ad remissionem peccatorum
Antecedaneis, quales sunt in primis gratuiti fœderis conditiones, actus pænitentiæ nimirum & fidei.
Succedaneis, quales sunt conversionis fructus, in primis spei & charitatis opera.

Si enim certis & minimè fallacibus experimentis certiorari possunt fideles se hosce actus elicere, certi itidem esse possunt de peccatorum remissione. Sic ergo 1. argumentor. Homo fidelis absque extraordinaria revelatione potest esse infallibiliter certus, quod verè doleat de peccatis, quod sincerè credat in Christum Med. quod Deum diligat amore supernali, & ita de reliquis, ergo potest esse infallbiliter certus de remissione peccatorum. Consequentia certissima est, ut quæ nititur hac propositione; quicunque ordinariè infallibiliter certus est de veritate suæ fidei & pœnitentiæ, de dilectionis sinceritate, ille itidem infallibiliter certus esse potest de remissione peccatorum. Atque hoc Jesuitæ ultrò largiuntur. Antecedens ergo Probatur 1. ex eo quod Scriptura sumit hoc pro confesso 2. ad Corinth. 13. 5. Vosmetipsos tentate an sitis in fide, vosmetipsos probate, annon cognoscitis, quia Christus in vobis est nisi fortè reprobi estis. Similis locus occurrit. 1 Cor. 11. 28. probet igitur se unusquisque, atque ita de pane hoc sumat, & quæ sequuntur (*i.*) probet an veram fidem & pænitentiam habeat, an fraterno charitatis affectu ad hanc mensam accedat, hisce enim instructus dignus est conviva, & sine his nihil prosunt Sacramenta. Ut quid autem tam sedulò hortetur Apostolus ut nos probemus, nisi certò judicare possemus & non per solam conjecturam, inter fidem & pœnitentiam sinceram & fucatam, inter amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ, inter charitatem & cupiditatem, inter spem incertam, & spem quæ non confundit. Alibi etiam Scriptura instat, ut corda nostra scrutemur, ut Thren. 3. 40 ut quid urgerent prophetæ tam accuratum scrutinium, si scrutando sola certitudo vel potius opinio conjecturalis acquiratur. II. Scriptura non tantùm supponit fideli certò perspectam esse suam fidem & pœnitentiam, sed & disertè affirmat. 1 Cor. 2. 12. Nos non accepimus spiritum mundi, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus. Ubi agit Apostolus non solum de scientia generali beneficiorum Dei. V. G. omnes credentes per Christum esse redemptos, vel omnes charitate præditos esse justos, sed de illa notitia in particulari, qua mihi perspecta est mea pœnitentia, mea fides, mea dilectio, Sic August. explicat Tract. 85. in Joan. sic Cajetanus in locum, & clarissimè Anselmus. Spiritum, qui est ex Deo accepimus, (*i.*) divinum quendam radium illuminantem nos, ut per eum sciamus beneficia quæ sunt nobis à Deo donata. Spir. enim Dei mentem, quam replet, illuminat. Sp. autem mundi excæcat, & mox. Nos per Spir. ejus novimus, & dona ejus nos habere, & ab eo accepisse, quænam sint illa dona mox explicat, redemptionem, remissionem peccatorum, virtutum multiplicationem, & æternæ beatitudinis spem. Quid clarius? Sic Apostolus Joan. 1. Joan. 5. 13. scimus quod translati sumus à morte ad vitam quod diligimus fratres, ex certa scientia dilectionis infert certam scientiam justificationis III. probatur antecedens ex effectis aliis succedaneis, quam in sese verè fideles experiuntur, ejusmodi sunt pax conscientiæ, gloriatio, spes, ad Rom. 5. 1. Justificati ex fide pacem habemus apud Deum——& gloriamur sub spe gloriæ Dei, imò & gloriamur sub oppressionibus & hæc spes non confundit quod charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per S. Sanctum qui datus est nobis. Quanta & argumentorum congeries? Si pax hæc conscientiæ; gloriatio fidelium sub spe gloriæ Dei, si gloriatio in afflictionibus,

si

si gloriatio in afflictionibus si spes Christianorum sola morali certitudine & conjecturis niterentur aliquando fallerent. At absit ut interna pax conscientiæ, ut gaudium piorum spirituale & gloriatio, imo gloriatio in mediis afflictionibus, ut spes fundata in sensu amoris divini largiter in cordibus fidelium effusi,ut aliquando aut fallant aut confundant. Imo Apostolus disertè pronuntiat, spem hanc divinam nunquam confundere ac proinde huic fidelium spei nunquam subesse potest falsum. Idem dicendum de gratiarum actione ob acceptam remissionem peccatorum.Davides Ps.103.sese excitat ad prædicationem beneficiorum Dei. Benedic anima mea Domino & ne obliviscaris omnium munerum ejus, qui propitius est omni iniquitati tuæ, qui sanat omnes infirmitates tuas. Ineptissimè certè Davides, sese tam crebrò,tam confidenter excitaret ad celebrandum nomen Dei ob acceptam remissionem peccatorum, si de hoc beneficio accepto non habuisset nisi conjecturalem certitudinem, si huic tam solenni Divini nominis prædicationi, aliquando potuit subesse falsum.

Ob. At objiciunt Jesuitæ, fidelis indubitatò cognoscere possit se hosce actus elicere,credendi, diligendi, sperandi, gloriandi & id genus alia quoad actus substantiam,non tamen posse certò dignoscere se credere, sperare,diligere ut oportet,& eo modo,quem Deus in Lege præscripsit.

Sol. R. in locis citatis non agi de sola substantia actuum, sed de modo etiam agendi. Certi fuerunt David, Paulus & alii Sancti sese non tantum hosce actus elicuisse, sed etiam eo quo præscribitur modo, ex motivis & incitamentis requisitis, ex recta intentione circa debitum objectum, ad debitum finem, & si quid aliud sit quod ad debitum agendi modum desideretur, alioqui nunquam tam fiducialiter allegarent suam spem, fiduciam, dilectionem, gloriationem etiam in medijs afflictionibus. Act. 8. Eunuchus Catechumenus adlegitur in competentium numerum, Baptismum petit, respondet Philippus, Si credis toto corde, licet. Ut quid exigeret Philippus ab Eunucho ut credat toto corde, si hoc certò & infallibilitèr scire nequiret, & se credere & toto corde credere, & nisi tam modum quam actum scire potuisset.

Ob. At inquiunt,audax confidentia sese sæpenumero venditat pro fiducia sincera,dolor mundanus pro dolore secundumDeum,& amor concupiscentiæ pro amore amicitiæ, ergo neminem infallibiliter discernere posse inter veram fidem & vanam præsumptionem, inter cupiditatem & charitatem.

R Sol. Hominem fidelem & verè contritum,posse certò & infallibiliter dignoscere inter fiduciam sinceram & hypocritam, utcunque hypocritæ fallantur, sesèque inani præsumptione eludant. Neque enim si febricitans mel amarum judicaverit, ideò sanus non rectè & certò judicat, mel esse dulce. Nec si inops per somnium persuasus se thesaurum ingentem possidere fallitur. Ideò Cræsus aut Crassus non certo sibi persuadere possint se magnam pecuniæ vim repositam in loculis habere. Quin potius quemadmodum agnellus matris balatum à cœterarum ovium balatu optimè distinguere novit; ita qui per veram fidem & pœnitentiam in ovile Christi aggregantur,pastoris vocem & internum sibilum agnoscunt, & à mercenarijvoce dignoscere nôrunt.Joan, 10. 4, 14. Et hoc est quod promittit Christus omnibus fidelibus, Apocal. 2. 7. Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi calculum album,& in calculo novum nomen inscriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. & Joan.3.14. per hoc novimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit. Huic nostræ sententiæ accedunt non solùm antiqui Patres, sed & Scholastici non ignobiles Alexander Halensis. & Joan. Baconthorpius; & non pauci ex Tridentinis Patribus, in quibus erant Ambrosius Catharinus & Antonius Marinarius, Quod verò addunt Pontificij ejusmodi certitudinem niti posse ejusmodi signis quæ excludunt omnem anxietatem non tamen omnem formidinem contrarij. R. Nec nos arbitramur hanc certitudinem omnem contrarii formidinem semper excludere in ipsis fidelibus; nam & in illis de ipsis articulis fidei quos fide Catholica credunt sæpe oriuntur dubitationes, neque fides Catholica. V. G. de mysterio sacrosanctæ & individuæ Trinitatis concepta omnem formidinem contrarii excludit, saltem non omni tempore. Ipsi Apostoli ad tempus de Christi resurrectione dubitarunt. Rectè ergo Scotus, fidem non excludere omnem dubitationem, sed dubitationem vincentem & trahentem in oppositum credibilis, ubi de fide Catholica agit, quod multò verius affirmari potest de fide speciali, de qua jam agitur. Atque

ita

ita demonstravimus posse hominem fidelem, certò, indubitatò & infallibiliter certum esse de remissione peccatorum. Hoc primum.

Restat secundum caput ut demonstremus hanc indubitatam certitudinem rectè dici certitudinem fidei. Id quod vel inde brevissimè demonstratur quod conclusio Syllogismi supra memorati est homogenea præmissis. Cùm ergo Major dicti syllogismi; Quicunque credit in Christum Med. ei remissa sunt peccata, sit propositio quæ sola fide credenda proponitur. Minor autem, Ego credo in Christum Med. saltem quoad modum, non nisi irradiatione S. Sancti infallibiliter certa & vera dignoscitur, atque adeo fide. Conclusio ergo erit de fide & non nisi fide certò creditur. Quod si porro dixerimus Minoris veritatem, infallibili certo & evidenti etiam experimento dignosci, tum quoad actum tum quoad modum agendi, tamen adhuc verissimè diceretur, conclusionem esse propositionem de fide atque ita denominandam, idque hac ratione, quod conclusio semper sequitur deteriorem partem etiam quoad conditiones materiæ, ut fit in conclusione quæ nascitur ex duabus præmissis, quarum altera est contingens, quæ necessariò & est, & dicenda est contingens. Talis autem debilitas est inevidentia, quæ in Majore propositione cernitur. Nam licet propositiones de fide certiores sint, quam propositiones scientificæ, sunt tamen obscuriores & minùs evidentes, atque eo nomine deteriores, qua ratione conclusio erit inevidentior minore, ac proinde potiùs denominanda à Majore, quæ cum sit propositio de fide, itidem & conclusio erit propositio de fide. Tales propositiones de fide sunt etiam illæ (ex Romanensium sententia) quæ credunt illi, Hanc hostiam consecratam, vel hoc crucifixum λατρεία, adoranda esse. Huic puero Baptizato remissum esse peccatum originale. Paulum Quintum habere infallibile judicium in definiendis fidei controversiis, & id genus alia. Sed hic finis esto. Atque ita concludo utramque Thesim esse orthodoxam & Verbo Dei consentaneam.

F *Infidelitas*

Infidelitas negativa neminem damnat.

PER Infidelitatem intellige infidelitatem quâ mysteria Fidei Catholicæ non creduntur. Per Negativam infidelitatem intellige nudam fidei carentiam in eo cui fides Catholica vel non est annunciata, vel certè non sufficienter. Talis infidelitas est eorum qui vel de fide nihil audiverunt, ut Pagani; vel audiverunt quidem sed ita obiter ut mysteria fidei iis nondum sint ostensa esse evidenter credibilia.

Contradistinguitur hæc negativa infidelitas à { ***Privativa.*** / ***Positiva,*** seu ***Contraria.*** }

Privativa, est carentia fidei in eo, Qui potuit ac debuit credere, sed non voluit, ut quando quis non vult audire verbum fidei, vel auditum sufficienterque propositum non vult acceptare.

Positiva, seu ***Contraria***, est carentia fidei in eo, cui etsi fides sufficienter sit proposita, non vult tamen credere; sed vel expressè & formaliter negat aliquam propositionem ad fidem pertinentem, vel asserit errorem tali propositioni contrarium.

Illud etiam præmittendum, negativam infidelitatem non excludere aptitudinem ex parte subjecti, quomodo lapis dici potest infidelis; non posse habere fidem naturæ est hominis, inquit Augustinus. Sed quod respectu objecti fidei mysteriorum, homo se habet negativè, qui alioquin secundum suum statum capax est fidei. Sic negativè infideles sunt omnes Pagani, quibus non annunciatur Evangelium.

Dicimus autem infidelitatem hanc negativam, [quâ quis non credit fidem Catholicam, utpote quæ ei nunquam annunciata fuerit per præconium Evangelii, vel non sufficienter annunciata] est, neminem damnare, utpote quæ non sit veri nominis peccatum sed duntaxat peccati pœna.

Probatur,

1. Ex dicto Servatoris, Joan. 15. 22 *Si non venissem & locutus fuissem iis, peccatum non haberent; nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.*] Qui locus intelligendus est de peccato infidelitatis, quod committebant Judæi eo tempore, quo tenebantur explicitè credere illum esse Redemptorem mundi promissum, qui & Evangelii potenti prædicatione & patratione miraculorum & adimpletione prophetiarum sufficienter testatus est, se esse Christum promissum, simul etiam innuit eos qui istis mediis ad fidem amplexandum non incitabantur; hoc ipso quod vocati non sunt, novum reatum non incurrere, ac proinde non credendo non peccare. Unde Augustinus Epist. 105. enarrans hunc locum, ait ipsam ignorantiam in iis qui intelligere noluerunt sine dubitatione peccatum esse, in iis autem qui non potuerunt, pœnam peccati esse] Innuens non esse veri nominis peccatum. Et *Quæst. 52, in Deuteron.* Quòd si Christus neque venisset neque locutus fuisset Judæis, ipsi non haberent peccatum illud quo non crediderunt in eum. Tractatu item 89. in Joan. quærens de his ad quos non venit Christus, nec locutus est iis [per se scil. vel per suos ministros] utrum haberent excusationem de suo peccato, respondet habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.

Idem evincitur ex illo Apostoli ad Romanos 10. *Quomodo credent ei quem non audiverint? Quomodo autem audient absque prædicante?* Ac si dicat, impossibile est: Ergo non tenentur credere Gentiles, ac per consequens purè non credendo non peccârunt. Idem Apostolus docet ad Rom. 2. *Qui sine lege peccârunt*; *i.* Lege aliqua scripta aut positiva; *sine lege peribunt*, *i.* & ipsi damnabuntur, non tamen ob Legem Mosis scriptam violatam, sed quòd legi in cordibus scriptæ sese non conformârunt.

II. *Accedant Rationes.*

1. Deus neminem damnat nisi ob peccatum, id exigente justitia divina, siquidem damnare est actus justitiæ.

At infidelitas purè negativa non est peccatum. Siquidem nullius legis est prævaricatio, cujus transgressio reatum inducit.

Non Legis Naturalis, fides enim non præscribitur lege naturali, sed supernaturali: est enim fides non visorum, & eorum quæ rationem naturalem superant; nec absque divina revelatione innotescunt.

Nec est violatio *ullius Legis Supernaturalis*; nam lex supernaturalis fidei non obligat saltem sub peccato, nisi eos quibus annunciatur & promulgatur. Non autem annunciatur lex fidei, nec verbum Evangelii omnibus omnino hominibus. Hinc Psalmista, Psal. 147. *Annunciat verbum suum Jacob, judicia & justitias suas Israel, non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

Object. Dices, Præceptum credendi esse universale, omnesque obligare in commune, utpote latum omnibus; id quod ex promissione patet Evangelii, quæ facta est omnibus & singulis. *Sic Deus dilexit mundum* (inquit Servator) *ut Filium dederit unigenitum, ut quicunque* [scil. ex humano genere] *crediderit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.*

Solut. Resp. Esto, præceptum Resipiscite & credite Evangelio omnes obliget & universos homines; esto, præceptum illud universis hominibus sit annunciabile ex voluntate Dei, cùm tamen de facto non omnibus annuncietur idque ex speciali Dei dispensatione, excusantur tales ignorantia invincibili, quò minus actus supernaturales exerceant circa objecta supernaturalia; ignorantia enim invincibilis hac ex parte meritò excusat. Non enim obligant positiva præcepta eos, quibus non promulgantur. Ac proinde talis, ut nullius obligationis potest habere cognitionem ita nec ullius prævaricationis potest sibi esse conscius. [Vid. *Puteanum in* 12. *q.* 90. *Art.* 4. *Concl.* 1.]

2. Dantur innumeri qui nullo modo vitare possunt infidelitatem negativam. Omnes scilicet illi qui in extrema Barbarie nunquam quicquam de fide audiverunt, quales sunt Americani quàm plurimi, parvuli etiam quamdiu in tenera ætate agunt, item perpetui amentes. Ut autem aliquid imputetur homini ad culpam, id debet aliquo modo esse evitabile, voluntarium & cognitum. Cùm igitur hisce omnibus fidei mysteria prorsus sint incognita, nec ullo modo moraliter loquendo cognosci possunt, sequitur fidei nescientiam in illis nec evitabilem, nec voluntariam, ac proinde minimè culpabilem esse.

3. Plurimi Pagani in India tum Occidentali tum Orientali & Insulis adjacentibus nunquam audiverunt quicquam de Christo Redemptore, & reliquis fidei nostræ mysteriis, nec nunquam veniebat illis in mentem ejusmodi fidem esse, aut esse posse. Imò plurimi è simplicioribus nunquam quicquam suspicantur de ulla alia religione aut fide quàm de ea, quæ apud eos obtinet; ergo nunquam suspicari potuerunt fidem Christi de qua nihil unquam audiverunt, esse medium necessarium perducendi homines ad salutem, atque ita hæc ignorantia illis omnino fuit absolutè invincibilis ac proinde prorsus inculpabilis.

Dices, Dari non posse ejusmodi infidelitatem negativam, siquidem non datur nisi ubi datur ignorantia invincibilis, at non datur nec dari potest ignorantia invincibilis earum rerum, quarum cognitio est ad salutem necessaria. Ita enim Deus deesset quibusdam in necessariis ad salutem.

Hinc est quòd quidam hanc seriem contexunt.

1. Deum quasi Lege statuta obligatum, ut bene utentibus talento naturæ, impertiat talentum gratiæ.

2. Pro concesso sumunt quemlibet hominem Paganum etiam in umbra mortis sedentem, posse pro libertate voluntatis suæ bene aut malè uti hoc talento naturæ.

3. Volunt rectè utentes donis naturalibus, Deum dignari Evangelio & cognitione Christi illustrare, secus utentes, Evangelii lumine prorsus privare.

Hæc sunt *Corvini* contra Tilenum *somnia*, inaniter conficta, absque omni fundamento aut Scripturarum aut Antiquitatis.

At nos è contra negamus, 1. Ullam Dei Legem aut promissionem extare, qua aut statuit, aut promittit Deus se lumine naturali rectè utentem gratia supernaturali illuminaturum. Sic enim auxilium gratiæ dabitur secundum debitum & non secundum gratiam, nec erit donum gratiæ sed merces operum, atque ita gratia non erit gratia, argumentante Apostolo. *Si autem ex gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non erit gratia.* Sequetur etiam gratiam Dei non prævenire voluntatem humanam, sed humanam voluntatem prævenire gratiam divinam, ac voluntatem esse Dominam, gratiam non nisi pedissequam.

Dicunt Deum hoc spopondisse, ubi ait, Habenti dabitur. At quis unquam alicui persuaserit Deum habenti in statu naturæ, per saltum promittere donum in statu gratiæ, & incredulorum diligentiæ lucem fidei ut mercedem conferre. Nam qua in re, & quo in genere, usus, in eodem incrementum promittitur. Esto, Deus remuneret rectum usum naturalium, augmento bonorum naturalium, non tamen collatione supernaturalium. Hoc enim esset μεταβαίνειν εἰς τὸ ἄλλο γένος. Perinde enim est, ac si quis dixerit Deum bene utenti honoribus promisisse bonam valetudinem. Certum est naturale non habere ordinem causalitatis ad supernaturale, eo quòd toto genere distant: nec unquam semen naturæ potest assurgere in fructum gratiæ.

Nec dici potest Christum meruisse, ut ejusmodi lex statuatur, nisi velimus Christum meruisse ut gratia ejus evacuetur & stabiliatur meritum humanum: siquidem hæc lege semel statuta gratia non erit gratia sed merces operum, quod est merè Pelagianum; & certè hæc assertio planè coincidit cum dogmate Pelagiano à veteri Ecclesia non semel Synodice exploso & damnato, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari.*

2. Æquè falsum est illud *secundum*, Quemlibet hominem Paganum in umbra mortis sedentem pro libertate voluntatis suæ, bene aut malè uti aut uti posse talento naturæ. Certè quemlibet malè posse uti talento naturæ nemini dubium esse potest; sed aut bene uti aliquando aut posse bene uti ex innata libertate, nemo Orthodoxus affirmavit unquam, aut jure affirmare potest. *Sine me nihil potestis facere*, inquit Servator. *Non sufficientes sumus ex nobis cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra est ex Deo.* Figmentum *cordis humani est malum omni tempore. Arbor mala non potest fructus ferre bonos.* Rectè Prosper, Liberum arbitrium de sua habet mutabilitate si deficit, de gratiæ autem opitulatione si proficit.

Certum est liberum arbitrium nondum à gratia liberatum, ita captivatum esse & servum peccato, ut homo lapsus solis naturæ viribus instructus, sine omni gratia habituali, vel saltem actuali, seu auxilio (ut loquitur Schola) speciali, nullum possit aut verum morale cognoscere, aut bonum morale facere, imo aliquid facere, quod non rectè peccatum nuncupetur: quomodo igitur potest talento naturæ rectè uti? Sic Ecclesia nostra Art. 13. suæ Confessionis, Opera quæ fiunt ante gratiam Christi & Spiritus ejus afflatum,—— Cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.] Cui conformiter Concil. Milevit. Can. 4. Donum Dei est & scire quid facere debemus, & deligere ut faciamus. Et Concil. Arausican. Can. 9. Divini muneris est cum rectè cogitamus & pedem à falsitate & injustitia tenemus. Et Can. 22. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum

catum. Certo ergo certius est, neminem bene uti talento naturæ absque talento gratiæ divinæ.

3. Nec minus certum est, & ex præmissis consequenter infertur, Legem dispensandi aut non dispensandi Evangelium & alia salutis media non petendam esse ex bono aut malo usu naturalium, sed in Dei vocantis aut non vocantis beneplacito. Ex sacris Literis satis constat lumen Evangelii affulsisse illis inopinantibus, qui lumine sive talento naturali pessimè abutebantur. Tales fuerunt Romani, Corinthii, Ephesii, quibus per Apostolos fax Evangelii accensa est, quando in cœno superstitionum & libidinum omnimodarum volutabantur. Illud etiam non minùs constat, quamplurimis Evangelium nunquam fuisse revelatum; qui minùs improbe imo laudabiliter vixerunt.

Testor inter Græcos, Socratem, Platonem, Xenocratem; inter Romanos, Fabricium, Scipionem, Catonem, qui lumine naturæ præ cæteris hominibus bene usi fuerunt: nemo tamen horum Evangelicæ gratiæ idcirco particeps evasit. Liberatur pars hominum parte pereunt (inquit Author de vocat. Gent. 1. cap. 15.) & si hoc voluntatem meritis voluerimus adscribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot sæcula nulla cœlestis doctrinæ annunciatio coruscavit. Nec meliores fuisse eorum pastores possumus dicere, quibus scriptum est, *Gentium populus qui sedebat in tenebris, lucem videt magnam, & sedentibus in tenebris & umbra mortis lux orta est illis*——Non ergo meritis minorum tribuitur quòd non meruere Majores. Par enim impietas patres accusabat & filios.—— Sed cur illorum non misertus & horum sit misertus Deus, quæ scientia comprehendere, aut quæ sapientia investigare potest.—— Quid calumniamur justitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiæ manifestæ. Hæc Prosper] Ex hisce patet dispensationem Evangelii & mediorum salutis fieri pro beneplacito voluntatis divinæ, non pro disparitate voluntatum humanarum & bono usu talenti naturæ.

Obtendunt hic alii mandatum de annunciando Evangelio esse universale, Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Quòd si aliter eveniat, evenire id ex incuria Ministrorum, ex neglectu aut contumacia Majorum, ex propria indignitate. Obtendunt alii situm Judeæ in mundi meditullio, dispersionem Judæorum ubique populorum, & per eos & Apostolos famæ nominis Christiani passim per universum mundum celebritatem; ac proinde non dari aut dari potuisse, aut ignorantiam Christi invincibilem aut infidelitatem prorsus inculpabilem.

Sol. Resp. 1 Credibile esse nunquam de facto ad hæc usque tempora Evangelium annunciatum fuisse omnibus nationibus.

2. Certum esse quamplurimis omnium temporum populis inauditum fuisse tum nomen Christianum tum mysteria fidei.

3. Esto, aliquando ad populum aliquem infidelem pervenisse famam nominis Christiani & Evangelii Christi, tamen non tenetur Gentilis infidelis.

Universaliter auscultare cuilibet homini dicenti sibi; Audi me, nam te erudiam in principiis illius religionis qua ad salutem pervenire queas. Ratio est, quia Gentilis ille non habet aliud lumen quam naturale. Sed ratio non dictat quemvis hominem esse audiendum circa doctrinam de religione aut cognitione Dei, ergo non tenebitur quemlibet audire. Nam pari ratione teneretur audire Hæreticum vel Judæum, aut alium Sectarium, qui sibi novam religionem prædicaret.

2. Quamvis Gentilis audiat explicitè Evangelium ab aliquo prædicatore verè Christiano non statim peccat infidelitatis peccatum si non credat nisi prædicator proferat testimonia quæ sunt apta & sufficiunt ad hominem convincendum esse credibile quod prædicatur, & vehementer persuadendum quod tenetur credere. Hinc Dominicus Bannes colligit quòd plurimi ex Occidentalibus Indis excusati fuerunt ab infidelitatis peccato quantum est ex parte prædicantium. Quoniam

niam illi homines (inquit) crudelissimi & avarissimi erant qui Evangelium prædicaverunt.

Imò, In 3. loco, Assero, Etiamsi idoneus prædicator ostendat evidenter Evangelium esse credibile, non sufficit ut statim Gentilis teneatur credere, nisi ostendatur sibi esse magis credibile, quam omnem aliam Sectam & Religionem circa cultum Dei veri. Quod probatur

1. Quia ex duobus credibilibus non tenetur homo credere illud quod est minùs vel æqualiter credibile:

2. Quoniam pari ratione teneretur Gentilis recipere doctrinam Hæreticorum, aut Judæorum, quæ humanis rationibus tanquam probabilis potest persuaderi ei, qui Christi Catholicam Ecclesiam nunquam cognoverit.

Ex hisce patet aliquatenus, infidelitatem negativam neminem damnare.

Deus puniens personam conjunctam pro persona peccante jure suo utitur.

QUæritur hic de Justitia Dei, & quidem de Justitia Dei punitiva, de limitibus ejus, quousque se extendant & an extendi possint ad puniendum unum pro alterius delicto & quidem personam cum persona peccante aliquo modo conjunctam, pro persona peccante.

Potest autem persona una alteri conjungi, conjunctione vel
1. *Naturali*, qualis est inter patrem & filium.
2. *Politica*, qualis est inter Regem & subditos, magistratum & populum.
3. *Voluntaria*, qualis est inter Reum & fidejussorem.

Quæritur jam an Deus puniens personam, horum modorum uno aut pluribus cum persona peccante conjunctam, jure suo utatur, id est, an jure suo hoc facere possit, absque omni injuriæ suspicione, absque omni injustitiæ criminatione. Hoc ipsum affirmat Thesis proposita.

Hic præmittendum, Deum sic punientem spectari debere, ut Rectoris & Gubernatoris supremi, non autem ut Judicis subordinati sub lege constituti, partes agentem. Siquidem Judex ejusmodi ex legis præscripto omnino agere tenetur, nec quenquam nocentem à pœna liberare potest, aut ejus pœnam in alteram, quamvis aliquo dictorum modorum, conjunctissimam personam transferre. Hæc enim leges prohibent, quarum ipse minister constituitur. Hoc optimè exprimit Lactantius [de ira Dei, cap. xix] Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ. Deus autem potest, qui est legis suæ ipse deceptator & Judex quam cum poneret, non utique sibi ademit omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam] Hæc ille, & alicubi Symmachus. Alia est conditio Magistratuum quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores : alia Divorum principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere.]

Hoc præmonito. Dicimus Thesim propositam optimè accommodari posse ad asserendam justitiam Dei vindicatricem, quæ in quamplurimis exemplis quorum Scripturæ meminerunt clarissimè elucet, quæ in judiciis Dei admirandis, quorum meminerunt tam profanæ literæ quam sacræ, dilucide cernitur; quæque in mundi gubernatione juxta providentiam Dei sapientissimam, omnibus temporibus sese prodere solet.

In singulis insistere, tempus non patietur. Date igitur veniam jure meo uti & hujus nostræ Thesis veritatem in primariis quibusdam exemplis, demonstrare & quidem primo inservit hæc Thesis stabiliendis duobus primariis Christianæ Religionis dogmatibus, quorum primum est de originali peccato; Alterum de Christi Servatoris satisfactione quorum utrumque labefectare conantur Novatores quidam. Et quidem 1. Hæc Thesis fundat & veritatem & æquitatem originalis peccati ejusque propaga-

tionis

tionis. Ad cujus justitiam requiritur, ut Deus jure possit pacisci cum toto genere humano in persona πρωτοπλάστου, adeo ut ratione & virtute, ejus conjunctionis naturalis quæ intercessit inter Adamum & posteros ejus, possit Deus dare præceptum Adamo, obligans eum, non ut humanæ naturæ individuum, sed totius naturæ stipitem & principium; Atque adeo omnes posteros in persona ejus; hac lege ut ipso præceptum servante, posteri nascerentur in illa originali justitia, in qua primitus ipse conditus est. Ipso autem prævaricante, omnes qui ex eo deinceps nascerentur, peccato essent contaminati, imò ipso peccante totum genus humanum censeretur peccare. Hæc autem ordinatio divina de obligatione humani generis in Adami persona. 2 De imputatione prævaricationis ejus ad posteros. 3. De propagatione corruptelæ ejus in eosdem posteros. 4 De punitione posterorum propter Adæ peccatum, suum habet præcipuum fundamentum in Dominio Dei, æquitatis autem congruentiam habet in illa conjunctione naturali, quæ intercedit inter Adamum & posteros ejus. Unde Deus puniens personam conjunctam, id est, Adæ posteros in persona Adæ peccantes, jure suo hoc optimè facere potuit. Hinc est quod Apostolus agens de primo homine, Rom. 5. 12. *In quo omnes* (inquit) *peccaverunt*, *ex quo loco rectè infertur*; nos omnes non solùm nasci peccatores, sed aliquando peccavisse. Idque idem Apostolus docet Rom 3. Cum ait, *Omnes peccaverunt*, *& egent gloria Dei.* Sed quia certum est neminem nostrûm peccavisse propria voluntate, antequam nati essemus, ipso dicente Apostolo, ad Rom. 9 ubi de Jacob & Esau dicitur, *Eos nondum quidquam boni aut mali egisse, quando matri eorum dictum est, major serviet minori*, sequitur nos peccavisse alienâ voluntate; id est, Adami, quæ tamen voluntas nisi fuisset aliquo modo totius naturæ, ac per hoc etiam nostræ, nullo modo vere peccavisse diceremur. Peccavimus igitur in primo homine, quando ille peccavit; & illa ejus prævaricatio nostra etiam prævaricatio fuit. Solus Adam actuali voluntate illud peccatum commisit; nobis vero communicatur per generationem eo modo, quo communicari potest id, quod transit, nimirum per imputationem; Omnibus enim imputatur qui ex Adamo nascuntur, quoniam omnes in lumbis Adami existentes, in eo & per eum peccavimus, cum ipse peccavit.

Obtendunt Remonstrantes, contra justitiam & æquitatem esse, ut quis reus agatur propter peccatum non suum ut verè nocens judicetur qui quoad propriam suam voluntatem innocens est, sive potius non nocens. Et hæc injustitia tantò major est, quantò pœna, quæ ex imputatione illa sequitur, gravior est. Summa itaque injustitia est, si pœna quæ imputatur, sit æterni sensus pœna.

Sol. Respondeo, Cum hîc dicatur, contra justitiam & æquitatem esse, ut quis reus agatur propter peccatum non suum, hic falsum supponitur, peccatum Adæ non esse suum cujusque peccatum. Cum enim Adamus in fructu vetito comedendo nostræ cogitationi non sistendus sit, ut humanæ naturæ individuum, sed ut totius humanæ naturæ principium & origo à quo, seminali ratione totum genus humanum propagandum erat, & in quo originaliter continebatur, Cumque Deus Adamo sic considerato justè mandatum dare potuerit & de facto dederit, de non comedendo de fructu arboris vetitæ, & quidem hac lege, ut si ille prout optimè potuit, cum in statu innocentiæ originali justitiæ præditus, conditus esset, & supposito mandato, jure debuit, mandato dicto in abstinendo obtemperaret, tum posteri ejus omnes in innocentia & justitia originali nascerentur. Sin minùs, eo mandatum hoc tam facile prævaricante & peccante, tota humana natura & soboles ab eo oriunda censeretur peccare. Quis non videt, Adami peccatum hisce rite perpensis, justè suum cujusque peccatum & censeri debere & esse.

In unoquoque corpore, sive sit Physicum, sive Politicum, sive mysticum, id quod facit caput, qua caput, hoc totî corpori, jure imputatur. Facta Magistratus, totî Reipublicæ, facta patrisfamilias totî familiæ, jure imputantur, fidejussor pro Reo merito punitur.

In lege civili justissimè statuitur ob crimen læsæ Majestatis etiam liberos puniendos l. 5. c. ad l. Jul. Majestatis. Cum ergo Adamus à Deo omnium Domino totius humani generis caput constitutum fuerit, & nos omnes illius membra; Ille ut pater nos ut filii, cur non merito peccatum in obedientia quod ille ut caput & pater com-

commisit nobis membris & posteris ejus non imputabitur? Apostolus pronunciat tribum Leviticam lumbis Abrahami inclusam, decimas persolvisse Melchisedecho, Heb. 7.9. Cur non pari jure, nos Adami posteri, in lumbis Adæ peccantis inclusi, illius peccati rei non meritò censebimur? Aut cur Deus, hîc puniens personam conjunctam pro persona peccante, hac in re jure suo non usus fuisse existimabitur? Hinc indubitatò pronunciandum est, nullam futuram in Deo iniquitatem, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus, media salutis negaret. Hinc August. de bono Persev. cap.8. Non simus ingrati, quòd tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret non esset injustus. Et Prosper in Epistola ad Ruffinum; Omnibus in Adæ prævaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia.

Secundò dicimus, In hac Thesi fundamentum habet Satisfactio Christi pro peccatis humani generis Deo patri præstita, ut justitiæ ejus vindicatrici satisfiat.

Hujus satisfactionis æquitas variis modis demonstrari potest. Siquidem persona satisfaciens non uno modo personæ peccanti conjuncta est. Nam 1. est persona nobis conjuncta per susceptionem humanæ naturæ, in qua natura expiavit peccatum totius naturæ humanæ, subeundo pœnam nostris peccatis debitam; ut autem subiret hanc pœnam, æquum fuit ut nobis in natura conjungeretur, naturam passibilem assumpsit, ut pateretur, humanam autem, ut ex æquo pateretur; natura enim quæ liberanda erat itidem erat suscipienda. Hinc est quod Apostolus habet, quod Angelos non assumpsit sed semen Abrahæ, Hebr.2.14.

2. Christus est persona nobis conjuncta quatenus sponte sistebat se fidejussorem & sponsorem pro nobis. Siquidem in se suscepit peccatorum totius mundi reatum, & obligationem pro eis satis faciendi. Diros cruciatus tum animi tum corporis pro nobis passus est, & tandem mortem acerbam, cruentam, ignominiosam, & maledictam; sic Propheta, Isai 53.4. *Verè languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit*: vers.5. *Ipse vulneratus est propter scelera nostra——Livore ejus sanati sumus*: ver. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: ver.8. *Propter scelus populi mei percussus est.*] In Scripturis Christo tribuitur munus Redemptoris. Redimere est propriè captivum è manibus illius qui eum detinet, pretio soluto liberare. Christus nos captivos, id est, Reos iræ Dei propter peccata, & Satanæ mancipatos, ab ira Dei atque potestate Satanæ sub qua detinebamur, λύτρῳ mortis suæ liberavit, tanquam vero pretio pro nobis soluto. Hinc 1 Tim 2.6. Christus dicitur dedisse seipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. Redimuntur autem vel liberantur captivi è servitute, interdum gratuitâ remissione interdum permutatione, interdum violentâ ablatione. Sed noluit Deus hisce modis liberationem nostram fieri, sed eo qui fit per modum justitiæ, soluto justo pretio per Redemptorem nostrum Christum. Sed quo dato pretio nos redemit? *Non auro & argento, sed pretioso suo sanguine*, 1 Pet.1.18. Satisfecit ergo suo sanguine Christus sponsor & fidejussor noster. Sponsor autem & debitor sunt interpretatione juris una persona. Deus ergo puniens hanc personam conjunctam pro nobis peccatoribus, jure suo utitur, imò optimè utitur absque omni injustitiæ criminatione.

3. Christus est persona conjuncta per mysticam unionem qua facti sumus membra ejus corporis cujus ipse est caput. Non alius qui forisfecit, alius qui satisfecit, quia caput & corpus unus est Christus, ut scite Bernardus. Cum autem tot modis sit Christus nobis conjunctus, Deus puniens hanc personam conjunctam pro nobis peccantibus, jure suo optimè utitur.

Quid ad hæc Faustus Socinus? ait inter nocentem, & eum qui puniatur conjunctionem aliquam esse debere, quam agnoscit inter patrem & filium, inter Christum autem & nos non agnoscit.

Sol. At quis non novit naturalem esse cognationem & conjunctionem inter omnes homines? carnem autem nostram à Christo susceptam, negare non audet. Porro inter Reum & fidejussorem conjunctionem esse legalem supra accepimus, atque adeo arctam ut interpretatione juris una persona censeantur. Christum autem sponsorem nostrum fuisse è Scripturis evicimus, onus satisfaciendi pro nobis in se suscepisse, debita nostra Deo usque ad assem persolvisse. Nonne Deus puniens personam dicto modo

conjunctam, pro nobis peccatoribus, jure suo hoc facere potest, illæsâ justitiâ? Sed addo longè arctiorem conjunctionem inter Christum & nos intercessisse. Siquidem designatus erat à Deo, ut caput esset corporis cujus nos sumus membra. Socinus autem perperam, eam conjunctionem qua ad pœnas alteri ob alterius peccata irrogandas sufficiat, ad carnem solam restringi vult, cum tamen conjunctio mystica & civilis vim non minorem hîc habeat, quod in exemplo Regis & Populi satis apparet. Ob factum Davidis 70 millia Israelitarum peste perierunt, ut mittam alia exempla.

Sed & ista Thesis non solùm inservit, dictis fidei dogmatibus ab omni injustitiæ suspitiones vindicandis: sed etiam æquitati justitiæ divinæ asserendæ, in puniendis filiis pro delictis parentum, & subditis pro delictis principum, & id genus alia, quorum sacræ Scripturæ & profana Historia meminerunt, ubi nonnulla præmonita velim.

1° Ut Patrum & reliquorum cum aliis conjunctorum peccata puniantur in aliis personis, pœnis spiritualibus ad animum spectantibus, æquum est, ut personæ punitæ participes sint peccatorum patrum, ut in 2° præcepto Decalogi habetur, ubi Deus ait se visitaturum iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me; signanter dicitur, *eorum qui oderunt me*, annotante Augustino in Psal. 108. ubi odium hoc refert tum ad patres tum ad liberos, qui parentum impietatem & odium in Deum, sequuntur.

2° Si filii non imitentur ipsum patris peccatum, tamen ut puniantur propter patris peccatum pœnis spiritualibus, æquum est ut filii puniti sint in aliquo genere peccatores, quo casu Deus respicit proprium peccatum filii puniti, ut veram causam istius pœnæ, patris autem peccatum non nisi ut justam occasionem.

3° Deus potest punire personam conjunctam pœnis spiritualibus præcedaneis & præviis ad temporales & æternas, & ad eas ducentibus, puta abnepotem, denegando ei evangelii prædicationem, Verbum & Sacramenta, atq; adeo omne auxilium supernaturale ad convertendum, ob contemptum abavi, Evangelium oblatum repudiantis & contemnentis, idq; optimo jure suo.] Hinc est quod Deus passim in Scripturis comminatur, se non missurum prædicatores propter scelera Regum, Sacerdotum, Populi; imo subtracturum omnia externa salutis media & auxilia posteris. Hanc pœnam minatur Dominus, Matth. 21. cum ait *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Et Amosi 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, ut mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Hinc est quod Infidelitas negativa, quæ quamvis peccatum non sit est tamen pœna peccati, tam latè regnat in orbe terrarum, ut supputante Doctissimo Breerwood, novendecem partes populorum ex triginta orbem terrarum incolentium hodierno die, de Christi evangelio nunquam audiverunt.

4° In transferendis peccati pœnis temporalibus in personas conjunctas, jure potest Deus punire filium innocentem pro patre nocente; filius siquidem est pars patris; sic ob factum Saulis suspensi sunt filii ejus & nepotes, qui omnino erant innocentes quoad illud Saulis peccatum proper quod puniebantur, 2 Sam. 21. 8, 14. In ejusmodi pœnis subeundis, filius se habet materialiter tantum ut pars alterius, non personaliter aut formaliter ut peccator.

Deum hoc jure suo posse uti patet 1° In remissione peccati quoad patrem & in imputatione & punitione ejusdem peccati quoad posteros. Sic Adamo remissum fuit peccatum, propter quod multi ex posteris ejus damnati. 2° Pater impœnitens potest eximi à pœnis temporalibus peccato suo debitis, & eædem pœnæ possunt differri & in posteros transferri, ut patet in exemplo Achabi, 1 Reg. 21. 29.

Hunc justitiæ divinæ processum imitantur leges humanæ & jus omnium gentium.

Infinita exempla suppeditant Gentilium scripta.

1° Jure punitivæ justitiæ, ob crimen læsæ Majestatis filii perduellionum hæreditate & honoribus mulctantur.


2° Jure Belli, subditi innocentes & spoliantur & trucidantur, quà sunt subditi istius principis qui justam belli causam dederit.

3° Jure Gentium licebat patri vendere filium suum in servum. Certum est ubi consensus aliquis antecedit, omnium gentium consensu, unum ob alterius delictum juste puniri potest quicquid in contrarium Socinus dicat. Ostendit hoc, jus occidendorum obsidum apud humanissimos etiam populos usitatum. Thessali olim ducentos quinquaginta obsides interfecerunt, narrante Plutarcho. Romani Volscos trecentos securi percusserunt, Authore Livio. Sic in capitalibus judiciis, Vades capite plecti solebant, si rei se non sisterent, unde Græcis ἀντίψυχοι appellantur.

Porro nemo unquam injustam existimavit decimationem usitatam in Romanis Legionibus, ubi is qui deliquit, & cui posset ignosci, non minus quàm alteri, punitur non pro suo tantum, sed pro omnium delicto. Nemo unquam injustum putavit, si suprema potestate legem relaxante, vir aliquis Reipub. utilis, sed ob culpam exilium meritus, retineatur in Republica, alio tamen sponte sua se ad exilium obligante, ut exemplo satisfiat. Nemo injustum putat, si Reipub. summus Rector, honores quibus sustinendis alii æquè pares reperiuntur, perduellium liberis, alioqui non indignis, negat.

Nihil profecto hic iniqui. Nam in prima facti specie, delictum punitum proprium, in secunda consensus validus ejus, cujus res agitur. In tertia, Rectoris libertas permittebat id fieri, quo Rector in pænam utitur.

Plura non addo. Concludo, Deum punientem, personam conjunctam pro persona peccante, jure suo uti.



Sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam.

THesis agit de Sacramentorum efficacia in gratia conferenda, & de personis quibus gratiam conferunt, per Sacramenta intellige (definiente parvo Catechismo) externa & visibilia signa spiritualis & internæ gratiæ nobis collatæ, à Christo instituta ut media quibus illam recipimus & pignora de ipsius receptione certiorantia. Sunt autem ex Ecclesiæ nostræ recepta sententia, non nisi duo, Baptismus & sacrosancta Eucharistia.

Per gratiam intellige gratiam salutarem, sive justificationis seu remissionis peccatorum, sive etiam habitualem & renovantem, quæ gratia Sanctificationis dici solet.

Sacramenta ista [quæ signa efficacia appellat Articulus noster 25.] conferre gratiam dicimus.

Conferre autem tum { Porrigendo, Præbendo, Exhibendo. / Obsignando ex Dei gratia recepta certum.

Quod ad modum collationis attinet, monendum, dici posse Sacramenta conferre gratiam bifariam ; ut causas instrumentales vel { Physicas. / Morales.

Nos non dicimus Sacramenta conferre gratiam per ullam illis inditam aut vim aut qualitatem, sive naturalem sive supernaturalem, quod est gratiam conferre per modum causæ Physicæ, sed dicuntur ex nostræ Ecclesiæ sententiâ, efficacia gratiæ signa, quia divina virtus hisce Sacramentis ad producendum gratiæ effectum, certò & infallibiliter ex tenore fœderis & Christi promissione assistit, ut *viz.* rationem habeant causæ sine qua non, vel potiùs causæ instrumentalis generaliter dictæ, instrumentum morale vocant: Quomodo (dicente Bernardo) confertur Canonicatus per dationem libri, Abbatis præfectura per baculum, Episcopatus per annulum, quomodo de consensu contrahentium per traditionem authentici instrumenti confertur hæreditas, quomodo etiam ex nummo uno fit arrha quæ valet ad solutionem mille nummorum, sic ex pacto & conventione inter Deum & hominem ad dignam Sacramentorum perceptionem gratia divina confertur, & cœlestis hæreditatis arrha, quæ est sententia non nostræ duntaxat Ecclesiæ, sed & primorum Romanensium tum veterum, Halensis, Gandavensis, Bonaventuræ, Scoti ; tum etiam multorum recentium, F. Victoriæ, Cani, Vasquesii, quorum sententia fatentibus Dominico Soto & Gregorio de Valentia parum distat ab hæreticorum sententia, sic nostræ Ecclesiæ Theologos falsò indigitant.

Dicimus Sacramenta dicta conferre gratiam dicto modo non ponentibus (i.) omnibus non ponentibus obicem : quod ut rectiùs intelligatur præmittendum quid sit obex. Hanc vocem ex Augustino arripuerunt Scholastici, qui Epist.23. ait Parvulum Sacramentum fidei salubriter percipere si fidei obicem contrariæ cogitationis non

non opponat; puta actus infidelitatis aut contemptus aut etiam supinæ negligentiæ. Scholastici eum secuti per obicem intelligunt peccatum mortale repugnans gratiæ salutari, sive non consensum seu dissensum, non apertionem sive clausionem cordis humani cùm gratia offertur, explicante Bradwardino de causa Dei, lib.2. c.32.

Cùm ergo dicimus Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, non dicimus Sacramenta conferre gratiam absolutè cuivis suscipienti, cùm homines indispositi ac indigni non sunt idonea subjecta nec pro illo statu capaces divinæ gratiæ. Ergo hæc collatio gratiæ per Sacramenta necesse est ut sit saltem conditionata, & ex certa lege, non potuit autem convenientior conditio poni quàm si in suscipiente non reperiatur obex (i.) aliquid divinæ gratiæ repugnans.

Poni autem potest obex peccando bifariam; vel
- Peccatum committendo.
- Omittendo debitum officium quod potest & debet præstari.

Unde intelligi potest quid sit non ponere obicem cùm de Sacramentis agitur.

Homo potest dici non ponere obicem, vel
1. Non opponendo novum peccatum cùm opponere possit.
2. Debitè sese disponendo ad perceptionem Sacramenti, obicésque amovendo.
3. Merè negativè sese habendo quoad ullam præviam dispositionem, cum nec opponere potest novum peccatum, nec sese debitè aut dignè disponere possit.

Tertio modo non ponunt obicem parvuli, & omnes qui gratiæ capaces sunt, & tamen moraliter agere non possunt ex defectu intelligentiæ & usus sui liberi arbitrii, utpote cujus sunt pro eo statu minimè compotes, Illis ergo dicimus Sacramenta infallibiliter conferre gratiam.

Secundo modo non ponit obicem omnis qui rite & debitè dispositus ad Sacramenta accedit.

Primo modo non opponere novum peccatum cùm quis opponere possit, non sufficit adulto suscipienti Sacramentum ut effectum Sacramenti percipiat. Neque enim non opponere obicem abstinendo à novo peccato, sufficit ad rem Sacramenti percipiendam, sed & debita dispositio & positiva præparatio requiritur à quovis rite & legitimè suscipiente adulto. Illud enim hic imprimis observandum, licet mors Christi potentissimum & efficacissimum sit adversus peccata omnimoda remedium, illud tamen nisi sumptum & applicatum nihil prodest. Ista autem applicatio non fit adulto suscipienti Sacramentum nisi rite disposito ad hæc sacra Mysteria accedenti. Ut autem quis idoneus fiat, requiruntur variæ dispositiones, fides Catholica, spes veniæ, timor pœnæ, dolor de peccatis admissis, propositum de cætero non peccandi, propositum novæ vitæ, quæ omnia disponunt suscipientem. Sed & requiritur fides vera & viva in Christum mediatorem ob remissionem peccatorum, quo unico medio instrumentaliter applicatur Christi redemptio ad remissionem peccatorum, Homini sic præparato infallibiliter ex promissione divina confertur gratia, tum obsignans justitiam fidei, tum etiam justitiæ inhærentis augmentum exhibens, & idipsum etiam consignans.

Hisce sic per modum explicationis præmissis, jam Thesis accommodatè demonstrabitur quibusdam conclusionibus tum in Sacramento Baptismatis tum etiam Eucharistiæ.

Et 1. in Sacramento Baptismatis duabus Conclusionibus, quarum prima erit de Parvulis, altera de Catechumenis.

I. *Conclusio.* Parvulis qui obicem ponere non possunt, Baptisma semper confert primam gratia , scil. remissionem originalis reatus.

Probatur,

Probatur,

I. Omnis parvulus in peccato conceptus est & natus ordinariè, quod de sese fatetur David, Psal.51.7. *Ex immundo semine.* Job 14.4. *filius iræ*, Eph 2.3. (i.) reatu originali implicatus.

At parvulo ejusmodi ubi Sacramento Baptismatis initiatus fuerit, promissio fit remissionis peccatorum. Act.2.38.39. *Baptizetur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum, vobis enim & liberis vestris promissio fit* [*remissionis* scil. *peccatorum.*] Hic semini Israelitarum baptizato promissio fit remissionis peccatorum, ut semini piorum circumciso promissio fit protectionis singularis, sub qua continetur promissio remissionis peccatorum. Gen.17.7. *Ero Deus tui & seminis tui*; & ver.10. *Hoc est fœdus meum inter me & te, & semen tuum, circumcidetur in vobis omnis masculus*, ergo.

Sacramentum initiationis exhibes, applicat & confert ex parte Dei rem ipsam promissam, scil. gratiam remissionis peccati Originalis. Suscipiens autem parvulus n hil opponit, nec opponere potest; quin capax est & susceptivus remissionis exhibitæ & collatæ. Ergo Sacramentum Baptismi parvulis non ponentibus obicem infallibiliter exhibet & confert gratiam remissionis peccati Originalis.

II. Si Baptisma non nisi obsignatoriè gratiam conferat, nec parvulis in infantia morientibus aliquid confertur, nec supervicturis non-electis usquam confertur vi Sacramenti. Iis igitur non est nisi nudam & prorsus inefficax signum, quod non est dicendum.

1. Vel Baptismus parvulo confert gratiam remissionis Originalis reatus quatenus ex parte suscipientis impedimentum non ponitur, vel potuit alia conditio convenientior poni, quâ positâ certa lege Sacramentum ei efficax esset. At nulla convenientior conditio poni potest quæ ab iis præstabilis sit, qui nihil possunt moraliter agere ex defectu usus rationis & libertatis, cujus pro illo statu minimè compotes sunt. Hinc Augustinus rectissimè ait infantes Sacramentum fidei, (i.) Baptismum salubriter percipere, si fidei obicem contrariæ cogitationis, [aut ullius pravæ operationis] non opponunt, Epist.23. Non potest autem infans opponere obicem contrariæ cogitationis aut ullius pravæ operationis, cum nec cogitare, nec omnino liberè operari possit. Ergo ex eo quod obicem non ponat in eo Baptismus certò efficaciam suam sortitur, quoad gratiæ ad originalis reatus solutionem, collationem.

III. Deus parvulos fidelium baptizari in N. T. quomodo & in V. T. circumcidi jussit, jussioni annexuit promissionem remittendi reatum originalem, quod est primum beneficium & primarium cujus infans capax est, idque ipsum Symbolum ablutionis designat. At non jubet Deus Baptizari nisi eos, qui capaces sunt, simul & indigi beneficiorum Baptismi, parvuli insuper cùm obicem ponere non possunt, nec indigent aliqua dispositione, idonei sunt ad capessendam rem signatam per baptismalem ablutionem. Quidni igitur Sacramentum hoc sit signum gratiæ, quam designat verax & verè exhibitorium ex parte Dei, atq; adeo effectum suum certissime sortiatur.

Ergo,

Infanti cùm baptizatur ex ordinatione divina, res signata ordinariè confertur, est autem illa non solùm certioratio & obsignatio originalis reatus applicanda parvulo, quum adoleverit & per fidem & pœnitentiam conversus fuerit; sed & ipsa applicatio primæ remissionis orignialis reatus antea non remissi, cùm ipsa Sacramentalis ablutio peragitur.

IV. Media ordinaria applicandi meritum Christi non sunt alia quàm verbum & Sacramenta. At parvulo qui sistitur baptizandus verbum non applicat meritum Christi: siquidem verbum non applicat nisi intellectum, nec aliud Sacramentum parvulis est applicabile quàm Baptismus.

Ergo,

Vel nullum datur ordinarium medium quo meritum Christi parvulis non ponentibus obicem ex parte Dei applicetur ad salutem, aut Sacramentum Baptismatis erit illud medium, non enim aliud ordinarium ex parte Dei in Scripturis revelatur:

Ergo

Ergo Sacramentum Baptiſmatis infallibiter parvulis non ponentibus obicem confert gratiam remiſſionis originalis peccati.

V. Si parvulis non ponentibus obicem Baptiſmus non conferat gratiam remiſſionis originalis peccati, videri poſſet Deum non ſeriò & veraciter agere cum ſuſcipiente, quem vult & juſſit baptizari, & ſuppoſito novo fœdere cum toto humano genere, & ejuſdem ſignis & Sacramentis tum inſtitutis tum rite applicatis iiſdem ſignis ſuis deeſſe, & (quod abſit) ſuis non ſtare promiſſis. Quare dicendum eſt Deum, cùm nullum obſtet ex parte ſuſcipientis impedimentum, libera ſcil. reſiſtentia, ſuæ ordinationi non deeſſe, ſed parvulo baptizato conferre ſolutionem originalis reatus. Hinc Auguſtinus Epiſt. 157. *Non eſt falſa etiam in parvulorum baptiſmate remiſſio peccatorum, nec verbo tenus dicitur ſed veraciter agitur.* Mitto antiquitatis hac de re conſenſum, de quo nefas eſt dubitare. Unum illud Proſperi adducam in ſecunda ſent. ſuper capit. Gall. Qui dicit quòd ab his qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta Baptiſmi gratia Originale peccatum, non eſt Catholicus. Hæc de prima Concluſione.

II. *Propoſitio.* Catechumenis verè pœnitentiam agentibus, & per fidem vivam in Chriſtum mediatorem ob remiſſionem peccatorum recumbentibus, confert Baptiſmus gratiam obſignantem remiſſionem peccatorum priùs admiſſorum, augmentum donorum, inſitæ item concupiſcentiæ diminutionem, & utriùſque majorem certiorationem.]

Et quidem dicimus conferre Baptiſmum, 1. Gratiam obſignantem remiſſionem peccatorum. Id quod probatur ex analogia circumciſionis, quæ cùm eſſet Sacramentum initiationis in V. T. non tamen Abrahamo adulto & jam antè juſtificato potuit conferre ipſam primam gratiam remiſſionis; quid ergo contulit? Docet Apoſtolus cùm ait, accepit ſignum circumciſionis, *σφραγῖδα* ſigillum juſtitiæ fidei, (i.) Sigillum quod ei obſignaret juſtitiam fidei: hoc eſt, quo certioretur de juſtitia accepta in præputio cùm primùm crederet; dicit enim contextus, Credidit Abraham Deo vel in Deum, & imputatum eſt ei ad juſtitiam, Gen. 15.

Obſignabat autem juſtitiam illam fidei, quam Deus promiſit in fœdere omnibus fœderis Evangelii conditionem implentibus, (i.) credentibus in ſemen promiſſum. Hinc eſt quod Circumciſio vocetur fœdus ipſum. Gen. 17. 10. (i.) Sacramentum fœderis.

Quod de Circumciſione dicit Apoſtolus, Baptiſmo ipſi multo magis accommodari poteſt, utpote in cujus locum in N. T. ſufficitur, ut non obſcurè innuit Apoſtolus, Coloſſ. 2. 11. unde & Baptiſmus dicitur à Petro *ἐπερώτημα*, ſtipulatio bonæ conſcientiæ, (i.) obligatio mutua Dei & hominis baptizati; Dei quidem teſtantis ſe recipere perſonam baptizatam in gratiam; Perſonæ verò baptizatæ dantis fidem Deo, quòd rite eum colere velit. Idem ex eo conſtat quòd neminem Catechumenum velit Deus Baptiſmate ſignari, qui non antea in fœdus gratiæ adſcriptus eſſet. Inde eſt quòd à Catechumenis antequam Baptiſmo ſiſterentur, fidei confeſſio ſemper exigebatur. Unde Philippus Eunucho, *Si credis toto corde potes baptizari.* Et Petrus, Act. 10. 47. *Numquis aquam prohibere poteſt quo minùs baptizentur qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?* Sic Commentarienſis poſtquam fidem profeſſus fuiſſet, baptizatus fuit & omnes domeſtici. Act. 16. 33. Baptiſma igitur fœderatis adultis adminiſtrabatur, idque ad teſtandum & obſignandum rem in fœdere promiſſam iis conferre. Sic Act. 2. 39.

2. Baptiſmus iiſdem Catechumenis cum baptizantur confert augmentum donorum, ac per id inſitæ item concupiſcentiæ reliquiarum tum diminutionem tum infirmationem] ad Epheſ. 5. 26. *Deus mundat Eccleſiam lavacro aquæ per verbum.* Tit. 3. 5. *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti.* Rom. 6. 3. *Quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus baptizati ſumus; conſepulti igitur ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* 1 Cor. 6. 8. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*] ex quibus ſatis liquet Baptiſmum conferre Catechumenis mundationem, ſalutem, renovationem, regenerationem, mortem peccati; quæ non poſſunt intelligi de prima renovatione aut Sanctificatione aut peccati Mortificatione;

hæc

hæc enim individuo nexu remissionem peccatorum comitantur. Cùm ergo ut jam supponimus, ante Baptismum verè conversi sunt, & remissionem peccatorum adepti fuissent, proinde & veri nominis regenerationem & renovationem. Ac proinde isti loci intelligendi sunt de pleniore & uberiore hujus renovantis gratiæ mensurâ, cujus antè primitias habuerant, per hoc Sacramentum collatâ, de firmiore etiam donorum Spiritûs possessione, inhabitatione & in corde radicatione. Ubi autem pleniùs effunduntur & firmiùs possidentur dona Spiritûs, ubi auctiora inhabitant & in corde solidiùs radicantur, ibi necesse est fomes concupiscientiæ minuatur, ejus vires magis magisq; retundantur & infirmentur.

3. Ubi dona Spiritûs & uberiùs effunduntur & radices altiores agunt, ibi necesse ut nobis certiùs innotescant & clariùs manifestentur & firmiùs obsignentur. Hoc ipsum satis efficaciter demonstrant ipsæ formulæ loquendi Sacramentales, Baptismus abluit peccata est lavacrum regenerationis, facit nos salvos, mundans Ecclesiam lavacro; Consepulti cum eo per Baptismum; Quicunq; baptizati sumus, in mortem ejus baptizati sumus; Quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Hisce enim formulis loquendi à signis ad res signatas ductis probant Prophetæ & Apostoli res promissas in Evangelio ad ipsos pertinere, quia earum Symbola minimè fallacia à Deo acceperint, ac legitimè juxta divinam institutionem usurpaverint. Cornelius timens Deum cum omni domo sua, faciens crebras eleemosynas, & assiduè Deo preces fundens, quæ ascendebant in conspectum Dei, ac proinde sinceræ conversionis egregia erant indicia; monitu Angeli accersit Petrum; quo annunciante Cornelio Evangelium illapsus est Spiritus Sanctus in omnes qui tunc aderant, quos statim jussit Petrus ut baptizentur. Cornelio autem verè converso ad præconium Petri, illapsus est in eum Spiritus Sanctus. Quorsum ergo post illapsum Spiritum baptizatur nisi ad indubitatam certiorationem & obsignationem donorum acceptorum, remissionis peccatorum, & renovationis Spiritûs Sancti?

Hæc omnia suo exemplo confirmat S. Cyprianus in præclara illa ad Donatum Epistola, ubi Baptismi efficaciam mirificè depingit. Ergo (inquit) cùm in tenebris atq; in nocte cæcâ jacerem, cúmque in salo jactantis sæculi nutabundus——fluctuarem——difficilè prorsus ac durum, præ illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, atq; in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo & mente mutaret——sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersâ, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitùs spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protenus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod priùs difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur——Scis ipse (compellans Donatum) profectò & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis mors ista criminum, vita virtutum. Sic enim lavacrum Baptismi nuncupat] Ubi tum miram mentis & voluntatis mutationem ex suscepto Baptismate ingenuè agnoscit, & ejusdem mutationis experimentalem apprehensionem & certitudinem mirè & confidenter deprædicat.

III. *Conclusio.* Sacramentum corporis & sanguinis Domini ritè suscipientibus & dignè accedentibus, verum & reale corpus fractum, & sanguinem effusum offert, porrigit, & verè & realiter exhibet in alimoniam spiritualem animæ & corporis in vitam æternam. Háncque exhibitionem iisdem dignè communicantibus veraciter obsignat.]

Probatur ex ipsis verbis Domini promissoriis, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus (i) hic panis & hoc poculum offert, porrigit, exhibet, communicat corpus meum in cruce fractum, & sanguinem in cruce effusum in spiritualem alimoniam corporis & animæ. Unde Apostolus explicat corpus per communionem corporis. Sacramentum enim hoc per excellentiam Communio dicitur; quia hunc modum Christus instituit longè efficacissimum perficiendæ unionis quàm arctissima inter sese & membra sua, itemque membrorum inter se. Nam teste Paulo, unum corpus multi sumus, omnes scil. qui de eodem pane participamus. Ubi tamen notandum est nostram

unionem

unionem, communionem, & conjunctionem cum Christo non esse propriam operationem hujus Sacramenti, licet *Communio κατ' ἐξοχὴν* dicatur, sed hanc conjunctionem, unionem & communionem fieri etiam per verbum Evangelii & Baptismum, & quidem antecedenter ad hanc unionem & communionem quam habemus per Eucharistiam, quæ propriè loquendo non est instituta ad nostram cum Christo unionem primitùs efficiendam, sed ad eandem jam factam significandam, conservandam, corroborandam, consummandam, perficiendam, arctiorem efficiendam & magis indissolubilem. Cùm enim in Eucharistia proponuntur nobis caro & sanguis Christi in Spiritualem corporis & animæ alimoniam, nemo rite percipit hanc alimoniam, nisi qui jam factus est membrum Christi vivens, eique vivâ fide adunatur. Siquidem id quod mortuum est ali aut nutriri non potest, multò minùs augeri & incrementum capere.

Sed & hoc ipsum Sacramentum, de hujus Spiritualis alimoniæ perenni exhibitione verè credentes & dignè participantes certos facit, eandémq; dignè communicantibus veraciter obsignat. Hoc ipsum abunde evincitur ex locutionibus Sacramentalibus in Scripturis tam crebrò occurrentibus, ut cùm agnus dicitur transitus Jehovæ; Petra erat Christus; Panis est corpus Christi; Poculum est Novum Testamentum; Panis est communio corporis Christi. In quibus locutionibus propter Sacramentalem unionem & obsignationis certitudinem res signata, aut ejus proprietas tribuitur sacro signo: Quas formulas loquendi ex Scripturis hauserunt antiqui Patres passim Unde tot Emphaticæ locutiones passim ubi agunt de Eucharistia. Origines Homil. 35. in Matth. Panis iste quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum. Et Augustinus contra Adimantum l.12. Dominus non dubitavit dicere, Hoc est corpus meum cùm signum daret corporis sui. Mitto reliqua.

Ex hisce aliquatenus constare possit quo sensu Sacramenta divinitùs instituta omnibus non ponentibus obicem gratiam conferant quam significant.

Tempus jam monet (Doctiss. Respond.) ut receptui canamus; satis velitatum est, satis in hac palæstra sudatum est. Macte tua virtute & eruditione, cujus specimen non vulgare hodierno certamine edidisti. Te jam ex hac palæstra tuâ meritâ cum laude dimittimus, liberamus.

Te autem, Venerande Pater, quod attinet, æquum est & tibimet ipsi indulgeas post tot ac tantos & heri & hodiè præclare defunctos labores. Tibi in hoc amplissimo theatro gratias promeritas referimus. Tibi honores tot tantisque anniversariis laboribus dignos debitósque meritissimè tum mandamus tum decernimus.

Vobis etiam Clariss. inceptoribus optimi Patris germanis Gemellis est quod gratulemur serio, quibus Doctoratus insignia meritò contulit Honorandus Pater, decrevit alma mater Academia. Spartam quam nacti estis ornate, depositum fidei talentum inviolatum illibatumq; custodite. Patris vestri, viri summi, facundiam, eruditionem Orthodoxam animo contemplemini; operè imitemini.

Superest jam & vobis etiam (Auditores Spectatiss.) gratiarum victimas immolemus, qui tantâ frequentiâ in hoc Theatro literario comparuistis, qui vestrâ præsentiâ Almæ Matris Comitia anniversaria cohonestare dignati estis, inprimis quod certantibus in pulvere Thologico aures tam benignas & patientes præbuistis. Hoc scil. tempus est illud quod Honoribus Academicis conferendis decernitur. Reliquus annus studiis, vigiliis, laboribus impenditur. Iste Dies præmiis & Coronis destinatur. Quæ tamen optimo instituto publicè decerni & conferri voluit, sub tot oculorum fideli testimonio Mater Honoranda, & palàm constet quanto stadii literarii sedulos emensores tum amore complectatur, tum Honore prosequatur. Accedat modò candor & solita benevolentia vestra, & solennia Almæ Matris Comitia Ore, Oculis, Linguis favete.

Jam superest laboris nostri suprema pars, & de Quæstionibus ventilatis, nostrum calculum adjiciamus.

Prima sic sese habet: Sacramenta non ponentibus obicem conferant gratiam.

Omnes Baptizati Infantes sine dubio justificantur.

Quæritur in præsenti de effectu quodam Baptismi in Parvulis. scil. An hunc effectum sine dubio habeat in Parvulis, ut valeat ad peccati Originalis reatûs solutionem?

Ubi 1. Asserimus, certum esse Christum Sacramentum Baptismi instituisse in remedium Originalis peccati, & ad reatûs ejusdem veram solutionem. Id Scriptura docet, Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum.* Act.22.16. *Baptizare & ablue peccata tua.* Ephes.5.26. *Mundans eam lavacro aquæ per verbum.* Tit.3.5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1 Cor.6.11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Coloss. 2. 12. *Consepulti cum eo per Baptismum.*] Ex quibus locis satis constat, institutum fuisse Baptismum in remissionem, in ablutionem, in mundationem à peccatis, quæ verba denotant solutionem reatûs omnium peccatorum, etiam originalis, quibus antea remissum non est. Credo unum Baptisma.

2. Asserimus Baptismum rectè parvulis administrari, quomodo & circumcisio olim in V. Testam. parvulis Judæorum, ex unanimi consensu Theologorum & perpetua Ecclesiæ traditione. Unde rectissimè dicimus cum *Augustin. de Baptism. contr. Donatist. l.4. cap.*23. Si quisquam in hac re authoritatem divinam quærat; quanquam quod universa tenet Ecclesia, *Nec Conciliis institutum, sed semper retentum est*, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè credimus; tamen veraciter conjicere possumus, quid valeat parvulis Baptismi Sacramentum, ex Circumcisione carnis, quam prior populus (scil. Israeliticus) accepit.] Hæc Augustinus. Et certè hoc aptè evincit exemplum Circumcisionis, in cujus locum Baptismus successit.

Hinc 3. asserimus, Cùm Baptismus in N. Testam. Circumcisioni succedat ex Christi instituto, & rectè parvulis administretur, eundem valere ad originalis peccati reatûs, quo solo implicantur parvuli, solutionem. Hæc tria nemo Catholicus Theologus inficiabitur. Sed adhuc quæritur, An omnes Infantes ritè baptizati, sine dubio justificentur? Hic hærent nonnulli Theologi apprimè docti, qui hunc effectum justificandi ab originali peccato ad solos electos parvulos restringunt. Nos duo dicimus, primum est, Omnes parvulos ritè baptizatos in Infantia morientes sine dubio justificari.] Sic Ecclesia Anglicana in rituali suo, in rubrica, ubi agitur de dilatione Confirmationis, Ne quisquam putet ex dilatione Confirmationis quicquam detrimenti pueris accessurum, is certò sciat, ex Dei Verbo clarum & perspicuum esse, Infantes baptizatos omnia habere ad salutem necessaria, & sine dubio salvari.] Ubi dicitur, Infantes baptizatos omnia habere ad salutem necessaria [pro statu, scil. parvuli] & sine dubio salvari [scil. si in statu infantili moriantur] alioqui certum est non salvari multos baptizatos Infantes, qui ad adultam ætatem perveniunt. Hæc verba prout habentur in nostro rituali, quod jam usu receptum est, verbatim desumuntur ex rituali, quod editum est An. 1552. an. Edw.vi.5. sed in editione priori an. 1549. an. Regis Edw.ii. quæ extat in operibus Anglicanis Buceri, p.439. expressiùs habetur. Ne quis putet, noxiam esse pueris, dilationem Confirmationis, usque dum adoleverint; is certò sciat ex manifesto Verbo Dei, pueros qui in Infantia, & post

post Baptismum, & ante Confirmationem moriuntur, servandos esse. Sed & hæc eadem ferè habentur in lib. Synodali edito authoritate totius Cleri Anglicani, 1537. qui inscribitur, Institutio Christiani hominis, cap. de Sacramento Confirmationis, Non ejus esse necessitatis Sacramantum Confirmationis putandum est, quin si parvuli baptizati fuerint, & ex hac luce innocentes migraverint ante Confirmationem, certò consecuturi sunt æternam salutem, virtute Baptismi priùs recepti. Hisce similia habentur in alio libro, titulo etiam Institutionis Christiani hominis, qui editus est sexennio post, authoritate Henrici 8. Homiliâ etiam de salute humani generis, quæ edita est primò an. 1547. 1° Edw. vi. sic habetur, Tanta est vis sacrificii Christi, ut parvuli baptizati, & in infantia ex hac luce migrantes, vi hujus sacrificii abluantur à peccatis, in Dei favorem adducantur, & filii Dei fiant & hæredes cœlorum.] Ex locis citatis, juxta doctrinam receptam Ecclesiæ Anglicanæ, ex Dei Verbo perspicuum est, Infantes ritè baptizatos omnia habere ad salutem necessaria (pro illo scil. statu) & sine dubio (si in illo statu moriantur) salvandos esse] cùm dicit nostra Ecclesia, ex Dei Verbo constare de ejusmodi parvulorum salute, multò magis constabit ex ejusdem sententia de eorundem justificatione, in solutione reatûs Originalis peccati: quippe cùm ad salutem non perveniatur, nisi prævia fuerit solutio reatûs Originalis.

Fundamenta autem hujus justificationis parvulorum tinctorum, in tenera illa ætate morientium sunt certa, primum est natura hujus Sacramenti quod est unicum medium, remedium seu Sacramentum à Deo institutum ad Christi meritum ejusmodi parvulis applicandum, in Originalis peccati ablutionem: vel igitur dicendum est Baptismum non esse sufficiens remedium, iis quibus est unicum remedium, ex Dei ordinatione, quod non est dicendum, aut esse Sacramentum efficax, ad reatûs Originalis peccati in ejusmodi parvulis solutionem.

2. Certum est ex præmissis voluisse Deum parvulos æquè baptizari jam, átque olim voluit circumcidi; quorsum autem voluit Deus, ut hi circumcidantur, illi baptizentur, qui morituri sunt in infantia, nisi iisdem itidem velit meritum Christi applicari, quoad ablutionem Originalis peccati, pro cujus expiatione sanguinem pretiosum effudit? Sanguis enim Christi purgat ab omni peccato; & quorsum obligari parvulos voluit ad perceptionem signi, si non vult pariter admittere ad participationem signati?

3. Deus per Sacramenta sua semper efficax est, ubi, ex parte suscipientis inpedimentum non ponitur, cum consensum præbere nequivit. Hinc Augustinus ait Infantem Sacramentum (fidei scil.) i.e. Baptismum salubriter percipere, si fidei obicem contrariæ cogitationis non opponat, Epist. 23. in fine. Non potest autem Infans inter baptizandum opponere obicem contrariæ cogitationis, aut ullius pravæ operationis, cùm præ carentia usûs rationis, nec cogitare nec omnino liberè operari possit; ergo in iis Baptismus certò efficaciam suam sortitur, quoad Originalis reatûs solutionem] Mitto alias rationes. Videamus quid hac de re sensit antiquitas. Concil. Carthagin. Epist. 90. apud Augustinum. Quicunq; negat parvulos per Baptismum Christi, à perditione liberari & salutem percipere sempiternam, anathema sit] Id quod intelligit Synodus de iis Infantibus qui in Infantia ex hac vita discedunt. Augustin. Epist. 23. Hoc Sacramentum, scil. Baptismatis, tantùm valet ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum Sacramentum, commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur.] Hoc qui non credit (inquit) & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est, etsi habeat fidei Sacramentum.] Epist. 79. Quid dicturus est de Infantibus parvulis, qui plerique accepto in illa ætate Christianæ gratiæ Sacramento, cùm sine dubio pertinerent ad vitam æternam, regnumq; cœlorum, si continuò ex hac vita migrarent, sinuntur crescere, & nonnulli etiam Apostatæ fiunt] Et de peccat. Merit. & Remiss. lib. 2. cap. 28. Si continuò consequatur ex hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant] Fulgentius de verit. Prædestinat. lib. 1. ait, Parvulum, parentibus infidelibus violenter ablatum, aut furto surreptum, si ad sanctum Baptisma quorumlibet fidelium piâ charitate perducatur, & mox ut baptizatus fuerit,

de hac vita discedat, factum esse hæredem Dei & cohæredem Christi.

Hoc primum assertum nostrum: Secundum, nostrum assertum est, Omnes parvulos etiam non-electos & finaliter perituros, in infantia rite baptizatos, à reatu Originalis peccati in Baptismo liberari.]

Fundamenta hujus assertionis sunt:

1. Natura Sacramentorum, quæ sunt ex Ordinatione Divina efficacia signa, & eatenus efficacia ut ubi ex parte suscipientis nullum impedimentum ponatur, ibi suam vim & efficaciam exerant, pro capacitate suscipientis. Cùm ergo Infantes ex eo quòd liberi arbitrii usu prorsus destituantur, nihil impedimenti opponere possint, ut suprà ex Augustino docuimus, quod vim & efficaciam Sacramenti retardet aut obstet. Cúmque Baptismus potissimum institutus sit ad solutionem reatûs Originalis peccati: Ergo omninò dicendum Baptismatis Sacramentum in parvulis omnibus hanc suam vim & efficaciam exercere.]

2. Idem evincitur ex Verbis Operatoriis, quæ in præsenti, inter baptizandum Minister pronuntiat, ubi ait, Ego te tingo, ego te abluo, ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti; ex quibus satis constat, Baptismum reverà illud ipsum operari quod Minister pronunciat. Rectè Tertullian. de Baptismo, cap. 6. Ablutionem delictorum fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Augustin Hypogn. 5. Ut quid jussit in remissionem peccatorum baptizari, si non facit verè remissionem? Imò idem jussit, quia facit. Est enim verax Deus, omnis autem homo mendax. Augustin. Epist. 157. Non est falsa etiam in parvulorum baptismate, remissio peccatorum, nec verbotenus dicitur, sed veraciter agitur. Cui concinit illud Lutheri, Qui non credit verbo Ministri dicentis, Ego te baptizo, facit Dominum mendacem, cujus illa verba sunt.] Melancth. in loc. communib. c. de Baptism. ait, Baptismi verba esse Evangelii summam. Ego, inquit, Minister mandato divino & loco Christo baptizo te (i.e.) hoc signo testificor ablui, peccata tua, & te reconciliatum esse vero Deo. Præclare itidem Zanchius, [3. Miscellan. ubi de Cœna Domin. Thes. 35.] Cùm Minister baptizat, oculis mentis in cœlum sublatis, cogito & credo Christum, quasi manu suâ cœlo demissâ, filium meum sanguine suo in remissionem peccatorum aspergere, per manum illius hominis, quem video aquâ caput Infantis aspergentem.] Hisce accedat Clariss. Calvinus [in Comment. in Eph. 5.26.] Quod Baptismo nos ablui docet Paulus, ideo est, quod illic nobis ablutionem nostram testatur Deus, & simul efficit quod figurat, nisi enim conjuncta esset rei veritas aut exhibitio quod idem est, impropria hæc locutio esset. Baptismus est lavacrum animæ.

3. Si in parvulis omnibus Baptismus non solvat reatum Originalis peccati, videri possit Deum non seriò & veraciter agere cum suscipiente, quem vult & jussit baptizari; & supposito novo fœdere cum toto humano genere & ejusdem signis, & Sacramentis tum institutis, tum ritè applicatis, iisdem signis suis Deum deesse, & (quod absit) suis non stare promissis, atque adeo supposito novo fœdere, deserere antequam deseratur. Quare prorsus dicendum est, Deum remotò omni ex parte suscipientis impedimento (i.e.) libera resistentia, suæ ordinationi non deesse, sed in parvulo rite baptizato, solvere reatum originalem.] Hinc Patres in Concil. Valentin. in Gallia, tempore Lotharii Imp. circa annum 855. Cui præfuit Remigius Lugdunensis Episc. cap. 5. Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta. Quia nec in iis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio, cùm in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate & sinceritate subnixum.] Hæc Patres Valentiniani. Nec minùs rectè clariss. Calvinus in Tit. 3. Illud valere debet inter pios, Deum non inanibus nobiscum figuris, sed virtute sua intus præstare, quod externo signo demonstrat. Quare congruenter & verè, Baptismus dicitur, lavacrum regenerationis.

4. Rectissimè dicuntur Sacramenta instrumenta moralia & organa, gratiæ quam significant, exhibitoria. Quomodo ergo Baptismus diceretur instrumentum gratiæ,

cum

cùm parvulis adhibetur, si tunc, cùm actu adhibeatur, & applicetur & expeditum sit, & nullâ liberâ resistentiâ ex parte suscipientis impeditum, non tamen effectum ad quem divina institutione ordinatur, producat. Quod autem Sacramenta rectè dicantur instrumenta moralia, & quidem gratiæ exhibitiva, mediante morali significatione, repræsentatione & obsignatione, passim docent nostri Theologi. Bucerus in Retract. in Matth. 3. agnoscit Sacramenta rectè dici, instrumenta, organa & canales gratiæ. Atque hinc (inquit) Apostolus vocavit Baptisma lavacrum regenerationis, & Baptismo affirmat nos esse in Christi mortem sepultos, Christo incorporatos & Christo indutos: Et per Sacramenta Christum Dominum suam nobis redemptionem communicare, & Sacramenta esse communionis Christi (i.e.) salutis nostræ signa exhibitiva & organa quibus Dominus sui communionem nobis impertit.

Dices, Sacramenta hæc omnia præstare in recto usu: At parvulo non-electo non rectè adhiberi hoc remedium ex intentione Dei, quicquid sit de intentione Ecclesiæ.

Sol. Negamus parvulo non-electo non rectè adhiberi. Nos dicimus Ecclesiam rectè & salubriter, tum electos, tum non-electos baptizandos sistere; eosdémque Baptismatis lavacro rectè promiscuè abluere, & Deum efficaciter suæ ordinationi adesse quoad solutionem Originalis reatus, non obstante quocunq; antecedaneo decreto, ubi nullum impedimentum per liberam suscipientis resistentiam opponatur. Id quod jam amplius demonstraturi sumus de consensu antiquitatis. Concil. Milevitan. cap. 2. Propter hanc regulam fidei, etiam Parvuli, qui nil peccatorum, in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt] Ubi de omnibus baptizatis parvulis agitur. Augustin. de peccat. Merit. & Remiss. 3. cap. 5. Antiquitus universa Ecclesia pertinuit (i.e.) constanter tenuit, fideles parvulos, originalis peccati remissionem per Christi Baptismum consecutos esse] Et in Enchirid. cap. 42. A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à Baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in Baptismo.] Prosper ad capit. Gall. Object. 2°. Relapsum post baptismum ad infidelitatem & impios mores, qui negat Originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem asserit, non æterna morte esse damnandum] Et in sentent. secunda super illud capit. Qui dicit, quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est Catholicus.] Epistol. Synodic. Episcoporum XI. Aphricanorum. Esau (inquiunt) Sacramento circumcisionis accepto, reatu peccati originalis caruit: sed per nequitiam cordis, illius judicio derelictus, qui gratis salvat, justéque damnat.]

Et rursus, Illud tenendum omnibus necessarium esse sancti Baptismatis Sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum.] Fulgentius lib. 1. de verit. Prædest. p. 33. Iniqui qui in sua iniquitate justo Dei judicio relinquuntur, etiamsi perceptione Sacramenti carere dicantur peccati originalis reatu, subsequentium tamen (i.e.) propriorum merito peccatorum ad ignis æterni devolvuntur supplicium.]

Dices, Secundum hoc nostrum assertum, ponere Apostasiam justorum & planè impugnare perseverantiam Sanctorum, quam tamen supponere videri possit Artic. 17. nostræ Confess. dum supponit verè pios esse Prædestinatos.

Sol. Nego sequi.

Nam 1. etsi asseram parvulos non-electos & finaliter perituros, in infantia ritè baptizatos, à reatu Originalis peccati baptismo liberari atque adeo justificari; tamen simul assero taliter justificatos, nunquam excidere ab illa justitia, nec (teste Prosp. ad capit. Gall. Object. 2.) in id quod remissum est, recidere; nec in originali peccato damnari, sed propter postrema crimina morte affici. Peccatum igitur originale in istiusmodi Apostatis non redit, etsi propter actualia peccata novam, cùm adolescant, contrahant injustitiam, cujus reatu non deleto, proprio demerito postea damnantur.

2. Respondeo, Originalis peccati indulgentiam, quæ sufficit parvulo ad justificationem,

ficationem, non sufficere eidem ad justificationem, cùm ad adultam ætatem pervenerit. Quamvis enim prior justificatio non sit irrita, manet enim semper, illam verè solvisse reatum originalem; non tamen actualia peccata supervenientia quæ libero arbitrio committuntur, alitèr quàm liberis actibus fidei & pœnitentiæ dimittuntur. Id quod ex formula Baptismi manifestò evincitur; siquidem parvulus baptizatus per sponsores paciscitur

1° Se, quam-primùm ad adultam ætatem pervenerit, renuntiaturum diabolo, carni, mundo.

2° Crediturum se omnibus fidei articulis.

3° Sanctam Dei voluntatem, & omnia ejus præcepta observaturum, in iisque per omnem vitam ambulaturum: quod votum si tunc non præstiterit, cùm arbiter jam constitutus sit suæ voluntatis, fœdifragus fit; nec ab istis peccatis omissionis absolvi potest, nisi actuum fidei & pœnitentiæ interventu. Ad justificationem igitur adulti baptizati nova ratio ineunda est, quàm illa quæ inita est in ipso baptismo. Id quod pariter pronuntiandum est de Adoptione, & Mystica Unione.

3. Dico nostram assertionem nullo modo perseverantiam Sanctorum enervare. Siquidem quando de perseverantia Sanctorum quæritur, perspicuum est de illis Sanctis agi qui rationis usu pollent, actibúsque fidei & pœnitentiæ ex Evangelio prædicato conceptis, justificantur; quiq; in eadem fide propriæ voluntatis actu aut perseverare aut à perseverantia deficere ponuntur. Ac de illa perseverantia propriè lis erat Augustino cum Massiliensibus, An donum Dei speciale fuerit, an opus liberi arbitrii ábsque hoc dono? Et perseverantia propriè denotat constantiam oppositam mutabilitati ex libertate arbitrii creati profectæ. Unde & Infantes etiamsi in gratia permaneant, quia in ea à Deo physicè cõnservantur, ipsi tamen non certè dicuntur perseverare in illa, quia ad illam in gratia permanentiam nihil liberè conferunt aut cooperantur. Ex dictis aliquatenus constare potest, quo sensu verè dicatur, *Omnes baptizatos parvulos sine dubio justificari.*

Tempus jam monet (Doctiss. Resp.) ut receptui canamus. Satis experti sumus in hoc tyrocinio tuam in hoc Theologico pulvere certandi peritiam. Macte tua virtute & eruditione, cujus specimen non vulgare hodierno conflictu edidisti. Te jam ex hac palæstra, tuâ meritâ cum laude dimittimus, liberamus.

Te autem, Reverende Pater, nos omnes meritò beatum prædicamus, qui filios tali ingenio præditos quotannis in hoc Theatro exhibes. Tu itidem nos omnes beare soles salutaribus istis præceptis & monitis, quibus filios tuos doces, instruis, ad omnia Theologiæ munia instituis. Tibi in hoc amplissimo Theatro gratias promeritas referimus, honoréSque tot tantísque anniversariis laboribus debitos, mandamus, decernimus.

Vobis etiam Optimi Patris filiis est quòd meritò gratulemur, quibus Doctoratus insignia non sine vestro merito contulit venerandus Pater, decrevit indulgentissima Mater Academia. Spartam quam nacti estis indies studiosè ornate, sacrosanctum depositum custodite, Catholicæ fidei Talentum pretiosum inviolatum illibatúmque conservate. Patris vestri viri summi vestigiis insistite. Almæ Matris honore & dignitate nihil charius, nihil antiquius habetote.

Superest jam (Auditores spectatissimi) ut vobis qui tantâ frequentiâ hùc confluxistis gratias condignas persolvamus, qui Almæ Matris Comitia anniversaria, honoris Theatrum amplissimum, solitâ vestrâ præsentiâ cohonestare dignati estis, inprimis verò quòd certantibus in pulvere Theologico aures attentas & benignas accommodastis; hæc scilicet erat majorum nostrorum summa prudentia, ut solennes disputationes in omni scientiarum genere hisce Comitiis haberentur, ut viris doctis in hoc Theatro, publici honores & gradus decernerentur, non tamen absq; suæ virtutis in hoc certandi genere prævio specimine, ut horum exemplo alii ad

ad fimilia ftudia incenderentur. Horum omnium vos teftes, imò judices eftis, annuente & decernente id indulgentiffimâ Matre Academiâ, quæ non parum lætatur anniverfario hujus celeberrimæ coronæ confpectu. Accedat tantùm Candor & æquanimitas veftra, & Almæ Matri anniverfaria fua Comitia celebranti omnia faufta & fœlicia precamini.

Jam fupereft laboris noftri fuprema pars, & de quæftionibus jam ventilatis, calculum noftrum adjiciamus.

Baptifmus

Baptismus non tollit peccata futura.

HÆc ipsa quæstio non unum sensum admittit, ac proinde isti diversi sensus sunt exuendi, ut quantum insit cuivis veritatis, indagemus. Per Baptismum intellige Sacramentum Baptismatis, & quia hoc Sacramentum est illud quo prima initiatio nostra facta est, & receptio in gremium Ecclesiæ & in Christum incorporatio: unde non inconcinnè Hieronymus, Ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur; hinc per Baptismum intelligere possimus gratiam quæ confertur in prima conversione, quâ transferimur è stipite veteris Adami, & in Christum novum Adamum inserimur.

Dicimus jam nec Sacramentum Baptismatis, nec gratiam quæ confertur in primâ conversione tollere futura peccata (i.e.) peccatorum futurorum reatum.

Ob diversitatem sensuum veritas uniuscujusq; ex sequentibus conclusionibus elucescet.

Sit ergo *Prima Conclusio.*

I. Certùm est Baptismatis Sacramentum in parvulo baptizato abluere Originalis pecati reatum, ac proinde primorum omnium motuum per totam vitam oriundorum.] Quòd Baptismus abluat in parvulo originalis peccati reatum, jam suppono ex priùs in hisce Comitiis aliquot ab hinc annis probatis. Quòd Baptismus idem primorum motuum per totam vitam futurorum reatum itidem tollat, sensit Augustinus, cui planè assentior. Hinc est quod idem Doctissimus Pater toties doceat, Non opus esse pro motibus concupiscentiæ involuntariis dicere, Dimitte nobis debita nostra. Non quòd non veri nominis peccata fuisse non sentiret, (ut pessimè colligunt Romanenses) sed quòd omnes unà cum radice pravæ Concupiscientiæ unde pullulant in Baptismate censuit esse remissos; ut videre licet Epistolâ 200. ad Asellicum, & in libro de perfect. Just. & sæpe alibi.

II. *Conclusio hæc sit.* Certum est, licet baptizatus renatus cùm adoleverit, ratione reliquiarum concupiscentiæ, in omni opere bono aliquid omittat, & leviora peccata quotidie committat, oblivionis, subreptionis, negligentiæ, inadvertentiæ, & id genus alia, hæc tamen peccata leviora, licèt veri nominis in se peccata sunt, & Deo exosa, & verè mortem in se mereantur, statum tamen Justi nec mutant, nec interrumpunt, nec suspendunt, nec jus ad regnum cœlorum adimunt, nec usum juris intercipiunt. Cum autem juxta Theologos omnes, habitus pœnitentiæ in justificatis sit perpetuus, exercitium assiduum, planè dicendum est, hæc peccata quotidianæ incursionis (ut appellat Tertullianus) pœnitentiâ saltem virtuali quotidianâ tolli.

III. *Conclusio.* Baptismus vim habet obsignandi parvulo, cum adoleverit, remissionem omnium actualium peccatorum, quandocunq; impleverit votum Baptismi, convertendo se ad Deum per veram cordis contritionem, & veram & vivam fidem in sanguinem Christi, eámque tum actu ei obsignat, cum actu sic impleverit votum Baptismi.

Hinc 1° Circumcisio octavâ die parvulis administrata, cum primùm fœderis conditionem actu præstarent, facta est iis, quomodo & Abrahæ, sigillum justitiæ fidei. Rom. 4. valebat ergo in peccatum futurum.

2° Deus

2° Deus in Baptismo fœdus gratiæ nobiscum init ac pollicetur se fore Deum ac patrem nostrum, perinde ut olim in Circumcisione, cum Abrahamo & semine ejus pactum inivit. Jam fœdus Dei est æternum, & perpetuum, non etiamsi per peccata ex parte nostrâ fœdus violetur, ita violatur, ut nobis ad Deum per fidem, & pœnitentiam redeuntibus, Deus tamen illud amplius ratum ac firmum esse nolit, cum incredulitas hominum fidem Dei nequaquam evacuet. Huc pertinet illud, Gen. 17.7. *Feriam tecum pactum in fœdus sempiternum*, ubi de Sacramento Circumcisionis agit. Esaiæ 54.10. *In misericordiâ sempiternâ misertus sum tui: Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non movebitur.* Rom. 3.3. *Num incredulitas hominum fidem Dei evacuabit?* absit. Hinc Scriptura monet ut ex recognitione baptismi incitemur per totam vitam ad mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi hominis. Rom 6.3,4. *An ignoratis vos quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos, sepulti igitur sumus unà cum eo per Baptismum, ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos novâ vitâ ambulemus.* Coloss. 2.12. *Consepulti cum eo per baptismum, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.*

Porro fœdus in Baptismo initum comparatur fœderi conjugali, ut patet Eph. 5.16. Quemadmodum igitur maritus uxorem, quam in adulterio deprehensam bono jure, repudiare poterat, retinens: non ad aliud, quàm ad conjugii semel contracti fœdus revocat. Ita Deus sponsam adulteram fornicantem cum amatoribus multis non ad aliud, quam semel initum spiritualis conjugii pactum reverti jubet. Huc spectat dulcissima promissio Jerem. 3.2. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

3° Baptismus in N. Testamento successit Circumcisioni, Coloss. 2.11. *Quod ergo Circumcisioni tribuitur, Baptismo negandum non est.* At fideles Israelitæ ex Circumcisione, (i.e.) ex fœdere Dei, in quod per Circumcisionem recepti fuerant, efficaces consolationes in veteri Testamento petierunt. Sic Jonathan, 1 Sam. 14.6. *Transeamus ad castra illorum incircumcisorum*] Quasi diceret, Nos sumus in fœdere, cujus signum gerimus in carne nostrâ. Illi autem non sunt in hoc fœdere, Deus ergo nobis aderit suâ gratiâ, & auxilio. Sic David congressurus cum Goliatho, 1 Sam. 16. *Quis ille Philistæus incircumcisus exercitui Dei maledicens?*] Ergo quidni etiam Christiani fideles ex Baptismo (i.e.) ex fœdere Dei, in quod per Baptismum recepti sunt efficaces consolationes petere possint, quandocunq; in peccata nova inciderint, & de iis serio pœnitentiam egerint?

4° Exempla fidelium in Novo Testamento apertè evincunt solere sese fœderis baptismatis recognitione consolari post lapsus & renovatam pœnitentiam. Apostolus Corinthios lapsos ad Baptismi recognitionem revocat, 1 Cor. 6.11. *Et hæc eratis nonnulli, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* 1 Cor. 12.13. *In uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus.* Sic Paulus Galatas lapsos erigit. Gal. 3.27. *Quotquot baptizati estis Christum induistis.* Heb. 10.22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ.* Sic Tit. 3.5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, sive renovationis.*] Renovatio in Baptismo incipit, sed per totam vitam durat, ut non opus sit novo Sacramento, ut salvi simus.

5° Accedat Augustinus de Nuptiis, & Concupiscentiâ, lib. 1. cap. 33. Quod Paulus ait, "Mundans eum lavacro aquæ in verbo, sic accipiendum est, ut eodem la-"vacro regenerationis, & verbo Sanctificationis omnia prorsus mala hominum "regeneratorum mundentur, atq; sanentur, non solùm præterita peccata, quæ omnia "remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humanâ ignorantiâ vel infirmitate "contrahuntur. Non ut baptismus, quoties peccetur, toties repetetur, sed quia "ipso, quod semel datum est, fit: Et non solum antea, quorumlibet peccatorum "venia fidelibus impetretur. Et pauló ante, eâdem regeneratione quæ nunc fit per "sacrum lavacrum usq; in finem cuncta mala hominis purgantur, atq; sanantur. [Alphonsus Salmeron Tom. 13. p. 487. citatis hisce Augustini locis disertè concludit, Baptismo non tantum præterita, sed etiam futura remitti peccata.]

Ultimò, Lombardus ex Augustino 4. Dist. 4. lect. G. rem Sacramenti aliquando longè sequi ipsum Sacramentum rectè docet, & post eum Scholastici, ut in ficte accidentibus, quibus, recedente fictione, cum jam pœnitentiam primò agant, incipit baptismus prodesse. Huc spectat pactio dilatoria Durandi, quâ asserit, ubi in susceptione Sacramenti ponitur obex, ibi vi pactionis divinæ baptismum longè ante administratum, sortiri suum effectum abluendi reatum, quam primum obex removeatur, 4. Dist. 4. Quæstion. 4. Valet ergo aliquando Baptismus in futura peccata.

Ex dictis conficitur, adeo Baptismum valere in peccata futura, Ubi votum Baptismi adimpletur, verè pœnitentiam agendo de peccatis admissis, & credendo in Christum Redemptorem ob eorundem remissionem, & omnia confestim abluantur, & abluta esse obsignentur; nec opus sit aliquo novo Sacramento Absolutionis Sacerdotalis, ad dicta peccata aut remittendum, aut ad eorum remissionem obsignandum: Quomodo in V. Testament. quoties novum peccatum perpetratum est, ad ejusdem peccati remissionem, & eandem obsignandam, verè contritis & credentibus in Messiam venturum non aliud Sacramentum, non aliud sigillum justitiæ fidei, necessariò requirebatur, quàm Sacramentum Circumcisionis octavâ die à nativitate susceptum.

IV. *Conclusio.* Quod ad graviora futura peccata spectat, quæ cum consensu post baptismum, aut primam conversionem liberè vel omittuntur, vel committuntur, dicimus nec actu remitti in Baptismo, nec in primâ conversione, nec omnino antequam perpetrentur, nec potest, nisi intervenienti novo pœnitentiæ, & fidei salvificæ actu.] Id passim testantur Scripturæ. Solomon in Oratione illâ solenni in templi dedicatione, 1 Reg. 8. 33. *Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, & agentes pœnitentiam hîc oraverint, dimitte peccata populi tui Israel*] Hîc non solum agitur de remissione mediante pœnitentiâ in primâ conversione, sed quotiescunq; populus novum peccatum commiserit, ut Deus dimittat: sed ea lege, Ut de novo agat pœnitentiam. Psal. 32. 5. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domine, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.*] Hic David renatus novum peccatum agnoscit, improbat, de eo dolet; quæ omnia supponuntur ad seriam confessionem, & *tunc*, non *ante*, sequitur divina remissio. Idem David renatus incidit in atrociora peccata Adulterii, Homicidii, & sub eorundem reatu per novem integros menses jacuit, monente Nathan Prophetâ per parabolam, agnoscit, improbat, detestatur, convertitur, & non nisi omnibus hisce pactis pronunciat Nathan, *transtulit Dominus peccatum tuum.* Idem David, 2 Sam. 24. ex animi elatione lustravit populum, post novem menses lustrata est universa terra. Tum percussit eum cor Davidis, & dixit ad Dominum, peccavi valdè in hoc facto, sed precor Domine ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultò egi nimis.] Quid opus erat pœnitentiâ, confessione, precibus tam seriò effusis Davidi renato, si jamdiu ante remissum fuisset hoc novum peccatum? Certe neq; congruum est, aut consentaneum, aut divinæ justitiæ, aut etiam sapientiæ, ut ei nova peccata condonentur, qui de novis peccatis, quorum conscius est, quibus Dei justitiam graviter læsit non seriò de novo doleat, simúlq; de novo non proposuerit secum ab iisdem, & similibus peccatis, in posterum sedulo abstinere.

2. Futurorum peccatorum nulla potest esse antequam committantur præcognitio certa, nulla proinde agnitio, nulla improbatio, nulla pœnitentia, ac perinde nulla remissio.

3. Nulla remissio potest esse actualis in tempore peccati novi nondum admissi, objectum siquidem remissionis est peccatum admissum præexistens; neq; remitti potest quod nondum est, neq; intelligi potest quomodo actu remittatur nova culpa liberè perpetrata, quæ nondum in rerum naturâ existet.

4. Peccata sunt animi peccantis vulnera, non sanatur vulnus nisi applicato remedio; nec novum vulnus nisi applicato de novo remedio. Poculum immortalitatis (dicente Prospero) habet in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur ad object. Vincentianas, Resp. 1. Nec sanat medicus hominem, sed Socratem, aut Platonem. Nec adhibetur rectè Pharmacum nisi probè præcognita fuerit natura morbi,

morbi, qualis cognitio non poteſt certò haberi, morbi non niſi contingenter futuri.

5. Si peccata futura omnia ſimul & ſemel in Baptiſmo, aut in primâ converſione remittantur, quorſum prophetarum in ſacris literis minæ, comminationes, invitationes, incitamenta, hortationes populi Dei deficientis à Deo, ad pœnitentiam, ad fidem, ad novam cum Deo reconciliationem poſt nova peccata admiſſa ineundum: quæ tamen paſſim occurunt in prophetarum & Apoſtolorum concionibus in ſacris literis. Hæc omnia ſupponunt novis peccatis admiſſis, de novo reconciliationem neceſſariò cum Deo ineundam fore.]

6. Certum eſt ſanctiſſimos homines quamdiu ſunt viatores, obnoxios eſſe novis peccatis, & ſæpe de novo verè peccare, ut liquet exemplis Davidis & Petri. Certum autem eſt eoſdem ex admiſſo novo peccato, verè novum reatum contrahere. Certum itidem eſt novum reatum non ablui, niſi de novo applicetur morborum animæ unicum Pharmacum ſanguis Mediatoris: Certum eſt ſanguinem Chriſti non de novo applicari niſi fide in ſanguinem Chriſti (Rom.3.25.) recumbente. Certum itidem eſt neminem de novo, actu recumbere in Chriſtum, niſi verè de novo contritum, & corde compunctum ob peccatam de novo perpetratum; nec de novo peccato admiſſo quis conteritur, niſi de peccato novo tum agnito, tum improbato. Hoc ipſum evincunt Davidis, Pſal. 51. *Confeſſiones crebræ peccati*, triſtes querelæ, peccati atrocitatis exaggeratio, innatæ pravitatis agnitio, culpæ iteratæ deprecationes, ardens deſiderium redeundi in gratiam cum Deo, promiſſio gratitudinis, & id genus alia. Teſtantur hoc ipſum Petri etiam lacrymæ ubertim fuſæ, confeſſio ter iterata, & id genus alia. Concludo nullo modo admittendum eſſe illud quorundam Dogma novellum Peccata præterita & futura, aut in Baptiſmo, aut in prima converſione ſimul & ſemel remitti.

Doctiſſime Reſpond. Satis velitatus es. Satis experti ſumus in hoc tuo tyrocinio, tuam in hoc Theologico pulvere certandi peritiam. Macte tuâ virtute & eruditione, cujus ſpecimen haud vulgare, hodierno tuo cum tot veteranis congreſſu edidiſti. Te jam ex hac palæſtra, eâ quam meruiſti laude, dimittimus, liberamus.

Te autem, Reverende Pater, Nos omnes meritò beatum prædicamus, qui tam numeroſam prolem nobis inexpectatò hiſce Comitiis peperiſti. Tu itidem nos omnes beare ſoles ſalutaribus iſtis tuis præceptis & monitis, quibus filios tuos doces, inſtruis, ad omnia Theologiæ munia inſtituis. Tibi in hoc ampliſſimo Theatro gratias promeritas, Almæ Matris nomine referimus, & pro anniverſariis hiſce laboribus, honores anniverſarios debitos, Meritiſſimè & Libentiſſimè decernimus.

Vobis etiam Optimi Patris filiis eſt quòd meritò gratulemur, quibus Doctoratûs inſignia contulit Venerandus Pater, decrevit indulgentiſſima Mater Academia. Spartam quam nacti eſtis indies ſtudioſè adornate, ſacroſanctum fidei Orthodoxæ Talentum vobis concreditum, inviolatum, illibatúmque conſervate. Patris veſtri veſtigiis inſiſtite. Almæ Matris honore, nihil prius, nihil antiquius habetote.

Supereſt jam (Auditores ſpectatiſſimi) ut vobis qui tantâ frequentiâ undique conveniſtis gratias condignas perſolvamus, qui Almæ Matris Comitia hæc anniverſaria, hac veſtrâ numeroſâ præſentiâ cohoneſtare dignati eſtis; inprimis quòd Diſputationibus hiſce Theologicis aures tam attentas & benignas accommodaſtis. Hæc ſcilicet erat majorum noſtrorum ſumma cura, prudentia ſumma, ut in fine hujus anni literarii, in omni ſcientiarum genere, in magnis hiſce Comitiis, ſolennes Diſputationes haberentur; ut ita viris doctis in hac Celeberrima Corona, publici Honores & Graduum inſignia decernerentur, non tamen abſque prævio aliquo virtutis ſuæ edito ſpecimine, ut horum exemplo, alii ad ſimilia ſtudia incenderentur. Quæ omnia ſub oculorum veſtrorum fideli teſtimonio peragi voluit Honoranda Mater Academia. Accedat duntaxat Candor & æquanimitas

vestra, & Almæ Matri hæc anniversaria sua Comitia celebranti, omnia fausta & fœlicia comprecamini.

Jam superest laboris nostri suprema pars, ut de quæstionibus jam ventilatis, nostrum calculum adjiciamus.

Realis præsentia Christi in Eucharistia non ponit Transubstantiationem.

IN hac quæstione { Unum supponitur, realem scilicet præsentiam Christi dari in Eucharistia. / Alterum dato hoc supposito negatur, Poni in Sacramento Transubstantiationem.

I. Ecclesia nostra in Confess. Art. 28. de cœna Dominica agens, ritè, dignè & cum fide sumentibus (inquit) panis quem frangimus est communicatio corporis Christi, & poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi, & in Catechismo parvulo aucto quærit Catechista, Quænam est pars interna, sive res signata? Respondet Catechumenus, Corpus, & sanguis Christi, quæ verè ac reipsa, seu realiter exhibentur, & à fidelibus recipiuntur in sacra cœna.

In Augustana Confess. Art. X. primò sic habebatur in exemplo Germanicè scripto de cœna Domini, docent quod corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini. & improbant secus docentes. Postea in editione Latinâ à Philip. Melancth. versâ sic redditus, est Artic. 10. De cœna Domini docent quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in cæna Domini, an. 1540.

Anno 1541. in Conventic. Ratispon. publico ord. Evangelicorum judicio, sic restitutus hic Articulus.

Fatemur in cœna verè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi sumentibus: Perspicuè testati sumus quod in cœna Domini verè & realiter adsint, & sumantur corpus & sanguis Domini. Testati etiam sumus nos improbare eos, qui negant adesse & verè sumi corpus Christi. Milius in August. Confess. p. 148.] Videtis quâ occasione Protestantes usurparunt illam formulam Realis præsentiæ corporis Christi in cœna, quam postea retinuerunt nostri Theologi passim.

Non ergo temerè supponit doctissimus Respondens, realem præsentiam Christi, imò & corporis Christi in Eucharistia dari, & concedi posse.

Ut autem hoc suppositum rectiùs intelligatur præmittendum est, Per Christum, seu Christi corpus nos non intelligimus Christum aut corpus Christi quomodolibet sumptum: non Christum, aut Christi corpus simpliciter, quâ ex carne & ossibus constat, sed juxta verba institutionis, & unanimem consensum Patrum, Christum, & Christi corpus quâ fractum, & Christi sanguinem quâ fusum, seu Christum & Christi corpus quâ crucifixum & in cruce olim pendulum. Tale enim est corpus illud quod in mensa Dominica ponitur, promittitur, offertur, porrigitur, datur, & exhibetur: Tale etiam est quod communicatur dignè suscipienti, & ab eodem recipitur, & manducatur.

2. No-

2. Notandum est præsentiam hujus corporis fracti accipi posse bifariam, vel respectu

{Signorum Mysticorum.
{Ipsorum Suscipientium.

Nos cum Doctissimo Hookero dicimus hanc realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia non quærendam esse in signis Sacramentalibus; ac si ipsum Christi corpus verum, naturale, cruci suffixum, aut gloriosum sub speciebus delitesceret, per Transubstantiationem signorum Mysticorum in substantiam corporis & sanguinis Christi, quæ est Hæresis Romanensium, neq; per realem Consubstantiationem veri corporis per indistantiam localem unà cum substantia panis, qui est error Lutheranorum, nec in signis aliam quàm partionalem præsentiam agnoscimus: Sed dicimus hanc veram, & realem præsentiam corporis Christi quærendam esse duntaxat in animis, & cordibus verè fidelium suscipientium: ut rectissimè Hookerus.

Hæc autem præsentia, quâ corpus Christi præsens est cordibus suscipientium fidelium non definieda est per indistantiam, seu localem propinquitatem, sed per communicationem, seu obversationem circa sensus nostros exteriores, vel interiores. Quicquid enim obversatur circa sensus exteriores, vel interiores, ut circa Intellectum, Voluntatem, aut Affectus, iisque se cognoscendum, aut appetendum præbet, & communicat, id verè præsens dici potest, & dicitur. Hinc concionator in templo, præco in foro, Professor in Schola quando se videndum, aut audiendum exhibet suis Auditoribus, dicitur illis verè præsens, tametsi loci distantiâ sit omnibus remotus, aliis licet propinquior, aliis remotior. Sic sol nobis verè præsens est, & dicitur cum interdum suum verum, & substantiale corpus, & per illud suum splendorem, atq; calorem nobis communicandum præbet, & nos revera illius simus participes. Cùm verò ad aliud hæmisphærium progressus nobis seipsum non ampliùs communicat, tum dicimus illum abesse, & absentem esse. Quibus exemplis manifestum est dari veri nominis præsentiam aliam, quàm illa, quæ definitur indistantiâ, seu locali propinquitate.

Sic Christi corpus cruci affixum in Eucharistia fidei ritè suscipientis realiter præsens verè dicitur.

Licet enim Christus ante annos mille sexcentos Hierosolymis in Monte Calvaria crucifixus est, tamen fides suscipientis innitens promissione divinâ, *Hoc est corpus meum* (i.) hic panis benedictus, fractus, oblatus, est exhibitivus corporis mei crucifixi, certissimè credit, unà cum pane Christi corpus crucifixum offerri, & exhiberi ad alimoniam spiritualem tum animæ, tum etiam corporis ad vitam æternam. Fidei enim dignè communicantis non minus ex promissione divinâ subsistit Christi corpus crucifixum, atq; cum reipsâ olim cruci affigeretur, illudq; per Dioptram fidei, in celebratione hujus Sacramenti, clarè intuentur fideles, æquè atq; Stephanis oculis corporeis conspexit corpus Christi gloriosum ad dextram patris. Idq; fit actu firmi, & indubitati assensûs, quo fides, quæ est πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων (i.) evidens demonstratio rerum non apparentium, de veritate divinæ promissionis & exhibendo corpore crucifixo unà cum signis Sacramentalibus certioratur. Talis enim demonstratio est ipsa fides qualis est dioptra illa, de quâ Galilæus in sydereo nuncio, quâ montes, & valles in Lunari corpore, & stellæ aliis non apparentes, vel naves, & turres remotissimæ, aliis non visæ, apparent, & cernuntur. Hoc enim speculum oculos confortat, & species visivas ita cogit, roborat, & condensat, ut longissimè se spargant, rémq; remotissimam, aliis invisibilem, clarè conspiciendam præbet. Tale est speculum fidei respectu supernaturalium objectorum. [Vid. Cornel. à Lapide in Heb. 11. ver. 1.] Tale est speculum fidei respectu Christi crucifixi, & in hoc Sacramento propositi, oblati, exhibiti, ex parte Dei, quæ fides Sacramenti appellari potest. Atq; hac fide de istâ coexhibitione veri corporis fracti cum mystico pane, juxta Christi promissionem persuasus fidelis in Christi corpus crucifixum fiducialiter recumbit, atque adeo corpus illud ex promissionis tenore divinæ à suscipiente fideli verè & realiter recipitur, atq; adeo ex tali receptione subjectivè inest, manducatur, in eoq; manet in perennem animæ, & corporis, Mysticam,

Mysticam, sed veram, & realem alimoniam ad vitam æternam. Hoc fit actu fiduciæ, & supponit fidem Sacramenti. Adde corpus in Eucharistia præsens etiam dicitur per conjunctionem. Cum enim persona dignè suscipientis per vinculum Spiritus Christi incorporetur, ut membrum Christo θεανθρώπῳ ut capiti, eiq; per Mysticam unionem verè, & realiter uniatur. Hinc corpus Christi præsens suo modo dici potest suscipienti, ut membrum commembro. Quomodo pes Platonis capiti præsens est quà membrum ejusdem suppositi, & magis præsens ejus capiti, quàm pes Aristotelis, vel alterius suppositi, etiamsi caput Platonis contingat Physico contactu.

Illud etiam adjiciendum est, licet corpus, quod objectivè offertur, & exhibetur, & subjectivè recipitur in Eucharistia, sit corpus fractum, & exangue, non gloriosum. Per Sacramentum tamen hoc corporis fracti nos communionem habere cum glorioso, siquidem Sacramentum hoc, quæ communio per excellentiam rectissimè dicitur, instituit Christus, ut medium longe efficacissimum perficiendæ unionis quam arctissimæ, & intimæ inter corpus suum gloriosum & membra sua; ex hac unione cum Christo, ut capite, membris communicantur merita Christi, & omnia beneficia sacrificii corporis Christi immolati in ara crucis.

Atq; ita habetis realem præsentiam corporis Christi tum objectivam, tum subjectivam, tum per mysticam communicationem, respectu ipsorum suscipientium in hoc cœlesti Mysterio. Hoc primum.

Secundum erit:

Hoc tamen reali præsentia Christi in Eucharistia positâ, & datâ dicimus inde non poni Transubstantiationem. De quâ sic Ecclesia nostra Articulo 28. Panis, & vini Transubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturæ verbis adversatur, Sacramenti naturam evertit, & multarum suppositionum dedit occasionem] Hæc Articulus.

Nos insistentes in vestigiis conditorum Articuli:

1. Docebimus adversari apertis Scripturis.
2. Naturam Sacramenti evertere.
3. Multarum suppositionum occasionem dedisse.

Et quidem 1. Scripturis adversatur Evangelistis, qui uno ore testantur Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ pridie, quàm in cruce passus est. Atq; hoc dato Christus in primâ cœnâ comedebat suum naturale corpus immane facinus, & tanto immanius, quanto suam ipsius carnem vivam devorare, aut deglutire, Immanius longe est, quàm siquis alterius hominis carnem deglutiret. Certè ab hoc sensu, longè abhorruit Augustinus, qui colligit figuram esse his verbis Christi, Joan. 6. 53. *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, &c.*] quia alioqui flagitium, aut facinus jubere videatur Dominus.

2. Idem evincitur, ex eo quod juxta Scripturas, & totam Antiquitatem, post Consecrationem remanet veri nominis panis tum quoad substantiam, tum quoad accidentia. Evangelistæ aiunt Christum panem benedictum fregisse, & dedisse discipulis, & Paulus quinquies panem appellat, post benedictionem, 1 ad Corinth. 10. & 1 ad Corinth. 11. Quotiescunque manducabitis hunc panem, mortem Domini annunciabitis donec veniat] Idem docent patres aperte, frequenter, & perseveranter. Chrysostomus. In pane sanctificato, quamvis mediante sacerdote liberatus sit ab appellatione panis, dignus autem habitus sit Dominici corporis appellatione, Natura tamen panis permansit. Theodoretus Dialog. 2. cap. 24. Nequicquam post sanctificationem Mystica Symbola recedunt

cedunt à propriâ naturâ, sed manent in priori substantiâ, figurâ, & specie. Gelasius Pontifex Romanus. Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis, & sanguinis Christi Divina res est, propter quod, & per eadem Divinæ efficimnr consortes Naturæ, & tamen esse non desinit substantia, & Natura panis, & vini. Euphramius Patriarch. Antioch. de Sacris Antiochiæ legibus, apud Photium Cod. 129. A fidelibus sumptum Christi Corpus, à sensibili substantia non recedet, & indivisum à Gratia intelligibili manet] En à sensibili substantia non recedet. Quid apertius, quid luculentius dici potest ad astruendam veri panis permanentiam?

Conciliator nuperus de Sancta Clara, si Conciliare possit hanc claram pugnantiam Antiquorum Patrum cum fide Tridentina, de portento Transubstantiationis, tum herbam porrigam.

2. Tollit rationem Sacramenti in Eucharistiâ. Nam 1. Secundnm Scripturas Eucharistiæ Sacramentum est ficut Baptismus. At si desit substantia panis tollitur ratio Sacramenti. Ergo dogma hoc Scripturis adversatur. Minor probatur bifariam

1. Tollitur Elementum, seu res Terrena in signo.
2. Tollitur Analogia inter signum, & signatum.

1. Tollitur Elementum, seu res Terrena in signo. In Sacramento requiritur ut sint, duæ res Materia, & forma, res Terrena, & Cœlestis, ut loquitur Irenæus, Lib.4. cap.34. de Eucharistiâ, Verbum enim accedens ad Elementum non tollit aut annihilat Elementum, sed facit Sacramentum. At Transubstantiatio tollit materiam, & rem terrenam, substantiam scilicet panis, atque ita tollit, & annihilat Elementum.

2. Datâ Transubstantiatione tollitur ratio Sacramenti, eò quòd tollitur analogia inter signum, & signatum. Et quidem duplex illa analogia, quæ in hoc Sacramento Eucharistiæ reperitur.

1. Hæc est, sicut panis materialis alit, & sustentat corpus animale: Ita corpus Christi est cibus nutriens, & sustentans novum, & internum hominem.

2. Hæc est, sicut panis triticeus est quædam substantia ex multis granis coacta. Ita unum corpus efficiuntur, qui de uno illo pane Eucharistiæ participant.

Adde postremò impios, & fide destitutos ipsum Christi corpus non accipere. Non est igitur corpus Christi Transubstantiatum sub speciebus panis, & vini. Ratio consecutionis est, quia Impii totum illud, quod continetur sub speciebus panis, & vini ore excipiunt.

Antecedens probatur, quia corpus Christi ore tantum fidei, quo isti carent, percipitur] Joan.6. Dominus famis, & sitis restinctionem, quod manducationis, & potationis effectum est, fidei adscribit, & vers. 54. quicunque manducaverit carnem meam, & sanguinem meum biberit, habet vitam æternam, & vers. 56. *In me manet, & ego in eo.* Non igitur fide destituti Christum accipiunt, cum non habeant vitam æternam, nec in Christo manent, nec Christus in illis. Sic Patres. Origines ait Christum esse verum cibum, quem qui comederit vivet in æternum, quem nullus malus possit edere: in cap. 15. Matth. Cyprianus de cœna. Una est domus Ecclesiæ, in quâ agnus editur, nullus ei communicat, quem Israelitici

elitici nominis generoſitas non commendat. Auguſtinus aperte, & frequenter hoc docet. Ad altare Dei inviſibile, quo non accedit injuſtus, ille pervenit, qui ad hoc præſens juſtificatus. Et alibi non dicendum eum manducare corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti. Et in ſentent. Proſperi qui diſcordat à Chriſto, nec carnem ejus manducat, nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei Sacramentum, ad judicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat: & Tract. 26. in Joan. Expreſſe negat ab indigno corpus Chriſti ſumi, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Idem Tract. 59. in Joan. Diſcipuli manducabant panem Dominum, Judas non niſi panem Domini.

Potestas Clavium extenditur ad Remissionem culpæ.

QUæritur de vi, virtute & efficacia potestatis Clavium quousq; extendatur, an ad pœnam tantummodò, an etiam eousque ut remittat culpam.

Per Potestatem Clavium, intellige illam potestatem quæ data est Petro, & in Petro omnibus Apostolis & eorum Successoribus, Ecclesiarum Pastoribus, cum illi diceretur, *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.*

Peccatum Adæ, & nostra actualia sunt quasi seræ, & repagula quibus clauditur Regnum Cœlorum omni homini ex Adamo oriundo: Christus suo sanguine patefecit nobis aditum ad Cœleste sacrarium, hujus aditus custodiam suis ministris, commisit, qui per Claves suæ fidei commissas intromittunt, aut arcent à Regno Cœlorum, Clave *viz.* non errante.

Claves, quibus aut claudere Regnum Cœlorum, aut aperire possint Ministri, Apologia Ecclesiæ Anglicanæ ex Chrysostomo, dicit esse Scientiam Scripturarum; ex Tertulliano Interpretationem Legis; ex Eusebio Verbum Dei.

Accepisse autem Discipulos hanc Potestatem ait eadem Apologia, non ut audierent arcanas populi confessiones,——sed ut irent, ut docerent, ut publicarent Evangelium, ut essent credentibus odor vitæ ad vitam, ut essent incredulis atq; infidelibus odor mortis ad mortem: ut piorum animi Conscientia superioris vitæ, & errorum consternati, postquam aspicere cœpissent lucem Evangelii, & in Christum credere, ut fores Clave, ita illi Verbo Dei aperirentur: Impii autem & Contumaces, quiq; nollent credere & redire in viam, quasi obserati & clausi, relinquerentur. Addit, hanc esse rationem Clavium, hoc pacto aperiri, aut claudi hominum Conscientias. Sacerdotem quidem esse Judicem, nullius tamen eum potestatis (ut ait Ambrosius) jus obtinere. Hæc Apologia & quidem alibi ait esse Judicem de Doctrina, de peccato publico, de Ecclesiæ offensione, de pœnitentis animi tum submissione, tum dolore sententiam dare. Denique ut judicem unà cum Ecclesià potestatem habere & condemnandi, & absolvendi. Hæc omnia ex sententia Ecclesiæ Anglicanæ, Ecclesiæ Anglicanæ Reverendissimus Episcopus Juellus, qui in defensione Apologiæ, hæc insuper adjicit ex patribus, ex Ambrosio, remittuntur peccata per Dei Verbum, cujus Levites est interpres, de Cain & Abel, lib 2. ex Hieronymo, Duces Ecclesiæ habent Claves Scientiæ, ut aperiant Scripturas creditis sibi populis. Unde præcipitur ut Magistri aperiant, & discipuli ingrediantur, in Esaiam, lib.6. cap.14. & ex Chrysostmo, Clavis est Scientia Scripturarum, per quam aperitur janua veritatis, opere imperfecto, Homil.44. & ex Augustino, Clavis est dicenda, quâ ad fidem pectorum dura referantur, Homil.27. de Sanctis. Adde & illud Hieronymi, solvunt Apostoli sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum. Allegat etiam ibidem illud Lombardi: Etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ absolutus nisi per judicium Sacerdotis.

Porro

Porrò cum Clavis sit duplex { *Aperiens* seu solvens. / *Claudens* seu ligans.

Cum dicimus Potestatem Clavium extendi ad remissionem culpæ, intelligo de Potestate Clavis aperientis, seu solventis; nam altera instituitur ad peccati retentionem, Clavis, *viz.* Claudens seu Ligans.

Porrò dicimus hanc Clavem aperientem extendi ad remissionem culpæ.

Potestas Clavium, dici potest extendi ad remissionem ipsius culpæ, vel quâ remissio culpæ denotat {
1° Actualem remissionem seu condonationem ex parte Dei remittentis offensum in se Commissum.
2° Remissionem culpæ in foro Conscientiæ.

Jam dicimus Potestatem Clavis aperientis extendi ad actualem remissionem culpæ ex parte Dei remittentis offensum,

In generando {
1° Pœnitentiam, quæ disponit pœnitentem ad remissionem culpæ.
2° Fidem, quæ instrumentaliter applicat meritum Christi ad remissionem actualem.

Ubicunq; peccator verè contritus fuerit ob offensum Dei, simulq; fiduciâ recumbit in Christi mortem & meritum ob remissionem peccatorum: ibi juxta promissionem Christi, & tenorem fœderis gratuiti, protenus remittuntur peccata omnia, ante omnem absolutionem Sacerdotis; id patet ex multis Scripturæ testimoniis, quæ affert Homiliastes Homil. de Pœnitentia: Et primò exemplo Nathanis Prophetæ, qui mox ac veram in Davide contritionem animadvertit, non dubitat dicere, Transtulit Dominus peccatum tuum, 1 Sam. 12. & ex illo Ezek. 18. Si impius egerit pœnitentiam——omnes iniquitates ejus non recordabor, dicit Dominus. Et ex illo aureo dicto Davidis, sic enim appellat Homiliastes, Psal. 32. Dixi confitebor adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et ex Joan. 1. ver. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Quæ loca intelligenda sunt de Confessione soli Deo factâ absq; ullo voto Confessionis Sacerdoti faciendæ. Certum est juxta Scripturas, veri hominis Contritionem quâ peccator seriò dolet de offenso Dei, simulq; sibi proposuerit renunciare peccatis suis, & vitam novam inchoare, & fiduciam in Christum Redemptorem, & ejus merita ob remissionem peccatorum collocaverit, abundè sufficere juxta tenorem fœderis gratuiti ad omnium peccatorum remissionem absq; omni voto ullius Sacramenti suscipiendi. Et quidem pœnitentiam internam, seu veram cordis contritionem, & fidem in Christum Redemptorem abunde satisfecisse ad flectendam divinam misericordiam, & remissionem peccatorum impetrandam, facile est ostendere tum sub lege Naturæ, exemplo Jobi qui divinâ gratiâ illustratus, hisce solis remediis usus est ad remissionem peccatorum consequendam, cap. 21, 24. & 42. absque omni voto absolutionis Sacerdotalis.

Sub lege etsi Sacrificia instituta sunt plurima, etiam sacrificia pro peccatis & delictis, tamen nullum peccatum verè expiebant, nisi ubi vera cordis Contritio, & fides in Christum venturum accedebant: Impossibile enim erat (inquit Apostolus) sanguine taurorum & hircorum auferri peccatum, Heb. 10. 4. Vultis peccatorum remedium ordinarium? Audite preces Solomonis. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Israel.] Hic nulla mentio sacrificii ullius externi aut Sacerdotalis absolutionis, Davides expiaturus atrocissima peccata adulterii & homicidii,

micidii, audite quibus usus est remediis; Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam——Et sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.] Sacrificium ipsi fuit seria cordis contritio fides in misericordiam divinam, & humillima precatio; hisce solis remediis usus, Deo reconciliatus est absq; omni voto absolutionis Sacerdotalis. Certum est in Vet. Testamento Sanctos hisce remediis veræ Contritionis, & fidei in Christum redemptorem venturum solummodò acquievisse ad omnium peccatorum expiationem absq; omni voto aut Confessionis aut Absolutionis Sacerdotalis.

Sub Novo Testamento eadem remedia adhibita sunt, ut abunde sufficienta ad remissionem peccatorum. Neq; est ulla ratio cur hæc remedia sufficiebant ad impetrandum à Deo peccatorum remissionem sub lege naturali, & sub lege scriptâ; sub Evangelio autem non sint sola sufficientia absq; ullo voto superaddito absolutionis Sacerdotalis. Idipsum Patres luculentissime docent. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Ambrosius de Pœnitentia, & in Apologia David, Basilius, Augustinus, Cassianus, & alii. Chrysostomus disertè Confessionis cujusq; externæ negat necessitatem pluribus in locis. Gregorius in Psal. 32. Attende quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia. Ante remissio ad cor perveniat, quàm confessio in vocem erumpit. Et Leo primus Epistola 9. Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, Cum conversus ingemueris tum salvus eris] quem locum Bellarminus allegans, ait juxta eum continuò remitti gratuitis peccata, etiam antequam absolutio Sacerdotalis accedat, lib. 2. de Pœnit. cap. 3. Huc facit illud Bernardi Sermone 22. in Cant. Quisquis pro peccatis compunctus, esurit & sitit justitiam, credat in eum qui justificat impium, & per solam fidem justificatus pacem habebit apud Deum. Nihil aliud in contrarium congeri solet, nisi quod prætenditur Christi præceptum auricularis confessionis, & Sacerdotalis absolutionis vel in re, vel in voto; cujus tamen præcepti nullum extant vestigium in Scripturis. Sed neque apud Patres, qui solius pœnitentiæ & fidei in Christi merita & mortem meminerunt, tacito omni Sacramenti ullius suscipiendi voto. Qui itidem expresse confessionis cujuscunq; externæ negant necessitatem. Sic Basilius, sic Ambrosius, sic multis in locis Chrysostomus. Qui omnes votum confessionis non agnoverunt, ut verissime Spalatensis, Lib. 5. cap. 7.

Scholastici ferè omnes imitati Lombardum, contritionem solam posse & solere peccata delere fatentur, sed addit Lombardus, Si tamen pœnitens votum confitendi habeat. Addit Concil. Trident. Sess. 24. cap. 4. Etsi contritionem Charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo conciliare priusquam Sacramentum [pœnitentiæ] actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.] At frustra addita est hæc conditio.

Nam primò Sancti in Vet. Testamento vi solius veræ contritionis & fidei in Christum venturum, Deo reconciliati sunt absq; hoc voto; sed nec in Novo Testamento uspiam hujus mentio occurrit.

Secundò, certum est ipsam cordis contritionem vi suâ quâ dolet de offensa commissâ, & propositum includit de cætero non peccandi, sufficienter disponere ad culpæ remissionem absq; omni voto, ut tota Scriptura passim docet. Quid enim si ille contritus nihil cogitat, sed habet se merè negativè ad volendam seu desiderandam confessionem? Quid si habeat votum tum perfectum, sed postea nolit confiteri illa peccata? An redibunt? Fortasse novum peccatum committit contemptûs, sed habitam jam à Deo remissionem non irritam facit.

Tertiò, Patres quos supra adduximus, qui necessitatem confessionis externæ apertè negaverunt, profectò votum hoc confessionis non agnoverunt.

Estius in 4. sentent. contrà disputat, per solam cordis contritionem non remitti peccata, hoc argumento, quod nullius peccati remissio fieri possit, nisi virtute passionis Christi, quatenus est satisfactoria pœna ipsius peccati, id quod nos etiam contendimus.

Sed dicimus insuper, ubicunq; pœnitens verè doleat de offensa Dei, & proponat

de cætero peccato abrenunciare, ibi pœnitens confugit ad Christum redemptorem, & ejus merita, in eaq; totus recumbit ob remissionem peccatorum. ex quo confestim remittuntur, absq; ullo Sacramento absolutionis, aut Sacramenti voto.

Dices, Quorsum igitur instituitur Sacerdotalis absolutio?

Respond. Ad remissionem peccati in foro Conscientiæ. Sæpenumerò enim fit ut pœnitentes, qui verè de peccatis dolent, & vitam novam sibi proposuerunt, & in Christum Redemptorem se totos conjiciunt ob remissionem peccatorum, tamen peccatorum tùm multitudine, tùm magnitudine premantur, angantur, inquietentur, unde dubiis sæpe torquentur, anxietate animi laborant, Satanæ tentationibus, & jaculis undiq; petuntur, & sæpe ad desperationem adiguntur. Hic ergò elucet primarius usus Clavium, tum illius quæ Clavis Scientiæ dici solet, tùm illius quæ Clavis potentiæ dicitur.

Prudens enim Sacerdos, cum animadvertat dubia quæ pœnitentē inquietant & tentationes quibus impetitur, & peccata quæ maximè gravant conscientiam, ea ex sacris literis depromat documenta, quæ maximè idonea judicat ad levandum & relevandum pœnitentis conscientiam. Et horum applicatione aperit (ut ita dicam) Regnum Cœlorum, dum dubia removet, tentationibus occurrit, nubes mentis discutit, atq; adeo conscientiam suasionibus, hortationibus, salubribus monitis, & suavibus consolationibus levat, relevat, serenat, & pacatam & tranquillam reddit.

Atqui iste usus Clavium non instituitur ad absolvendum injustum à peccatis antea non remissis, sed ad levandum, relaxandum conscientiam verè pœnitentis, & credentis atq; adeò justificati, nebulis tamen dubiorum & tentationum obscuram & obtenebratam: Non ad actualem remissionem peccatorum, sed ad certiorationem conscientiæ de veritate remissionis, quæ certissimè dicitur remissio culpæ in foro conscientiæ. Atq; hæc est illa remissio peccatorum quam rectè Chrysostomus ait nec Angelis, nec Archangelis Deum communicasse.

In hanc sententiam adduci potuissent testimonio Cyrilli Alexand. Hieronymi, Augustini, Gregorii, Bedæ, Theophylacti, Haymons, & Radulphi Ardentis egregii concionatoris, Quos secuti sunt antiquiores Scholastici, Richardus de Sancto Victore, Lombardus, Halensis, Antissiodorensis, Guliel. Parisiensis, Bonaventura quibus accedunt Occamus Marsilius, Patarinus, Gabriel Biel, Major, Thomas de Argentina, Abulensis, Hadrianus, Medina & Romanenses moderni plurimi.

Audite Joannis Feri, celebris concionatoris Moguntiæ in Germania testimonium; sic enim ille lib. 2. Commentar. in Matthæum, explicans locum Joanne 20.23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, &c. non (inquit) quòd homo propriè remittat peccatum, sed quod ostendat & certificet à Deo remissum; neq; enim aliud est absolutio quam ab homine accipis, quàm si dicat, En fili, certifico te tibi remissa esse peccata; annuncio tibi te habere propitium Deum, & quæcunq; Christus in Baptismo, & Evangelio suo nobis promisit, tibi nunc per me annunciat, & promittit, hujus me testem habebis, vade in pace & quiete conscientiæ. Similia habet in eodem Commentar. in illud Matth. xi. Venite ad me omnes qui laboratis, &c.

Huic sententiæ accedant omnes illi, qui per veram cordis contritionem peccata dimitti volunt, ante susceptionem Sacramenti, quæ est mens Concilii Tridentini, quæ est sententia Bellarmini. Quorsum enim Sacramentum suscipitur, cùm per veram contritionem cordis peccata omnia remissa sunt.

Respondet Bellarminus primò, Ad augendum gratiam, & pœnam temporalem remittendum ex parte.

Respondeo primò, Absolutio ergo Sacerdotalis nihil confert ad remissionem culpæ; nec formula absolvendi, Ego absolvo te, extenditur ad remissionem ipsius culpæ, vel absolutionem ab ullâ culpâ.

Secundò, si nulla culpa delenda superfit verè contritis, votum suscipiendi Sacramentum minimè necessarium est ad hoc ut remittatur culpa, cum nulla remittenda supersit.

Secundò respondet Bellarminus, quia nemo certò scire potest se veram contritionem habuisse, & attritio cum solo Sacramenti voto non justificat: Itaq; ut quis de adeptâ indulgentiâ securior sit, debet omnia illa remedia adhibere, quæ Deus ad

ad peccata, purganda instituit. Lib. 2. cap. 14. de Pœnitent.

Sol. Respondeo, Quid hoc aliud est, quam absolutionem institutam esse ad certiorandum de veritate contritionis, ac proinde de veritate remissionis peccatorum, & ut de adeptâ indulgentiâ securiores simus, quæ nostra est assertio in vim veritatis. En reum confitentem se Bellarminum.

Sed hic falsò innuitur absolutionem esse remedium institutum ad purganda peccata, cum ex principiis ejus non inserviat nisi ad certiorandum de purgatione à peccatis.

Quare rectissimè infertur ex Bellarm. Principiis, Absolutionem Sacerdotalem potissimum inservire certiorando de remissione peccatorum. Nam ex iisdem potissimum Principiis, Lombardus & antiquiores Scholastici optimè inferebant, Absolutionem Sacerdotis non fuisse operatoriam, sed declaratoriam, & certificatoriam remissionis peccatorum in foro Conscientiæ, quæ est nostræ Ecclesiæ sententia, ut ex Liturgia & Homiliis constare possit.

Porrò omnino dicendum, Clavium potestatem non aliter extendi ad remissionem culpæ, (quam suprà diximus) Contendunt nonnulli, ac si Sacerdos post auditam confessionem, pronunciando verba, Ego absolvo te, hoc ipso, actu & efficaciter remitteret culpam priùs naturâ quàm Deus; Non enim dicendum in remittenda culpa priorem esse Sacerdotem, quàm Deum; aut à Deo non nisi approbari, & ratum haberi quod prius factum, fuerit per Sacerdotem, aut Dei absolutionem sequi ad præviam Sacerdotis absolutionem, aut absolutionem Sacerdotis necessitate Medii necessariam esse ad absolutionem divinam.

Nam 1. supra ostendimus ex authoritate Scripturæ juxta explicationem nostræ Ecclesiæ, in Homilia de Pœnitentia, verâ cordis contritione, & fiduciâ in Christum redemptorem & ejus merita, illicò & confestim remitti culpas ante absolutionem Sacerdotalem. Idem etiam dicimus ex sententia Patrum, & antiquiorum Scholasticorum.

2. Certum est, nullum Sacerdotem judiciariâ suâ potestate remittere peccata, nisi authoritate sibi commissâ; officium autem judicis authoritate sibi commissâ non aliud est, quàm pronunciare illum innocentem qui innocens est, & illum transgressorem qui reus est; non igitur potest, aut debet Sacerdos actu suo judiciario absolvendi facere justum ex delinquente, non enim habet ejusmodi authoritatem sibi commissam, sed pronunciandi illos absolutos à peccatis, quos verè contritos, atq; adeò absolutionis capaces suo judicio deprehendet. Princeps potest condonare reos,& famæ suæ restituere,cujus potestas est absoluta. Cui potius assimilatur, qui ex injusto justum facit; quàm Judici, cujus potestas est limitata, qui officium suum transgreditur, cùm aliquid pronunciat, quod non priùs verum esse deprehendit.

3. Sacerdos potestate suâ utens clave ligante, non facit injustos ex justis, sed tantum injustos in contumaciâ deprehensos pronunciat exclusos è Regno Cœlorum. Sic idem Sacerdos utens clave solvente, non facit justum ex injusto, sed verè corde contritos, atque adeò justos pronunciat à peccatis absolutos, atque adeò admittendos ad Regnum Cœlorum.

4. Si Sacerdotis actus prior sit in actuali remissione, quàm Dei, tum instrumentum priùs agit quàm principalis agens, & minister secundarius, quàm magister primarius; imò Sacerdotes propriè, directè & absolutè actu remittunt culpas; Deus verò non nisi approbando, & ratum habendo, quod factum fuerit per Sacerdotem. Et illud Esaiæ 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates, non aliud erit, quàm si diceret, Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates, approbando scilicet & ratam habendo deletionem illarum iniquitatum,quas Sacerdotes prius propriè & absolutè deleverant; quis diceret solum Deum propriâ & primariâ authoritate condonare peccata, qui (ut videre vult dicere Estius) tamen non remittit originaliter & primariò, sed ratihabitione suâ approbando remissionem prius factam per Sacerdotem, quæ est ejusdem Estii assertio?

5. Solus Christus, non Sacerdos, animam resuscitat, ac pulsis tenebris interioribus, & maculis, eam illuminat, & mundat, solus est qui animæ faciem lavat, solus animam per se interiùs vivificat, solus debitum æternæ mortis dimittit; ergo potestas

Cla-

Clavium non extenditur ad remissionem ipsius culpæ, est argumentum Lombardi, 4. Distinct. 18. D.

Object. Respondet Estius vivificationem animæ duplicem esse { 1° Per Conversionem cordis præcedentem. 2° Per Remissionem peccati subsequentis. }

Priorem vivificationem Deus (inquit) solus operatur sine ministerio hominis.

Posteriorem vero per ministerium hominis Sacramentum conferentis operatur Deus: & tamen rectè dicitur etiam solus condonare, & iniquitates delere propria nimirum & primaria potestate.

Sol. Respondeo primò, Neq; illam vivificationem, quæ fit per conversionem cordis, solus Deus operatur, absq; ministerio hominis, siquidem conversio cordis consistit in contritione cordis, & fide in Christum Redemptorem: fides autem est ex auditu. Quomodo audient absq; prædicante inquit Apostolus? Deus non operatur internam cordis contritionem ordinario, aut fidem vivam nisi per ministerium verbi Evangelii.

2. Ubi præcedit conversio cordis per internam contritionem, & Fidem in Christum Redemptorem, ibi confestim sequitur remissio & condonatio omnium peccatorum, absq; ullo Sacramento pœnitentiæ, aut actu absolutionis Sacerdotalis: Sin postea recognoscendo peccata, conscientia tenera convertentis dubia aut perplexa reddatur, aut tentationum Satanæ ignitis jaculis impetatur; consulit Ecclesia nostra, ut pœnitens adeat Sacerdotem, medicum animarum, cui vulnera sua detegat, qui Pharmaca idonea adhibeat, & applicet, qui potestate Clavis aperientis discutiat dubiorum nebulas & conscientiæ perplexæ succurrat; cujus Ministerio remissionem horum peccatorum accipiat in foro conscientiæ. Consulit (inquam) non præcipit, multò minus necessitate medii exigit.

At vivificare animam per peccati remissionem, seu maculæ mundationem, aut deletionem per infusionem gratiæ, Solius est Dei, non ullius Sacerdotis. Audite Optat. lib. 5. contra Parmen. Sordes & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis: & rursus Dei est mundare, non hominis, & adducens illud Esaiæ, Etsi fuerint peccata velut coccinum, ut nivem in albabo——Ecce (inquit) se promisit Deus inalbare peccatis affectos, non per hominem: Et Author Sermonis de Baptismo apud Cyprianum, Solus Deus, non Sacramentum, nobis confert gratiam. Et Hieronymus, homo aquam præbet, Deus S. Sanctum, quo sordes animæ abluuntur. August. non sanctificat nisi Deus. Et contr. lit. Petiliani lib. 3. cap. 54. dicit, Quod Minister ad dispensandum verbum & Sacramentum sit aliquid, ad mundandum vero & justificandum non sit aliquid. Mundatio animæ per gratiam infusam ad rationem creationis accedit, asserente Antissiodor. lib. 4. Tract. 3. cap. 3. Non potest (inquit) Deus dare potestatem creatam puro homini mundandi animas.

6°. Potestas remittendi seu condonandi culpam, quoad offensam Dei, & reatum æternæ pœnæ, non est puro homini communicabilis, unde nec Sacerdos, aut sua propria potestate, aut à Deo commissa, aut delegata potestate, peccatum contra Deum commissum dimittit, aut dimittere potest. Hinc est quod Patres passim, Dei proprium esse doceant remittere, & condonare peccata. Et Christum hoc ipso se verum Deum comprobasse, quod verè condonaret peccata. Sic Irenæus, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Cyrillus explicantes illud dictum Judæorum, Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Quibus addo Novatianum, & Athanasium contra Arian. lib. 3.

Dices, Deum solum remittere peccata potestate Originali, Principali, Primaria, Sacerdotem non nisi communicata, & delegata potestate à Christo acceptâ.

Sol. At quis non videt hac fucata distinctione prorsus evanescere argumentum quod afferunt Patres, ad asserendum Christi Deitatem, nam dixisse potuissent Judæi, Christum potuisse remittere peccata communicata, & delegata potestate à Deo accepta, non principali, & primaria potestate, ac perinde non ex eo quod remittere peccata comprobasse se vere Deum fuisse, quod tamen dicti patres contendunt.

dunt. Eodem fuco potuissent Ariani eludere argumentum Athanasii, qui ex hac potestate remittendi peccata, sæpius infert contra Arianos, Christum veri nominis Deum fuisse.

7°. Non est credibile Deum voluisse hanc planè Divinam Potestatem Sacerdoti, communicare condonandi culpas, eo modo quo asserunt Romanenses. Cum enim certum sit Deum non remittere peccata nisi verè contritis, & iis, qui verè credunt in Christum redemptorem ob remissionem peccatorum. Æquum est ut iis, qui ex officio authoritate sua absolvendi, peccata condonarent contra Deum commissa, certo perspecta esset pœnitentis contritio, & fides. Nemo enim Sacerdos potest veraciter dicere pœnitenti, Ego absolvo te, nisi cui certo perspecta est pœnitentis contritio, & fides: Cum autem nulli Sacerdoti certo perspecta esse potest alicujus pœnitentis contritio & fides, ergo certo & veraciter non potest categoricè pronunciare, Ego te absolvo. Ipse pœnitens juxta Romanenses non potest certus esse de sua contritione; aut fide salutari, ergo multo minus Sacerdos.

At certum est quemlibet pœnitentem de suâ fide & contritione longè certiorem esse posse, quàm quemvis Sacerdotem Unde sciunt (inquit August. Confess. lib. 10. c. 3.) cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Solus Deus est, qui non potest ignorare, quibus categoricè remittendum, & quibus retinendum sit peccatum.

Dices hanc formulam extare in nostra Ecclesiâ, Authoritate mihi commissâ (judiciaria scilicet) Absolvo te ab omnibus peccatis, &c.

Sol. Respondeo, ut supra diximus, Sacerdotem authoritate suâ judiciariâ absolvendi non facere ex injusto justum, non enim ejusmodi authoritatem habet sibi commissam; sed potestatem pronunciandi illos absolutos à peccatis, quos vere contritos, atque adeò absolutionis capaces deprehendit: Ideoque in formula ipsius absolutionis, supponit Sacerdos personam, quam absolvit, vere pœnitentem esse; & credentem in Christum redemptorem, & ex hac suppositione pronunciat, Ego absolvo te ab omnibus peccatis, idque constat etiam ex generali absolutione in initio Liturgiæ.

8. Et Ultimò concludo ratione efficacissima, quâ nituntur Lombardus & antiquiores Scholastici, & recentiores non pauci, omne peccatum est offensa Dei; ergo solius Dei est eam remittere; unde Sacerdos quoties exercet actum absolvendi, supponit semper culpam saltem esse remissam; non ergo extenditur potestas Sacerdotalis ad remittendam ipsam culpam. Qui enim accedit ad absolutionem Sacerdotalem, vel est debite contritus vel non: Si non est debito modo contritus, absolutio nihil valet, & potestas hæc, nihil operatur; si vero debitè contritus fuerit, jam per contritionem, remissionem culpæ obtinuit. Quare necesse est ut absolutio Sacerdotalis, quoad ipsius culpæ actualem remissionem coram Deo, utpote rem jam actam, & transactam, sit planè hoc casu supervacanea, frustranea, inefficax, cassa & inanis. Cùm igitur ista absolutio, ubi præcesserit vera cordis contritio, ad culpæ remissionem actualem jam peractam, nihil conducat; Superest ut ista absolutio ad remissionem peccati in foro conscientiæ valeat, ad remissionis jam obtentæ certiorationem, ad sensum remissionis ingenerandum. Atque ita sensu supra explicato, concludo hanc Quæstionem veram esse, & Verbo Dei consentaneam.

Potestas Clavium extenditur ad remissionem culpæ.

Romana

Romana Ecclesia est Schismatica.

PEr Romanam Ecclesiam intelligimus, 1. Non illam veterem cujus fides prædicata est in toto orbe, & quæ per multas centurias annorum ab Apostolorum temporibus fidem ab Apostolis propagatam fideliter retinuit. Sed nec 2. illam solam Ecclesiam particularem, seu Dioecæsanam quæ olim suberat, vel hodiè subest soli Romano Episcopo nullique alii paret Episcopo. Sed nec 3. Romanam Ecclesiam, quæ Metropolitica, sed nec quæ olim Patriarchalis,qua notione Ecclesiæ Occidentales particulares Romano Pontifici ut suo Patriarchæ,aliqua ratione subditæ sunt. Sed nec 4.illam universitatem credentium qui Curiæ Romanæ & factionis præpotentis tyrannidi quoquo modo per varias annorum centurias subjectæ fuerunt & etiamnum subjiciuntur,& cum ea externam communionem coluerunt, & etiamnum colunt. In quibus plurimi extiterunt & adhuc existunt qui seriò optabant & tentabant & etiamnum optant & tentant quantum in iis est, Ecclesiæ apud eos deformatæ tàm in capite,quàm in membris reformationem; & hac notione Romana Ecclesia, ut contradistincta Romanæ Curiæ usurpatur à Marsilio, Patarino, Occamo, Cezenate, Cameracensi & aliis. Hisce meritò accensemus illas Gallicanas Ecclesias, quæ Gallicanarum libertatum tenaces Tridentinum Concilium non admittunt, nec non Ecclesias Venetorum etiam ditionibus hodiè subditas. Sed intelligimus illam Ecclesiam, quod aggregatum est ex omnibus visibilibus cœtibus pastorum & populorum, quod animatur, sive formalizatur (si ita loqui liceat) fide Tridentina & cultu religioso in illo Concilio stabilito, & quod Romanum Pontificem pro capite & Monarcha Ecclesiæ; & pro Vicario Christi ordinariò, supremóq; ac infallibili Judice in terris agnoscit séq; pro Ecclesia unica, Orthodoxa, Catholica, & Apostolica vendicat; aliis omnibus Ecclesiis per orbem terrarum longè latéq; propagatis, quæ fidem hanc suam & cultum non recipiunt, vel Pontifici suo subesse recusant, utpote Hæreticis & Schismaticis, spretis, contemptis, & anathematizatis. Romanam Ecclesiam hac ultima notione acceptam & intellectam Schismaticam dicimus. Hoc & apertiùs declaremus,cum Schisma illud sit quod scindat unitatem Ecclesiæ, & à vera Ecclesia Catholica secessionem facit. Quædam de Ecclesiæ Catholicæ unitate sunt præmittenda.

Hic certum est,

1. Non esse in orbe terrarum, nec unquam fuisse nisi unam & unicam Ecclesiam, non sub ulla diversitate multiplicem.Una est columba mea(inquit Sponsus)Cantic.1.6. quomodo & unus Deus, una Fides, unum Baptisma. Ideóq; in symbolo Constantinopolitano ponitur, Credo unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

II. Certum est hujus unius Ecclesiæ unitatem consistere in 1. Professione ejusdem veræ fidei. 2. Usu visibili eorundem Sacramentorum. 3. Subordinatione cujusvis gregis suo pastori legitimo. 4. Connexione seu coordinatione (& mox evincam) pastorum adinvicem.

III. Certum est unamquamq; particularem plebem pastori suo adunatam (ut loquitur Cyprianus)esse partem homogeneam,& integrantem hujus unius Ecclesiæ Catholicæ.

IV. Certum etiam est ex coadunatione, coordinatione & justa connexione pastorum omnium cum suis Ecclesiis particularibus ad invicem coalescere & integrari hanc unam Catholicam Ecclesiam. Dicimus ergò illam magnam collectionem innumerabilium hominum omnium temporum & locorum, unam eandemq; fidem & Religionem visibiliter profitentium, uno eodemque Baptismo tinctorum, unius ejusdemq; legis Evangelicæ directione ad eternam Beatitudinem tendentium per orbis terrarum latifundia longè latèque semper & ubique disseminatam, esse hanc unam Catholicam Ecclesiam quam quærimus.

V. Certum est hanc unam Christianam Catholicam Ecclesiam, Apostolorum Christi opere & Ministerio fundatam fuisse, unde & Apostolica dicta est. Ab ijsdem etiam postquam fundata est, ex æquo gubernatam fuisse. Neque enim inter Apostolos ex Christi Institutione ulla subordinatio, sed sola coordinatio in Ecclesia hac aut fundanda aut fundatæ superædificanda. Unde nec ulla subordinatio jure divino aut Apostolico inter Episcopos Apostolorum successores, sed sola coordinatio cum singuli suis plebibus, Judices vice Christi constituti sint, ut non uno in loco Cyprianus, idq; immediate absque omni rectore intermedio. Hæc optimè expressit Cyprianus. Una est Ecclesia à Christo per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus & alibi. Ecclesia quæ Catholica, una est, scissa non est, nec divisa; sed est connexa, et cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutine copulata: Et alibi, Episcopus unus est cujus à singulis in solidum pars tenetur. Hæc est illa una Catholica Ecclesia, quam Christus caput fontem & radicem Ecclesiarum particularium constituit ita ut instar Spiritus sive animæ per totum corpus diffusæ, det vitam, motum, robur singulis membris (.i.) singulis particularibus Ecclesiis, eo modo quo radix singulis ramis vitam, fons omnibus rivis perennem fluxum sol omnibus radiis lucem præbeat. Quæ sunt similia à Cypriano usurpata. Hisce præmissis, dicimus illam Ecclesiam particularem quæcunque tandem sit, quæ ab hac una Catholica, aut etiam aliqua particulari Ecclesia, quæ sit membrum verum Ecclesiæ Catholicæ, sese scindit ac spontaneam secessionem facit, illam (inquam) verè & dici & esse Schismaticam. Videamus igitur an Romana Ecclesia sensu supra posito accepta, ab hac universali Ecclesia primitus descripta secesserit. Secessionem autem fecisse non uno modo apertissimè constabit, si ad ea tantùm respiciamus quæ supra posuimus, utpote ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ necessaria. Quis enim non videt ab Ecclesiæ Catholicæ unitate illam Ecclesiam recedere quæ non unitur cum Catholica in 1. professione ejusdem fidei Catholicæ. 2. usu visibili eorundem Sacramentorum. 3. tuenda subordinatione cujusvis gregis suo pastori. 4. tuenda coordinatione pastorum inter se; imò quæ hæc omnia scindit, divellit, minuit & labefactat. De singulis paucis videamus.

I. Ecclesia Nunc Romana ab una Ecclesia Catholica recedit, quatenus novam fidei Catholicæ professionem universali & unicæ Ecclesiæ hactenus inauditam 12 Articulis novis non ita pridem formatam à suis exigit sub pœna salutis; ab omnibus etiam ad aliquod beneficium admittendis, juramento confirmandam; & ne quid desit huic schismatico molimini, omnes Ecclesias hoc novum symbolum non admittentes anathematizat, & à communione omni Ecclesiastica arcet. Vultis scire hujus symboli articulos? en adæquationem librorum Apocryphorum, & Traditionem non-scriptarum cum Scripturis certò Canonicis & divinitus revelatis; en invocationem Sanctorum, cultum Imaginum religiosum; novorum quinque Sacramentorum auctarium, Sacramenti Eucharistiæ mutilationem, & id genus alia. Dices Ecclesiam, Nunc Romanam fidem antiquam Catholicam profiteri, ac proinde, hoc nomine ab unitate Catholicæ non recedere: Dices additiones hasce fidei Catholicæ antiquæ neutiquam adversari aut repugnare. Sol. R. errorem esse in fide immanem, fidei antiquæ novam superinducere; esto, non sit adversum fidei, sit licet diversum tantum, aut aliquid se impertinenter ad fidem habens; ubi tamen toti Ecclesiæ tale aliquid & necessariò credendum proponitur, ibi transferuntur termini quos Patres posuerunt, ibi receditur à regula fidei, fides quippe suæ regulæ σύμμετρος est, regula autem, ut est apud Varinum nec admittit πρόσθεσιν nec ἀφαίρεσιν. Scriptura etiam tam prohibet addere quàm detrahere & declinare vel ad dextram, vel sinistram. V. Lyrinensis proprium hæreticorum

esse vult ut gestiant Religioni addere, mutare, detrahere, & proprium Ecclesiæ, ut sit sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, ut nihil unquam in iis permutet, nihil minuat, nihil addat, ut non amputet necessaria, ut non apponat superflua, ut non amittat sua, ut non usurpet aliena. Et cap 29. Non minus prodigiosum esse addere ad fidem, quàm integro corpori novum membrum apponere. Adoro (inquit Tertullian.) plenitudinem scripturarum. Scriptum esse docet, Hermogenis officina si non sit scriptum, timeat Hermogenes væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. Quid in idem dixero de Romanensium dogmatibus. Doceat scriptum Romana curia, vel (ut cum Tertulliano loquar) Romanensium officina, adorandas imagines, invocandos sanctos, panem in corpus Christi transubstantiari. Si non sit scriptum timeat væ illud adjicientibus destinatum, præsertim ubi hoc Christianis omnibus sub periculo animarum credendum proposuerint.

2. Apertè constat in materia de fide & cultu additionem non solùm adversorum dogmatum, sed & diversorum prohiberi. Prohibetur omnis electitia fides, omnis electitius cultus, neque solùm cultus religiosus contrarius, qualis est ille Diaboli aut Antichristi prohibetur, sed & rei cujuscunque quæ non sit Deus, Deut. 12 8. Prohibemur facere quod bonum videtur in oculis nostris. Certum est in materia fidei & cultus essentialis idem valere, prohibitum esse, & preceptum non esse, ut verè dicamus cum Hieronymo non credimus quia non legimus, sic non colimus religiosè, quia non colendum legimus.

3. Dico quosdam ex hisce additititiis articulis Catholicæ fidei adversari. Insto in dogmatibus Transubstantiationis & semi-communionis. 1. Apertè pugnat cum Sacris Literis ex perpetua Ecclesiæ traditione explicatis, quæ luculentissimè testantur panis substantiam post consecrationem permanere. 2. Cum ratione Sacramenti; nam posito hoc dogmate tollitur res terrena, substantia nimirum panis, & cum verbum accedens ad elementum, non tollit aut annihilat elementum, sed ex eo facit Sacramentum; Transubstantiatio tollit materiam & rem terrenam. 1. Substantiam panis, atque ita tollit & annihilat elementum; deindè posito hoc dogmate apertissimè tollitur analogia inter signum & signatum: & quidem duplex illa analogia quæ ad essentiam hujus Sacramenti pertinet. 1. Hæc est, sicut panis materialis alit corpus animale; ita corpus Christi verè licet spiritualiter alit novum & internum hominem. 2. Hæc est, Sicut panis triticeus est quædam substantia ex multis granis coacta & coagmentata; ita qui de uno illo pane participant, in unum corpus mysticum crescunt. Quæ utraque Analogia destruitur, sublata substantia panis; atque adeo ratio essentialis Sacramenti. 2. Item dogma de arcendis Laicis à participatione calicis, apertè Ecclesiæ Catholicæ fidei adversatur; pugnat enim primo cum institutione Christi; nam Christus hoc Sacramentum instituens dixit, Edite & Bibite.

Sed respondet Bellarm. Utriusque speciei sumptionem necessariam esse ex parte Sacramenti, sed non ex parte omnium sumentium; satis esse si integrè sumatur à solo Sacerdote.

Sol. Resp. Hoc miserum effugium; non n. Christus Sacramentum alio modo pro Laicis, alio pro Sacerdotibus instituit sed unica & simplici institutione contentus, aut omnes participantes vi institutionis ex æquo obligavit ad sumptionem utriusque speciei aut nullos. 2. Repugnat significationi Sacramentali, nam in Eucharistia voluit Christus significari effusionem sanguinis pro quolibet suscipiente; sed panis solius sumptio non hoc denotat. Res enim Sacramentales non sunt signa nisi ex ordinatione divina, ut rectè Durand 4.d. Deus autem, non constituit panem in signum effusionis sanguinis sui. Voluit etiam hisce signis Sacramentalibus ostendere Christum esse perfectum alimentum animarum nostrarum. Refectio autem plenaria non exprimitur nisi proponatur aliquid ut cibus, aliquid ut potus. 3. Adversatur substantiali Eucharistiæ perfectioni. Ex consensu enim omnium Theologorum, ad substantiam Sacramenti pertinent Materia & Forma ejusdem. Jam in hoc Sacramento, Deo ita ordinante, Materia duplex est, si spectemus elementorum naturam, sed una dici potest, si consideremus Sacramenti moralem perfectionem. Concurrunt enim utraque ad finem Sacramenti consequendum, Durand. lib. 4. pag. 693. Ultimò, Repugnat hæc mutilatio Sacramenti praxi Apostolorum & veteris Ecclesiæ, fatente Concilio Constantiensi

quod in hunc modum hac de re decernit. Licet Christus Eucharistiam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini, tamen hoc non obstante, decernimus à Laicis tantummodò sub speciei panis suscipiendum. Quid potest hisce hominibus obstare, qui non obstante Christi institutione, exemplo Ecclesiæ Primitivæ Sacramenti ipsius significatione & perfectione audent perversam consuetudinem, retinere & stabilire.

4° In hoc Sacramento non solum recesserunt ab antiqua fide Ecclesiæ, sed & superinduxerant antiquo cultui, *Idololatriam.* Christus hoc Sacramentum instituit, ut primariam partem cultus divini. Illud usurpavit summa cum reverentia in veram alimoniam animæ & corporis in vitam æternam. Ecclesia item Catholica temporibus Apostolicis & succedentibus seculis absque omni idololatriæ suspicione. Nata postea Transubstantiationis hæresi, nascitur hæreseos filia, ἀρτολατρεία veri nominis Idololatria. Nam Latriæ cultus Sacramento Eucharistiæ adhiberi nequit citra Idololatriam, non in usu quidem Eucharistiæ, multò minus extra usum cum circumgestatur, & ab omnibus religiosè adoratur.

Sed dicent illos intentionaliter & formaliter adorare non nisi corpus Christi verum & vivum, quod verè adorabile est, atque adeò cultum eorum dirigi ad verum Christi corpus, licet fallantur quòd existiment id quod sub speciebus est esse ipsissimum corpus Christi verum; sic Spalatensi in Concilio reditus.

Sol. Respondeo, 1° Licet demus intentionem rectè dirigi in verum & vivum corpus Christi, non tamen ideò crimen idololatriæ vitatur; nam & Israelitæ ad verum Jehovam in imagine vituli intentionem suam dirigebant, eumque solùm formaliter adorabant, & tamen Idololatriæ, verè rei erant.

2°. Si hæc intentio excusaret ab Idololatria nunquam Gentiles idololatriæ rei fuissent; intentio enim illorum nunquam opera digitorum suorum timuit, sed eos ad quorum imaginem facta sunt, & quorum nominibus consecrata sunt; ut rectè Lactantius lib.2.cap 2. de origine erroris,

3. Hoc modo Christianus verè fidelis posset adorare absque omni idololatria idolum Gentilium, si dixerit se idolum illud non nisi materialiter adorare, Deum autem ipsum solùm, quem novit in ipso idolo præsentem esse, utpote qui ubique est, formaliter & intentionaliter adorare: Sic Spalat. lib.7. cap.12. n.44. Audite liberam confessionem Costeri Jesuitæ, Si non detur (inquit ille) Transubstantiatio, tolerabilior foret error eorum, qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quomodo Gentiles Deos suos venerabantur; vel pannum rubrum in hastam elevatam, quod narratur de Lappis: vel viva animalia, ut quondam Ægyptii, quàm errorum, qui frustulum panis adorabant.

Mitto in aliis dogmatibus quantum recesserit illa Ecclesia à Catholica, qualia sunt illa de licitè arcendo populo à lectione Sacrarum Literarum; De sacris in Lingua ignota licitè peragendis, de Missarum solitariarum licitè celebratione, & illud de indulgentiis Papalibus, eorumque efficacia: quibus addi possunt æquivocationis, mentalis reservationis, & cæcæ obedientiæ propugnatio; in hisce & consimilibus dogmatibus credibile est quamplurimos in Ecclesia Romana hodierna errare, non solùm contra Scripturam, Concilia, Patres, sed & contra lumen Gratiæ inditum, & lumen Naturæ innatum, & propriam conscientiam.

Denique Romanam Ecclesiam rectissime Schismaticam pronuntiamus, quòd scindat ac divellat Ecclesiæ unitatem, dum pastorum Ecclesiæ Catholicæ co-ordinationem tollit & subordinationem inducere tentat; quatenus ita se à tota universali Ecclesia separet, ut nolit in ea tanquam in corpore membrum esse, & cum reliquis commembrum; neque ab ea petat, aut accipiat vitam, robur, & vigorem suum; sed velit ex ratione membri & commembri exire, séque supra totam Ecclesiam universalem tanquam caput collocare, cogereque ipsam Ecclesiam Catholicam, ut sese illi subjiciat & ab illa vitam, robur, & vigorem suum expectet. Hoc ipso certè constat Ecclesiam Romanam esse perfectissimè Schismaticam, quæ se à corpore Ecclesiæ universalis abscindit, membrum ipsius esse recusat, & (ut nihil desit huic ambitioni) caput se contra Christum, qui solus est, & verum Ecclesiæ universalis caput, constituit

ſtituit: Hinc eſt, quòd ſuo Pontifici hæc capitis muniâ aſcribere non erubeſcit.

1. Statuere de omnibus fidei & morum controverſiis in tota Eccleſia, id quod ab eo fieri volunt infallibiliter.

2. Poteſtatem juriſdictionis omnibus tàm Patriarchis, quàm Epiſcopis è ſuæ poteſtatis plenitudine impartire & derivare.

3. Poteſtatem temporalem exercere pro re nata in Reges etiam & Principes ſaltem indirectè.

4. Concilia convocare & confirmare; in iis principalem & definitivam ſententiam pronunciare.

5. Canones & leges condere, quæ omnium Catholicæ Eccleſiæ membrorum conſcientias verè obligent.

6. Abſolvere non ſolùm à peccatis, ſed à pœnis, legibus, votis, juramentis, & cum iiſdem diſpenſare. Atque hoc modo ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis, inquit Bonifacius Octavus in Extravagantibus. Videtis Romanam Eccleſiam ſeſe ab univerſali dirimentem & abſcindentem. Id quod Gregorius Magnus jamdiu ante ſagaciſſimè adoratus fuerit, ubi vehementer invehitur in Joannem Conſtantinopolitanum viam ſibi hoc eodem titulo Univerſalis capitis & Epiſcopi ad hanc poteſtatem ſternentem; In hoc ſceleſto (inquit) vocabulo conſentire, nihil aliud eſt, quàm fidem perdere, & univerſæ Eccleſiæ fidem corrumpere, & hoc dato univerſam Eccleſiam corruere; hanc poteſtatem unico Chriſto competere: illum ſolummodo Epiſcopum eſſe univerſalem & caput Eccleſiæ: Petrum non eſſe niſi membrum: Luciferianum eſſe ut Epiſcopus aliquis in hoc culmen ſingularitatis aſcendat; Titulum (*Univerſalis*) eſſe ſtultum, ſuperbum, ſceleſtum, perverſum, profanum, blaſphemum; & hunc titulum ambientem eſſe præcurſorem Antichriſti; & dilertè addit hunc titulum in totius Eccleſiæ injuriam & diſciſſionem fieri, & in Eccleſia univerſali diſciſſionem facere ex hiſce apodicticè infertur, Eccleſiam Romanam eſſe Hereticam factionem, nec hæreſin tantum ſed & Schiſma redolere, & id quidem pernicioſius longè quàm vel illud olim Novatianorum, vel Donatiſtarum, vel Luciferianorum. Id quod vel hinc apertiſſimè demonſtratur, quòd hæc nupera Romana Eccleſia, hæc pars, hæc factio, tàm ſeverè damnat & anathematizat reliquas Chriſtiani orbis Eccleſias, Proteſtantiam per Britanniam noſtram, Germaniam, Galliam, Daniam, Helvetiam, Eccleſias inſuper in Polonia, Ruſſia, Armenia, Græcia, Aſia, Ægypto, Syria, Æthiopia tametſi antequam fidem ab Apoſtolis traditam, ab Eccleſiis propagatam à Conciliis omnibus vere Oecumenicis quotquot fuerunt receptam & explicatam profiteantur; idque non alio nomine quam quòd novella ſuæ novæ fidei dogmata antiquæ fidei Rom. Eccleſiæ ſuperinducta non recipiunt, & huic ut ſuo ſummo paſtori ſubeſſe nolunt. Hæc ſcil. eſt illa Babylon, quæ in corde ſuo dicit, ſedeo Regina, ſola ſum, & non eſt præter me. Ex hiſce concludo Romanam Eccleſiam eſſe ſchiſmaticam.

Romana

Romana Ecclesia est Idololatrica.

ILla Ecclesia rectè dicitur Idololatrica, quæ verè rea peragitur Idololatriæ.

Committitur autem Idololatria trifariam vel ratione habita

1. *Objecti*, Cum aliquid colitur religiose quod coli non debet, cum aliquid præter Deum colitur.
2. *Modi*, vel *medii* cultus cum indebito modo colitur quod alioqui licite coli potest.
3. *Utriusque* cum falsus Deus, indebito modo colitur.

Ecclesia Romana non veretur affirmare cultum aliquem Religiosum posse exhiberi creaturæ absque omni aut periculo, aut levissima suspicione Idololatriæ.

Per cultum Religiosum intelligimus cultum tum

- *Internum*, qui consistit in ipsius spiritus subjectione seu mentis submissione & inclinatione ei, cujus excellentiam cognoscimus, estque hic actus maxime proprius & essentialis cultui Religionis.
- *Externum* qui à tali cultu interno imperatur & externo opere perficitur, ut sacrificando, vota nuncupando, incensum offerendo, & id genus alia.

Hunc utrumque religiosum cultum volunt Romanenses esse, vel

- *Primarium*, Et appellant λατρείαν & debetur divinæ & infinitæ excellentiæ.
- *Secundarium*, quem appellant δουλείαν vel ὑπερδουλείαν, quem tamen volunt esse cultum divinum & Religiosum sed distinctum in specie ab illo cultu primario.

Juxta præmissa nos dicimus Romanam Ecclesiam duplici nomine reum esse Idololatriæ

1. *Illius quâ colunt* religiose id quod non est Deus.
2. *Illius quâ Deum*, Christum & Sanctos in imaginibus religiose colunt.

Et

Et quidem prioris generis reos merito peragi dicimus
- 1. In adoratione religiosa { Angelorum. / Sanctorum.
- 2. In specie in horum invocatione religiosa.
- 3. In ἀρτολατρεία.

Posterioris rei sunt in εἰκονολατρεία, potissimum in σταυρολατρεία.

I. Romanam Ecclesiam merito idololatricam dicimus, eò quòd sanctos & angelos religiosa adoratione coli licitè posse contendunt, licèt adoratione inferioris ordinis quàm illa quæ debetur summæ & infinitæ excellentiæ quæ est in Deo. Idque duplici nomine, quatenus asserunt hanc adorationem Religiosam inferiorem, esse supra humanam spiritualem. Nos dicimus omnem talem adorationem Sanctorum, quæ sit vel supra humana vel spiritualis, esse adorationem Deo propriam, ac proinde si aliquando tribuatur Sanctis, esse idololatricam. 1. Dicimus non deberi Sanctis adorationem ullam supra humanam, siquidem omnis adoratio sanctis animabus debita in statu separationis, non est alterius generis aut speciei, quàm illa quæ sanctis viatoribus in statu conjunctionis debetur: Fundamentum enim utriusque cultus est excellentia sanctitatis, quæ in utrisque est, quæ certè sanctitates non differunt specie aut essentia, sed gradu tantùm & accidentaliter: quare nec adorationes in hisce fundata, specie, sed tantum gradu distinguuntur. Dicimus porrò cultum, qui debetur spiritibus beatorum separatis & sanctis viatoribus, esse cultum purè humanum, etiamsi sit ordinis supernaturalis; dona enim & virtutes quæ utrisque insunt, qualia sunt charitas, gaudium, sapientia, non sunt alia in beatis, alia in viatoribus, sed eadem dona, licet in beatis auctiora & perfectiora. Cumque in Adamo integro fuerint, & in homine viatore lapso sint, & in homine post Resurrectionem glorificato permansura sint, humana sunt, & non nisi humana futura sunt. Neque enim homo glorificatus in Cœlis humanam transcendit naturam, aut unquam transcendet, sed semper in omnem æternitatem inter latitudinem perfectionis humanæ, permansurus est. Ex hisce videre est cultum nec Sanctorum viatorum, nec spirituum beatorum pertingere ad cultum religionis qui 1 tabula præscribitur; cùm totus ille cultus directè præscribatur in 5. Decalogi præcepto, aut saltem illuc reducendus sit. Cum ergò Romanenses Sanctis cultum religiosum et divinum impendant licèt inferioris generis, quàm ille qui vero Deo debetur, esse clamitent, certè eò quòd divinum & Religiosum hunc cultum & appellare & esse, nihil dubitent, & supra-humanum. Creaturæ communicant quod est proprium creatoris; siquidem Dei cultui tantum detrahitur, quantum divini cultus creaturæ impenditur, & homini supra-humanum omnem cultum tribuitur; ac proinde talis cultus meritò idololatricus dicendus est.

II. Dicimus cultum quem Romanenses tribuunt spiritibus Cœlitibus ex alio capite esse verè idololatricum, quatenus eos coli licitè posse docent, & colere solent, omni loco, omni tempore, & in omni re cultu illimitato & spirituali fundato in apprehensione talis in Sanctis excellentiæ, quæ movet & impellit apprehendentem, ut non solùm corpus adorando iis subjiciat in agnitionem illius illimitatæ excellentiæ quæ semper & ubique in omni re sese adoranti sistit, sed etiam spiritum & ipsum internum affectum unde cultus iste erit veri nominis spiritualis, cum subjectione non solùm naturalium sed etiam animæ & spiritualium. Nos dicimus ejusmodi cultum Beatorum spiritibus tribuere, esse verè & propriè idololatricum, siquidem iste cultus tribuit creaturæ, quod est solius creatoris, nimirum spiritus & mentis & interni affectus submissionem, quæ soli Deo debetur, tanquam soli Domino spiritus & animæ; solus enim ille adorandus est spiritu & veritate, & certum est submissionem illimitatam spiritus & mentis, vel gradu infimo, alicui, omni loco & tempore non posse aliquando creaturæ absque idololatria communicari, siquidem talis submissio non debetur nisi cordis inspectori, & cognitori ordinario. Solus autem Deus est καρδιογνώστης Jerem. 17. Ego Dominus scrutans renes & corda, Rom 8. Qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Ex quibus testimoniis colligunt Patres, quòd καρδιογνωσις sit manifestum Divinitatis indicium & τεκμήριον, indèque doceant Christum Dominum eò maximè se Dei Filium comprobâsse quòd cogitationes cordium pharisæorum sæpiùs detexerit & revelaverit.

III. Ex prædictis infertur ubicunque ex tali spiritus & interioris affectus submissione,

sione; hunc interiorem cultum extrinsecus testamur & profitemur, externis signis, sacrificando, incensum offerendo, vota nuncupando, geniculando, procumbendo, caput inclinando, & id generis externo tultu; ibi externam idololatriam committi, siquidem ex tali interiori submissione idololatrica imperatur illa externa adoratio, ac proinde & illa idololatrica est.

IIº. Dicimus Romanam Ecclesiam inde etiam idololatricam sese demonstrare, qui sanctos & angelos religiosè invocari posse doceat & defendat; siquidem invocare Sanctos & Angelos religiosè est cultus idololatricus: At hoc modo illi eos invocant.

Statuunt enim eos omnes & singulas preces membrorum Ecclesiæ militantis quæ iis aliquando funduntur à viatoribus sive mentales, sive vocales, certò, distinctè & ordinariè omni loco & tempore cognoscere; ac proinde posse eos religioso & spirituali affectu invocari; quatenus interni gemitus & suspiria cordis, interni mentis affectus & cogitationis, & ipsa arcana conscientiæ penetralia, iis ut inspectoribus reserari patere, & expandi agnoscantur; unde & necesse ut iis mentem & voluntatem & affectus subjiciamus; Cum tamen certum sit ejusmodi inspectionem ordinariam in cordis & conscientiæ penetralia, solius Dei esse, qui solus est καρδιογνώστης, juxta illud Solomonis, Tu solus nosti corda filiorum hominis; is etiam solus novit τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, Rom.8.27. Et intimos gemitus & suspiria cordis.

Obj. Dices Sanctos & Angelos non sua vi naturali inspicere corda hominum, quomodo Deus ipse intuetur, sed vel intuendo divinam essentiam, vel per cognitionem revelatoriam; quam à Deo habent, preces nostras mentales cognoscere, & intima cordis desideria; vel aliquo alio modo eminenti Dei cognitione longè inferiore, ac proinde cultum illis debitum ratione hujus inferioris cognoscendi modi, cultu divino longè inferiorem esse.

Resp. Licet animæ beatæ & Angeli, mentales preces nostras & intima suspiria, non cognoscant nisi intuitu divinæ essentiæ, vel per speciales revelationes à Deo, vel tali modo longè infra divinæ cognitionis excellentiam subsidentem tamen in eo quod hasce nostras preces, & internos voluntatis affectus, certò, perfectè, distinctè, & ordinariè intelligant & cognoscant, hoc ipsum efficit, ut necessarió mentem, voluntatem & affectus interiores iis ut inspectoribus subjiciamus, licet ut inspectoribus inferioris ordinis & gradus; siquidem submissio interioris affectus fundatur in ipsa cognitione & inspectione non in modo cognoscendi. Certum enim est ei quem novi cordis mei liberas cogitationes & affectiones intueri me, interiorem affectum non posse non subjicere & submittere. Invocatio in tali dogmate fundata est actus religionis; ac proinde ex hoc fundamento invocare Sanctos & Angelos, est actus planè idololatricus. Atque hoc nomine hîc cultus damnatus est in Synodo Laodicena, cujus canones recepti sunt in codicem canonum Universalis Ecclesiæ Can. 35. ubi statuit Synodus ὀνομάζειν ἀγγέλους (.i.) Nominare angelos non aliud esse quàm relinquere D. Jesum & ad idololatriam accedere. Quod autem nominare Angelos, ibidem sit ad eos orare docent Theodoretus & Oecumenius in secundum ad Colossens. ubi uterque meminit hujus Canonis & ὀνομάζειν per προσεύχεσθαι explicant. Zonaras item & Balsamon in Scholiis in dictum Canonem, ὀνομάζειν explicant τὸ ἐπικαλεῖσθαι, (.i.) invocare; ergo tum temporis (.i.) circa an.360, non 319, ut falsissimè Baronius, invocare Angelos erat idololatricum.

Addo alio nomine Romanenses meritò dici idololatras in invocandis sanctis siquidem Sanctis & Angelis potestatem tribuunt plures imò infinitas ferè preces simul eodem temporis momento intelligendi & exaudiendi. Cujus potestatis ipsius Christi humanitas in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, capax non est. Cum enim certum sit eidem Sancto v. g. Beatæ Virgini centena millia precum in festo puta Annuntiationis, vel Purificationis, vel Assumptionis, in variis mundi partibus & regionibus, Romæ, Mediolani, Venetiis, Lutetiæ, Toleti, Pragæ, eodem temporis momento fundantur. Etiamsi demus divinæ essentiæ intuitum, vel immediatas ordinarias revelationes. Tot preces Sanctis & Angelis repræsentare, tamen finitus eorum intellectus non potest eodem temporis Articulo totidem distinctè intelligere.

Quantumcunque enim elevatus fuerit intellectus creatus non tamen totidem intellectiones eodem instanti producere potest, nec productionis totidem capax est; siquidem

dem intellectus creatus non potest simul multa intelligere, sed successivè. Notum etiam est ex Philosophia; Receptivum non recipere per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis (.i.) capacitatis naturalis, quæ quidem cum finita sit, & suis limitibus comprehensa, non est totidem intellectionum eodem momento capax. Ex dictis sequitur, quamdiu immotum fuerit illud principium; Impossibile est idem esse & non esse; vel quod æquipoll. unum actum esse unum & multos (.i.) non unum, vel unum tempus esse unum & multa (.i.) non unum, tamdiu sancti non possunt actu intelligere & velle multa eodem instanti ne per potentiam divinam: cum divina potentia, cum horum principiorum veritate non pugnet, sed suavissimè conspirat. Tot precum exauditionem tribuere eodem momento Sanctis animabus, est tribuere Sanctis infinitam scientiam; vel talem quæ non nisi Deo competit; quæ est Hæreticum, & ex talis excellentiæ apprehensione colere Sanctos, est veri nominis idololatria. Mitto hîc alias rationes brevitatis ergô.

III. Ἀρτολατρεία, quæ Romanam Ecclesiam per aliquot secula à nata transubstantiatione pervasit, est veri nominis idololatria. Nam latriæ cultus Sacramento Eucharistiæ adhiberi nequit citra idololatriam, ne in usu quidem Eucharistiæ; quia certissimum est, panem manere panem quoad substantiam suam, neque per consecrationem in verum corpus Christi transubstantiari, nam sic Eucharistia desineret esse Sacramentum, de cujus essentia est re externa constare, & Christi corpus de novo esse inciperet, nihil enim mutari potest in aliquod præexistens; quod autem panis natura post consecrationem maneat, tum Scriptura docet, tum antiqui Patres disertissimè. Multò minus extra usum, cum circumgestatur, latriæ cultus ei adhibetur absque idololatria.

Sed dices illos formaliter adorare corpus Christi verum, atque adeò cultum dirigi ad verum Christi corpus; licet fallantur, quod existiment, id quod sub speciebus est, esse ipsissimum corpus Christi verum.

Esto, utcunque erit veri nominis idololatria; nam 1. Et Israelitæ, verum Jehóvam imagine formaliter colebant, & tamen vitulus idolum, & vituli cultus veri nominis idololatria fuit, juxta Scripturas.

2. Si hæc distinctio valeret, nunquam Gentiles admissæ idololatriæ accusari potuissent. Intentio enim illorum nunquam opera digitorum suorum timuit, sed eos ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus consecrata sit. Ut rectè Lactantius.

3. Hoc modo Christianus verè fidelis posset adorare absque omni idololatria coram idolo Gentilium, si dixerit se idolum illud non nisi per accidens adorare, sed Deum ipsum solùm, quem novit in ipso idolo præsentem esse, utpote quem ubique novit esse, formaliter & intentionaliter adorare, At hoc ipsum procumbere coram idolo ut idololatricum ubique scriptura damnat & prohibet.

4. Hac distinctione admissâ nemo quanquam imagines quasvis adorans, reus 2 præcepti Decalogi violati agi possit nisi secundum suam ipsius opinionem judicaverit illud lignum verè Deum esse, & propterea se verè & reipsa Deum effecisse, quod ut quis sanæ mentis unquam opinetur, non solùm incredibile est, quin etiam planè impossibile.

5. Quicquid sit de imaginatione adorantis, certum est admitti idololatriam quando aliquid colitur religiosè quod non sit Deus.

6 In hac adoratione Eucharistiæ, quia actus adorationis externus terminatur in speciebus panis, ibi necesse est materialem committi & externam idololatriam etiam à doctis qui norunt formare distinctas notiones specierum panis, & corporis invisibilis sub iisdem latitantis, cultus item materialis & formalis, cultus univoci & analogici, cultus per se & per accidens; sed à vulgo imperito qui non nôrunt hasce subtiles distinctiones formare, non dubium est quin ordinariè formalis idololatria committatur. Atque hîc non possum non meminisse illius idololatricæ vel potius blasphemæ dedicationis quam Sanderus noster præfixam reliquit lib. de Cœna Domini in hanc formam Corpori & sanguine Salvatoris nostri Jesu Christi sub speciebus panis & sanguinis sit omnis honor, laus & gratiarum actio in secula; & postea in ipsa Epistola: Adoro te Deum meum, & Dominum meum realiter præsentem sub speciebus panis & vini — & cui

referrem laudem & gratias pro hoc libro, sed tibi soli? —— Et posteà: Honoris ergò tui corporis & sanguinis offero hoc minutum.] Ubi non solum Eucharistiam corpus naturale & sanguinem Christi facit, sed & ipsam Deitatem, nam Deitati & quidem soli, omnis honor, laus, & gratiarum actio debetur; porrò cum non conjungat Patrem & Spiritum Sanctum, in harum laudum participatione, aut illos excludit, aut hasce personas vult esse æquè atque filium cum corpore & sanguine Christi sub speciebus Panis & Vini absque ulla distinctione personarum.

IV°. Jure Romana Ecclesia dici potest idololatrica quatenus tuetur εἰκονολατρείαν siquidem docent & defendunt Deum, Christum crucifixum, Mariam, Angelos & Sanctos religiosè in imaginibus adorari posse

At 1. Certum est juxta Scripturas, illam veri esse nominis idololatriam, ubi verum numen in imagine colitur; hoc negant Romanenses; sed ex Scripturis apertissimè evincitur; nam certum est cultum vituli Aaronis, & vitulorum Jeroboami, & Teraphim Michæ, fuisse cultum idololatricum; idque non diffitentur Pontificii: quod verò in hisce verus Jehovah colebatur clarissimè Scriptura docet. Ex 32. in vitulo Aaronis dicuntur Israelitæ adorare Deum illum qui eduxerat eos ex Ægypto; vers. 8.

2. Dicit Aaron cras erit solennitas Jehovæ, non vitulo, non Api Deo Ægyptiorum. Nomen autem Jehovæ nulli creaturæ juxta Judæos communicatur.

3. Nemo dixerit tàm væcordes fuisse Israelitas, nec tàm miserè mente captos, aut fascinatos, ut liberationem suam & Ægypto tàm miraculosam, aut vitulo primam, primum fuso, aut Api Deo, quem spreverunt Israelitæ; aut alii, quàm ipsi Jehovæ acceptum referre aut voluissent, aut potuissent. Hæc tam clara, ut omni effugio aditus omnis planè præstruatur; idem pronunciandum de vitulis Jeroboami & Michæ Teraphim, in quibus utrisque verum Deum cultum fuisse, apertissimè liquet.

2. Certum est omnes imagines aliarum rerum præter Deum sive verarum, sive fictarum ad cultum expositas, rectè tùm secundum etymon vocis tum secundum usum Scripturarum εἴδωλα dici: quare illorum cultus erit saltem εἰδωλοδουλεία cultus spiritualis & religiosus inferioris generis, qui tamen apertè secundo præcepto prohibetur: adoratio enim religiosa imaginum, sive Christi, sive Apostolorum, sive Beatæ Virginis, tùm primaria, tùm secundaria tùm absoluta, tùm respectiva in secundo præcepto prohibetur. Et quidem in Vet. Testamento Judæis eam interdictam fuisse fatentur primarii Pontificiorum tùm veteres, Halensis, Albertus, Aquinas, Bonaventura tùm ex recentioribus non pauci: neque in Novo Testamento est ulla sive revocatio, sive abrogatio hujus negativi Præcepti, Judæis adorationem imaginum interdicentis unde liquidò constat præceptum illud secundum esse morale & obligatorium tùm Christianorum, tùm Judæorum in perpetuum. Ac proinde omnis talis cultus religiosus imaginum est idololatricus.

3. Idem evincitur ex praxi & traditione Ecclesiæ post Christum. Gregorius M. suo tempore, adorationem imaginum omnibus modis devitandam suadet.* Concilium posteà Francofordiense circ. ann. 794 sese opposuit Nicænæ Synodi II, & quà parte imagines adorandas censebat, eam damnavit & improbavit, ut non modò divinis Literis, sed & antiquæ Patrum traditioni contrariam. Hovedenus noster ex Symeone Dunelmensi, circ. ann. 792, ait Ecclesiam Dei omninò execrari hanc adorationem, & certè non alia ratione quàm quod sit idololatrica. Post Synodum Nicænum in immensum crevit in Romana Ecclesia idololatria circa cultum imaginum. Mitto infinita quæ huc afferri possunt. Unum aut alterum illius cultus idololatrici indicium, in consecratione crucis, & imaginum è vet. manuscripto Pontificali, quod videtur in Saxonum aut Danorum temporibus hic receptum fuisse, in quod non ita pridem incidi in Bibliotheca Collegii Corporis Christi. Pag. 124. in Benedictione sanctæ crucis hæc habentur. Hæc crux divinitus per gratiam Sp. S. consecretur & perpetualiter ad adorandam imaginem Domini nostri Jesu Christi consecrata permaneat: & Sp. Sanct. habitet in hac sancta cruce per eundem Dominum nostrum. P. 130. Ac sicuti per illum

lum [Christum] mundus expiatus est à reatu; ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimè hujus crucis, sive harum crucum merito, & obsecrationibus omnium sanctorum tuorum ab omnibus terrenæ corruptionis nexibus absolvantur; simúlque retributionis æternæ solatia hujus sanctæ crucis [seu harum sanctarum crucum] gratia in divinitatis tuæ gloria, à se crucifixo percipiant, qui cum Patre & Sp. Sancto vivis & regnas. p. 140. in Benedictione ad imaginem S. Mariæ quæ auro vel alia venustate fuerit compta. Fructuum quoque terræ multiplicetur abundantia, quocunque adfuerit imaginis istius præsentia, animalium nihilominus & hominum mortalitas; hujus formæ præsentia te Domine jubente quiescat: omnibusque qui ei reverentiam exhibuerint & ante illam preces tibi fuderunt, à te hujus sanctæ imaginis intercessionibus exaudiatur, p. 158. Sis aqua sancta & proficias ad dedicationem hujus tintinnabuli vel hujus campanæ —— & Sp. S. habitet in hoc tintinnabulo, vel in hac campanâ, per Dominum nostrum.

Apostasia à Paulo Prædicta est adimpleta.

Cum certum sit Apostolum 2 ad Theff. 2. 3. Vaticinari de Apostasia futura, idque sub Antichristo, ut communiter interpretes notandum ex omnium fere sententiâ, etiam ipsorum pontificiorum intelligi debere:

1. De singulari & insigni Apostasia, id quod Articulus præpositivus, ἡ hîc denotare videatur. Ut etiam in vocibus subjunctis ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας ὁ ἀντικείμενος ὁ ἄνομος.

2. De quâdam universali Apostasia, id quod vox Apostasia generaliter posita videtur innuere, quæ nulla hîc gentis aut loci nominatione restringitur, aut determinatur, sic patres, sic recentiores.

3. Cùm Apostasia sit quarundam personarum, quæ defecturæ erant, apud omnes constat personas has à partibus Antichristi stare, atque ad eum deficere. Habemus ergo terminum ad quem hujus defectionis; Jam disquirendus est proximo in loco terminus à quo, unde fuerit hæc defectio: Nonnulli veterum intelligunt hanc recessionem foré à Romano Imperio, in quibus sunt Ambrosius, Hieronymus, Perimasius. Alii à Romana Sede, ut Anselmus. Cùm autem certum sit ex omnium consentiente sententia, hîc de Antichristo agi, ejusque revelatione, nos facilè largimur, Antichristi revelationi antecedaneam foré defectionem à Romano Imperio, & succedaneam discessionem à Sede Romana. Illam enim prædixit Apostolus hîc versu 6 & 7. Hanc Johannes Apocal. 17. 16. & 18. 4. Sed Apostasia illa insignis & universalis, quæ est Antichristi, & eorum, qui à partibus Antichristi stant, & ad eum deficiunt, de qua Apostolus agit, versu 3. Ubi ait, Non adventurum diem Domini, quin prius ventura sit defectio, omnino intelligenda est de Apostasia spirituali, qualis est à fide & religione. Nam Antichristus fidem & Religionem oppugnaturus erat, non politiam, Christo se non Imperatori oppositurus, Ecclesiæ & Religionis, non Regnorum & Rerumpubl. statum mutaturus. Ergo manifestum est, Apostolum non de politica a-

liqua, ſed de Eccleſiaſtica defectione loqui. Præterea Apoſtolus ait, Myſterium iniquitatis jam tum operari, at Imperium Romanum non cœpit tum, ne mutare quidem; nondum enim ad Ἀκμὴν pervenerat, quo tempore Trajani, demum perventurum erat. Ergo de illa Apoſtaſia intelligendus hic locus, de qua noſter Apoſtolus, ſui optimus interpres, 1 Tim. 4. Ubi prædicit, quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam de fide ἀποστήσονταί τινες ἀπὸ τῆς πίστεως. Tenemus jam terminum à quo, Apoſtaſiam hanc, cum ſit ſpiritualis, à Chriſto, & Chriſti fide futuram eſſe. Apoſtaſia ergo à Paulo prædicta eſt inſignis quædam Apoſtaſia, eſt univerſalis, quâ non tantum perſonæ, quamvis multæ, ſed etiam regiones & Provinciæ omnes, aut penè omnes diſcedent à fide catholicâ, & ad Antichriſtum ſe recipient. Eſt ergò hoc quartum in hac Apoſtaſia, quod futura ſit à fide Catholica. Adhuc, ſi penitius introſpiciamus textum Apoſtoli, facilè, uti ſpero, conſtabit non futuram, apertam, manifeſtam, cuivis ab oculos poſitam, ſed occultam, cœlatam, myſticam Apoſtaſiam.

Nam 1. S. Paulus, ubi de hac inſigni Apoſtaſia Vaticinatur, ibidem quoque de Apoſtatarum hypocriſi prophetauit. 1 Tim. 4. 1. Ubi Authores Apoſtaſiæ dicuntur ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοι, in hypocriſi falſiloqui, quoniam, ut inquit Theodoretus, Chriſtianorum ſibi appellatione impoſitâ, apertè docent contraria. Hanc Apoſtaſiam videtur Apoſtolus deſignare per myſterium iniquitatis verſu 7. adeóque myſticum fore, non manifeſtum, quia, ut inquit Anſelmus, iniquitatis miniſtrorum Antichriſti eſt myſtica & pietatis nomine palliata, & ſub ſpecie boni perpetrat malum, ſic & gloſſa, myſtica erit impietas Antichriſti & pietatis nomine palliata, hinc eſt, quod in hoc ipſo capite ter meminerit revelationis hujus myſterii. Non venerit dies Domini, quin venerit Apoſtaſia. & revelatus fuerit homo peccati verſu 3. Ut reveletur ſuo tempore verſu 6. & tunc revelabitur homo peccati, ver 8. Quid opus eſſet ut Apoſtolus de Revelatione tantopere laboraret, niſi hæc impietas reipſa occulta & myſtica fuiſſet? In fronte Babyloniæ meretricis inſcriptum eſt nomen myſterium, quod omnes non intelligunt niſi quibus revelatur, imò ſummæ eſt intelligentiæ ac ſapientiæ myſterium Antichriſti intelligere. Ex hiſce conficitur hanc Apoſtaſiam non eſſe apertam & manifeſtam, ſaltem dum peragitur, & ſit in fieri. Ex quo capite, etiam videatur poſſe inferri hanc Apoſtaſiam non fore violentam, ſubitaneam, nec brevi temporis intervallo conſummari & perfici, ſed Paulatim, ſenſim, gradatim, ad ἀκμὴν perduci, eo modo quo corpus tabe abſumitur, vel arbor putredine marceſcit. Ubi illud obiter animadvertendum eſt, ineptè à nobis poſtulare Romanenſes, ut locum, & tempus, & perſonas quæ hoſce errores introduxerunt, deſignemus & quinam Catholici iiſdem reſtiterunt. Hæc enim utcunque in violentis & ſubitaneis mutationibus poſtulari poſſunt, non tamen in lentis, inſenſim & tacito pede obrepentibus mutationibus niſi iniquè poſtulari, aut poſſunt, aut debent; hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis contenderet guttas non excavâſſe lapidem, eo quod momentum, quo excavare cœperunt, nemo deſignare poterit. Nam quod non niſi longo temporis progreſſu hæc Apoſtaſia conſummanda erat, apertè ex noſtro Apoſtolo evincitur; myſterium enim iniquitatis tum peragi pronunciarat, quod tamen diu peragi oportuit, nec ante imperium è medio ſublatum, revelandum erat. Apoſtaſia ergo illa à fide, non tantùm myſtica futura erat, ſed per aliqua ſæcula antequam conſummanda erat duratura. Aſſeritur porrò in Theſi, hanc Apoſtaſiam prædictam adimpletam eſſe. Et certè, quod hæc prophetia adimpleta ſit, ſaltem magnâ ex parte, patet ex eo, quod Apoſtolus noſter ait ver. 9. ſuo tempore myſterium iniquitatis, cujus non minima pars eſt hæc, ἀποστασία peragi cœpiſſe, ſcilicet in hæreticis vexilliferis, & anteſignanis Antichriſti, & tamen non erat adimplenda nec revelanda, antequam è medio tollendum, aut certè ſemovendum Romanum Imperium, quod diu poſt contigiſſe certum eſt ex omnium conſenſu. Hiſce præmiſſis de natura & proprietatibus hujus Apoſtaſiæ proximo in loco diſquirendum eſt, ubi tandem terrarum, & quia in Eccleſia, ut ſupra evicimus futura erat, in qua Eccleſia Apoſtaſia ſupra deſcripta impleta ſit. Hic non ſunt audiendi, qui Mahumetanos, aut Judæos hoc loco notandos volunt, nec enim Eccleſiæ Chriſtianæ nomine horum hominum cœtus dignandi ſunt, cùmque veram Chriſti fidem nunquam receperint, proinde ab ea deficere nequeunt & Apoſtare. Nec certè Græcam Eccleſiam deſignat qua Romano contradiſtinguitur, inde à tempore quo de primatu

inter

inter se contendebant; siquidem nullus, vel tum, vel ex eo tempore, in illa Ecclesia comparuit ὁ ἀντικείμενος, nullus ὁ ὑπεραιρόμενος, nullus sese opponens aut efferens adversus quicquid dicitur aut Deus, aut numen, qualis hujus Apostasiæ caput futurus erat. Nullus apud eos in templo Dei sedens, ut Deus qui præ se ferat se esse Deum. Esto fuerint apud eos Hæretici etiam in ipsis Patriarchalibus sedibus, imò Hæresiarchæ in Alexandrina, Arius Presbyter in Constantinopolitana, Nestorius & Macedonius Patriarchæ, & Eutiches Archimandrita. At nec horum apostasia generalis, vel si aliqua harum quasi generalis, qualis erat hæresis Ariana, de qua Hieronymus. Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est, tamen non fuit diuturna, nec occulta erat & mystica, sed aperta, manifesta, quæ directè Christi divinitatem impugnavit, quo modo & Eutichetis hæresis, dualitatem naturarum, & Nestorii unitatem personæ. Nec harum ulla secuta est defectionem à Romano Imperio, quin omnes antecesserunt. Quantò minus notæ prædictæ Græcæ Ecclesiæ Hodiernæ, aut hodiernis, vel Armeniis, vel Abyssinis, vel Nestorianis apud Persas & Assyrios, competere possunt, nec hoc obtendunt Romanenses. Restat ergo ut despiciamus, an hæc Apostasia in Romana Ecclesia adimpleta fuerit. Atque hìc præcipua capita Religionis Christianæ dum perlustramus, tot undequaque in hac Ecclesia, sese nobis ultra offerunt hujus Apostasia signa & indicia, ut vix dubitandum sit, quin magnâ ex parte in hac Ecclesiæ vaticinium hoc adimpletum sit. Ne tamen ad incertum collineamus, & servis Dei qui sub papatus jugo gemunt, suus honor conservetur, ne distinguenda confundamus, præmittendum est, nos de Ecclesia Romana antiqua non agere, quæ per varias annorum centurias fidem ab Apostolis propagatam integram & illibatam retinuit; sed de illa quæ posterioribus temporibus secuta est, quæ tamen bifariam sumi potest; vel quæ denotat factionem illam præpotentem, quæ conflata è Cardinalibus Clero & populo Romano, Papæ & capiti adhæsit, ejus definitionibus acquievit, & ejus nutui & obtemperavit, quæ jam (inquit Mars. Patavinus) ex usu quodam dici Ecclesia obtinuerat, aliis Curia Romana: vel denotat Universitatem credentium, qui hujus Curiæ tyrannidi quoquo modo subjiciebantur, & externam cum ea communionem colebant, in qua plurimi extiterunt, qui seriò optabant, & sæpe tentabant Ecclesiæ hujus tam in capite quam in membris reformationem. Hæc est illa, quæ antiquitùs & propriè (inquit idem Marsil.) dicta est Ecclesia. In qua majores nostri vixerunt & mortui sunt. Hæc distinctio est Marsilii Patavini, Occami, Petri de Alliaco & aliorum. Romanam ergo Ecclesiam juxta priorem acceptionem, quæ designat factionem illam præpotentem & Curiam Romanam ejusque asseclas, & subditos, intelligimus. Inque hac Ecclesia sese prodit hæc Apostasia insignis, hæc Apostasia generalis in plerisque fidei capitibus, licet occulta & mystica, & quæ non nisi sensim crevit, & post varia secula adimplenda erat, qualis futura erat illa Antichristi. Id quod non erit valde difficile demonstrare. Si priùs quædam quæ huic Apostasiæ mysticæ & occultæ detegendæ necessaria fuerint præmiserimus.

I. Erit. Apostasiam fieri posse, addendo nova principia fidei, alia ab iis, quæ à Christo & Apostolis ecclesiis commendabantur.

II. Apostasiam à fide fieri posse tum minuendo, tum notando regulam fidei; fides profecto divina ex detractione, vel minima tota perit, nec vera Ecclesia est, ne visibilis quidem, ubi non est integræ fidei professio. Sic Ariana Ecclesia non erat vera quia in Christum diminutè credidit, divinitatem Christo nimirum detrahens, nec Nestoriana, quæ unionem hypostaticam duarum in Christo naturarum impugnavit. Idem de mutatione pronunciandum; ubi enim est fidei mutatio, ibi semper est aliqua vera fidei dimunutio.

III. Minui & mutari posse fidem, non tantum apertè & directè negando vel mutando aliquem articulum, sed occultè, indirectè, consequenter.

IV. Apostasiam à fide fieri posse addendo ad veram fidem. Cum vera additamenta ad veram fidem suæ regulæ commensurata:

Sint triplicia, vel {
1. Incerta quæ non nisi opinionem gignunt
2. Impertinentia ad fidem
3. Pugnantia cum fide, vel { Directè / Indirectè } vel { Expressè. / Consequenter. }
}

Certum

Certum est, si hisce additamentis positis, ad qua sequatur veræ fidei mutilatio, & partis alicujus negatio seu non admissio, inde veram à fide Apostasiam fieri. Sin addatur aliquod incertum quod proponatur credendum de fide, vel aliquid quod ad fidem impertinenter se habeat, tum etiam receditur à fide, quia fides suæ regulæ commensuratur, atque adeo corrumpitur & depravatur fides, dicit adæquationem cum sua regula. Hinc toties in Sacris Literis, in regula agendorum tam prohibemur addere quam detrahere. Deut. 4.2. & 12.32. Act. 5.22. Prohibemur declinare vel ad dextram, vel ad sinistram, & 11.28. maledicti qui recedunt à via recta; sic à regula credendorum receditur tum minuendo, tum mutando, tum adjiciendo. Audite quid hac de re olim Vincentius Lirinensis. Nova dogmata, vetus Testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consuevit, cap. 15, & cap. 26. invehitur in eos, qui contenti non sunt tradita semel & antiquitus credendi regulâ, sed nova, ac nova in diem quærunt, sempérque aliud gestiunt Religioni addere, mutare, detrahere. Et paulo post edisserens illud Apostoli, Devita prophanas vocum novitates; non dixit (inquit) antiquitates, non dixit vetustates, imò planè quid è contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est Novitas, tenenda est Antiquitas, & si prophana est novitas, sacrata est vetustas. Et cap. 31. Si novitia veteribus, extranea domesticis & prophana sacratis admisceri cæperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquetur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibi deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat ante castæ & incorruptæ sacrarium veritatis. Et cap. 32. Christi vero Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se custos, nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena. Audite Maxentium, Fidei augmentum est fidei detrimentum. Et Fidem Catholicam augmentum aliquod posse recipere improbum est credere.

V. Apostatari á fide occultius addendo, quàm vel minuendo, vel mutando. Nam 1. Qui minuit vel mutat fidem, plerumque id facit directè & expressè, at qui ad fidei regulam addit, nisi expressè repugnantia addiderit, non nisi indirectè, consequenter, tectè & occultè fidem subvertit.

VI. Apostatari à fide, non tantum in rebus fidei, sed etiam in materia de cultu; Siquidem omnis rectus cultus fundatur in dogmatè aliquo revelato, quo nititur iste cultus, in quo si aliquando erratum fuerit, hoc ipso à recta fide receditur. Idque non obscurè innuit Apostolus 1 ad Tim. 4. ubi ut instantias Apostasias à fide, adducit duas doctrinas dæmoniorum, prohibitionem conjugii, & interdictionem ciborum. Hisce præmissis, Dicimus multo probabilius esse, hanc Apostasiam à Paulo prædictam in Ecclesia Romana, quam in quavis alia Ecclesia existere. Idque probabimus, si doceamus.

1. Romanam Ecclesiam apostatasse à recta fide.
2. Hanc Apostasiam Universalem fuisse, nec intra suburbicarias Ecclesias, aut totam Italiam sese continuisse, sed longè latèque per occidentalem Ecclesiam grassatam fuisse.
3. Eandem Apostasiam esse occultam, non manifestam.
4. Eandem non fuisse violentam & subitaneam defectionem, sed sensim & pedetentim longo temporis progressu consummatam.

Videtis (Auditores Spectatissimi) me longi operis fundamentum jecisse, cui par esset, ut ædificium congruum superstruatur, Sed hoc nec tempus, nec locus, nec patientia vestra patientur. Date igitur veniam ex tam ampla messe spicilegium tantum facere, & ad specimen quasdam mergites edecumare (.i.) quædam insigniora capita ob oculos ponere, in quibus Ecclesiam nunc-Romanam à fide veteri apostatasse, Theologi nostri copiosissimè demonstrarunt; ex quibus, quid de aliis sentiendum sit perspicuè constabit. Aliquot tantùm capita persequar, quorum

1. Erit de fidei principiis. 2. Circa Eucharistiam. 3. Circa bona opera. Ultimum de potestate temporali	In quorum nonnullis receditur à recta fide, per {defectum / excessum} quæ singula quantâ fieri poterit brevitate absolvam.

Vota

Vota Monasticæ Perfectionis quæ dicuntur sunt illicita.

I. Llud imprimis præmittimus nos vitam Monasticam, qualis in Ecclesiæ nascentis primordiis olim vigebat, & per aliquot sæcula duravit, nullo modo improbare quin laudare, imò & admirari. Sed illam quæ ex veteris disciplinæ neglectu & superstitionis multiplici accessione & opinione cultus perfectioris posterioribus sæculis invecta est. Constabat autem professio Monastica primitus non tam in ullo expresso voto quàm in solo heroico proposito vitæ austerioris, cælibatus perpetui, abdicationis facultatum, renunciationis sæculi, abstinentiæ severioris, frugalitatis perfectissimæ, contemptus mundi, & omnium ejus vanitatum, & jugis quantum fieri potuit cum Deo conjunctionis. Talis olim fuit, antiquorum Monachismus; neque enim nisi post multa sæcula professio Monastica in tribus distinctis solennibus votis paupertatis, castitatis & obedientiæ collocabatur. Ut ergo rectius explicemus, quid sit quod quæritur præmittendum est Romanenses statuere Monarchatum statum esse perfectionis, ejusque professionem in tribus substantialibus votis, paupertatis, castitatis & obedientiæ regularis collocare, in quibus volunt essentiam Monachatus consistere, non tamen in votis ipsis simplicibus coram Deo plenissima licet electione emissis sed in solennibus coram Ecclesiæ facie nuncupatis adhibitis quibusdam externis cæremoniis. De hisce votis prout jam usu recepta sunt & praxi quotidiana in Romana Ecclesia comprobata, jam quæritur, an licitè possint & nuncupari & adimpleri. Id nos prorsus inficiamur. Et 1. Ratione vitiosæ originis, quod à turbido fonte fluant ac manant. Quomodo enim à turbido fonte non nisi cœnosa fluenta dimanare possunt? Nuncupantur enim & adimplentur ex opinione quod is status vitæ & longe in se perfectior & Deo multò gratior quàm alii, etiam ubi alioqui nulla adsit virtutum aut meritorum disparitas; quódque per hanc professionem satisfiat pro omnibus peccatis, eámque esse alterum baptisma quatenus per eam renunciatur sæculo & multis licitis voluptatibus & nova vita inchoatur, & qua piè creditur remitti omnis pœna temporalis pro qua alioqui satisfaciendum esset, sic Thomas & Bellarminus de Monach. 2 cap. 6. At ex tali opinione, vota Monastica vel nuncupare, vel reddere est illicitum.

Nam 1. Talis ordo Monachalis ab humanis constitutionibus & jure positivo totus profectus est. Neque enim fundatur in ullo jure divino, sive naturali, sive positivo, Bellarminus eum fundat in consiliis Evangelicis, atque adeo in jure divino positivo; si tamen de jure dici possint, quæ tantum proponuntur à Christo ut consilia non ut jura. Quatenus ergo consilia sunt omnibus libera, eatenus à Christo profecta sunt, quatenus verò huic vel illi ordini imposita, eatenus non à Christo, sed à jure humano positivo dimanant. Esto consilia sint à Christo: at vovere consilia est ab homine. Quomodo ergo perfectior est ille status Votariorum, quam Episcoporum & Presbyterorum qui jure divino stabiliuntur; nisi quis factitias religiones ut appellat Anselmus & adventitias

ventitias, ab homine institutas, statibus à Domino & Apostolis institutis præponendas censuerit.

2. Religio Christiana potest absque prædictis votis ad consilia obligantibus, perfectè imò perfectissimè observari ut optimè observavit Gersonius [contr. Grabb. p. x. col.3] nam Christum vovisse consilia non legimus, qui tamen legem suam perfectissimè observavit. Idem patet ex Apostolis, discipulis & Christianis in primitiva Ecclesia, quorum multi & uxores & possessiones habuerunt, quidam in communi, quidam de proprio; multi solis Episcopis & Prælatis suis subditi erant, longè ante ortas religiones Basilii, Augustini Benedicti & reliquorum.

3. Falsissimum est perfectionem consistere in hisce votis nuncupandis. Nam ut rectissimè Cajetanus [in Mat. 19] Christus Apostolis aut aliis ad perfectiorem aspirantibus non consuluit vota sed opera, quia non in votorum vinculo sed in operibus quibus imitamur Christum, consistit perfectionis assecutio.

4. Longè omnium falsissimum est horum votorum nuncupatione satisfieri pro peccatis, remitti omnem pœnam temporalem, aut alterum esse Baptisma vel Martyrio adæquandum, vota ergo Monastica cum ex perversis & pravis hisce opinionibus suscipiantur; hoc nomine procul-dubio sunt illicita.

II. Ut vota dicta illicita sunt ratione originis; ita non minus illicita sunt ratione finis, Nam & nuncupantur & adimplentur intentione satisfaciendi, merendi, supererogandi. Nam & vovendo opera consulta, & hæc ipsa vota adimplendo existimant se posse injuriam factam Deo per peccata venialia compensare, ex condigno etiam reatum pœnæ temporalis expungere, æternam etiam suam salutem, præmium infinitum, ex horum insita condignitate mereri, & plurima opera gratuita, indebita, omnia mandata divina transcendentia, erogare. Quis non videt vota Monastica, hac intentione suscepta & adimpleta non tantum non illicita esse; sed & Christianæ humilitati parum consentanea esse, imò & superbiam intolerabilem redolere, & Christi meritum & satisfactionem ex parte exinanire.

III. In loco materiam & objectum horum votorum pensitemus. Id quod commodissimè fiet, si de singulis seorsim agamus. Hic merito agmen ducit, consilium perpetuæ continentiæ, quod quousque & an absolutè voveri possit, & si absolutè & quocunque casu adimplendum sit, jam breviter disquirendum superest. Hic autem non quæritur 1. De proposito absoluto perpetuæ continentiæ ineundo: Nec 2 de voto etiam absoluto sese obstringendo, ei quis certus esse potuit se votum hoc potuisse adimplere. Nec 3. An semel emisso hoc voto, non graviter peccaret, qui hoc votum violaret divertendo ad nuptias, nisi ubi certò constiterit post usum debitum omnium mediorum, precum, jejunii, vigiliarum: & id genus alia, se non posse continere. Nec 4. annon perpetua continentia absolutè voveri licitè possit ab homine quantum in ipso est & quantum humana fragilitas permittet reipsa præstandum modo absque omni peccato præstari possit; sed hoc quæritur an votum absolutum perpetuæ continentiæ quis licitè & nuncupare & adimplere possit & debeat, cum absoluta conjugii ejuratione quocunque casu, etiamsi vel ustio ipsa sustinenda vel in scortationes, adulteria aut alias obscænas pollutiones prolabendum sit? Nos partem negativam contra Romanenses demonstrabimus,

1. Tale votum absolutum continentiæ nuncupare est illicitum, cùm sit rei quæ non est sita in nostra potestate atque adeò non sit idonea voti materia, siquidem posse absque ustione continere non est commune donum propositum & paratum cuivis votario petenti sed speciale quorundam, asserente Christo Mat 19. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Et——Qui potest capere, capiat; confirmante Apostolo 1 Cor. 7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic, ex quibus locis, sic Argumentamur, Nemo ordinariè debet absolutè vovere nisi id quod certò scit, se posse solvere, alioqui se exponit periculo votum violandi, ac proinde tale votum ordinariè est temerarium. At nemo potest ordinariè certo scire an habeat illud donum, & multò minus an sit perpetuò habiturus ut constat ex Scripturis allegatis, nemo igitur nisi temere & imprudenter moraliter loquendo, ejusmodi votum absolutum perpetuæ continentiæ nuncupari potest.

Resp. [Cornelius à Lapide in 1 Cor. 7. 9.] Continentiam esse donum Dei, sed

actu non dari nisi cooperantibus nobis; omnibus tamen conscientiam etiam virginalem expositam esse imò consultam; & auxilium sufficiens gratiæ, tum internæ, tum externæ singulis præparatum à Deo ut cum libera cooperatione Dei castus in suo statu esse quisq; posset si velit illo auxilio uti.

Respondeo, Licet castitas conjugatis sit donum, quod omnibus in statu conjugii exponatur, cùm Deus in necessariis gratiæ præsidiis conferendis, petentibus & cooperantibus non desit. At aliter se habet in castitate virginali & viduali quæ sunt dona specialia, non omnibus virginibus & viduis præparata; nec omnibus necessaria; imò nec omnibus sed iis solis quibus hoc donum continentiæ conceditur, consulta. Unde nec gratiam sufficientem quibuscunque virginibus & viduis, ad castitatem talem excolendam & conservandam, contulit; Cùm disertè Christus dicat, Non omnes capiunt sed quibus datum est: Observare enim oportet ingens discrimen inter dona communia quibusvis ad salutem necessaria, atque dona specialia; Communia & necessaria, dantur omnibus fidelibus piè & perseveranter petentibus; hujusmodi sunt dona fidei, charitatis, penitentiæ, perseverantiæ, cæteraque omnia sine quibus non est salus. Sed specialia, sine quibus salus nostra constare potest, nec dantur omnibus fidelibus, nec peti possunt, nec debent absolutè, cum certa fiducia impetrandi, sed cum conditione, si Deo visum fuerit, & si nobis expediant. Quandoquidem igitur donum perpetuæ virginalis ac vidualis continentiæ, scil. unum ex illis specialibus, quæ non sunt ad salutem necessaria; possumus hoc à Deo sub conditione petere, possumus etiam propositum perpetuæ virginitatis concipere, possumus in eodem permanere, dum id datur facere, sine conscientiæ vulnere: sed non debemus emisso voto, abjurare matrimonium. Peccant igitur absolutè voventes cælibatum.

2. Matrimonium divinitus imperatur quibusdam Monachis professis, ergo illis votum suum adimplere est illicitum.

Consequentia patet, quia hoc casu Deus vult ut votum suum non adimpleant sed ut rescindant, quandoquidem sine peccato impleri nequeat, cum contemptu scilicet ordinationis Dei, qui honestum matrimonium paravit in remedium peccati. Nota sunt illa Isidori. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti ne facias, impia est promissio quæ scelere adimpletur.

Antecedens probatur. Qui non se continent nubant (inquit Apostolus) melius est enim nubere quàm uri, & rursus, Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.

Object. Resp. Bellarminus tria, 1. In his locis non vocari ad nuptias eos qui tentantur stimulis carnis, sed incontinentèr tantum viventes.

Sol. Ref. Vocari ad nuptias eos quicunque uruntur, uruntur autem non tantum ii qui externè se polluunt fornicando, sed quorum mens intus flammis concupiscentiæ post crebras preces, vigilias, abstinentias & reliqua præscripta adminicula exæstuat, vel ut August. loquitur [lib. de Virginit. cap. 34.] Qui occulta flamma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastantur, vel ut ait Ambrosius, Qui desideriis agi & vinci iis lædi cedere & consentire se sentiunt. Quomodo uri dicitur ab igne, non qui ejus calorem sentit, sed qui ab eo læditur & aduritur: uri ergo juxta Apostolum est quiddam antecedaneum ad actum externum. Loquitur ergo Apostolus non de iis qui se jam extrinsecus polluerunt, sed de iis quibus à pollutione externa sit præsens periculum.

Object. Excipit. 2. In locis prædictis ne incontinenter viventes vocari ad nuptias absolutè sed solum ostendi iis remedium quoddam facile, & quasi portum quò sese recipiant, sic tamen ut liberum iis maneat ad majora aspirare.

Solut. Respondeo, Verba Apostoli γαμησάτωσαν, ἐχέτω, sonant præceptum non nudam permissionem, & quidem liberum est abstinere à conjugio iis qui absque peccato possunt, meminè verò iis quibus est scortandi periculum. Ut enim non est liberum omni sano abstinere ab omni cibo, quia hoc esset Deum tentare, & se perdere, contra Dei præceptum

ita iis qui uruntur, liberum non est matrimonium fugere, sed præceptum incumbit. Quisque uxorem habeat propter fornicationem, alioqui tentant Deum & peccant contra præceptum.

Object. 3. Objicit verba Apostoli sive permissionem sive præceptum sonant pertinere solùm ad homines liberos, non autem ad Votarios. Hisce enim pejus esse nubere quàm uri non erubuit affirmare Jesuita. Quanto melius B. Cyprianus.

Solut. Contra Beatus Cyprianus cum suis Collegis, ubi agunt de Virginibus professis. Si perseverare nolunt [in professione scilicet castitatis] vel non possunt, melius est ut nubant quàm ut in ignem delictis suis cadant. Hic locus non parum urget Romanenses; Animadvertenda disjunctio Cypriani, Si aut nolunt ex desiderio scilicet pristinæ libertatis, aut non possunt præ stimulis carnis, melius est ut nubant, quam ut in ignem delictis suis cadant. Itaque ex mente Cypriani, Virginibus Deo dicatis potius permittenda imò suadenda conjunctio conjugalis quàm ut permaneat in incesta conjunctione sine nuptiis in religiosa professione, quam nullo modo permittendum censet; ubi Bellarminus palàm adversatur. Adversatur Basilius Magnus lib. de Virgin. qui sacras & Deo devotas virgines, mallet nubere, quam ut dissolutâ quadam libertate vivant; tametsi nihil impudici, nihil obscæni, nihil libidinosi eas commisisse animadvertat. Nec minus adversatur Epiphanius Hæres.61. Melius est unum peccatum habere quàm plura, melius lapsum à cursu (i.e. à professione) palam sibi uxorem sumere secundum legem,—— & non quotidiè occultis jaculis vulnerari at improbitate quæ à Diabolo ipsi infertur.

Atque hic non parùm sese prodit immanis Tyrannis Pontificis & Prælatorum Romanensium qui etiamsi ipso usu edocti, animadvertant multos professos in Monasteriis ipsius continentiæ impossibilitatem experiri, cujus testes satis idonei innumeræ scortationes, adulteria & id genus pejora flagitia Monasticorum: Ipsique votorum tum commutationem tum dispensationem etiam solennium sibi vendicent, tamen à Deo ipso præscriptum conjugii remedium adhiberi nolunt huic morbo longè gravissimo: sed aliis nescio quibus morbis, si tamen morbis dispensationes & commutationes suas accommodare solent, ut multis accidentalibus, quæ vovent quisque juxta regulam suam, Augustini, Basilii, Benedicti & aliorum. Id quod adhuc clarius elucescit in Clericis & Episcopis, quibus etiam continentiæ impossibilitatem suo magno malo & populi Christiani scandalo expertis, non relaxant hanc perpetuæ continentiæ legem, etsi non nisi positivo Ecclesiæ statuto niti fateantur.

Neque dici potest in votis substantialibus castitatis, paupertatis, obedientiæ, hasce commutationes & dispensationes non fieri; nam quotidiè è Monasteriis cooptantur Monachi in Episcoporum & Cardinalium ordinem qui tum desinunt esse pauperes, desinunt obedire prælatis illius ordinis, cui obtemperando voto obstricti fuissent in solo voto continentiæ sese morosos & difficiles præbent, ipsius virginitatis dignitatem prætexentes; cùm tamen vis voti non expendenda sit penes dignitatem rei promissæ sed penes obligationis vim, siquidem qui obipiam promisit decem, non minùs ea præstare obstringitur, quam si mille pollicitus fuisset.

Diximus, de voto continentiæ: Ad regularem obedientiam quod attinet, illud votum pugnat cum libertate Christiana quam Christus suo sanguine nobis acquisivit, 1 Cor.7. empti estis pretio, nolite fieri servi hominum (.i.) emancipati estis quoad conscientiam; ergo nolite rursus fieri mancipia, quod fit ab iis qui votum hoc nuncupant. Regulæ enim Monasticæ exigunt ut quilibet Monachus prælato suo in tam plenam obedientiam sese tradat, ut nihil sibi in vita proponat & instituat, quàm quod ab ipso præscriptum fuerit in edendo, bibendo, jejunando, dormiendo, vigilando, otiando, docendo ut semel dicam in omnibus totius vitæ actionibus. Exigunt item Regulæ Monachorum, ut Monachi Prælatis suis, contra præceptum Regum, Magistratuum, Parentum morem gerant. Atque ita per præcepta humana, Legem Dei naturalem & æternam de Regibus, Magistratibus, Parentibus honorandis violare & evacuare, Homunciones isti non erubescunt.

Inprimis illicitum imò execrandum est illud cæcæ obedientiæ Jesuitarum votum; illud enim divina mandata cassa & irrita prorsus reddit, iisque longè præfert sui supe-

superioris præcepta. Deus jussit cavere ne quis nos seducat: Jussit omnia probare: vetuit hominum servos fieri. Vetuit fieri sicut mulos aut equos quibus non est intellectus. At qui obfirmate statuerunt, quicquid superior mandat vel sentit defendere, quicquid præcipit pro Dei præcepto reputare: quicquid innuerit cæco quodam impetu voluntatis, sine ulla prorsus disquisitione perficere: illorum proculdubio obedientia, cautionem excludit, probationem tollit, eos hominibus in servitutem addicit, ac denique non mulos solùm ac equos, sed statuas & truncos facit. Sed regerunt, cæcam obedientiam à Loyola suo præscriptam, non à suis abnegationem proprii judicii efflagitare; sed obedientiam tantum superiori præstandam in omnibus non manifestè illicitis.

Sed Resp. Loyolam in inferioris obedientia permittere non nisi passivum judicium capacitatem, scil. Præcepti; sed præcisè damnare omne activum judicium, de jure aut æquitate præcepti; atque ita postquam suos omnes exoculavit, miserè occæcatos ultro derisum venit. Non secùs enim agit ac ille qui sedulò moneret viatorem, cui oculos effodit, ut se præeuntem sequatur quacunque eat; nisi ubi præcipitium cerneret. Nam ut hic, cui oculi effossi sunt, non potest præcipitium cernere: sic neque ille qui suo judicio penitus renunciavit, manifestè illicitum discernere. Quî enim id possibile fiat? Cum jussu Loyolæ jampridem oculos intelligentiæ propriè abjecerit, & alieni judicii oculis, se totum dirigendum permiserit. Sed fac novitium aliquem uti oculis judicii sui, atque in superioris mandato manifestum peccatum discernere; nunquid huic licebit judicio suo niti & superioris injustum imperium recusare? Nihil minus, nam illam obedientiam in omnibus non manifestè illicitis, ita intelligi volunt si ipse superior consultus responderit illud revera esse manifestè illicitum. Sin Papa vel Generalis dixerit, non esse manifestè illicitum, quantamvis illicitum fuerit, vi tamen voti Loyolitici obedire tenentur. Quod peccatum crassum magis quam perjurii, rebellionis aut homicidii. Si Papa Generalis tamen jusserit juratam Regi fidelitatem violare, ex illorum sententia est obediendum. Si contra suum Regem, arma ferre, non est recusandum. Si pulvere tormentario Regem, Regiam prosapiam, Reipub. & Ecclesiæ proceres universos frustulatim discerpere, à tanto scelere non est abstinendum. Quam inanis igitur & hypocrita est illa manifestè illiciti exceptio, cum hoc omnium suorum animis incidere volunt, quicquid à Pontifice aut Generali jubetur, quantumvis tetrum & horribile sit, non flagitii tamen manifesti sed operis potius meritorii naturam induere.

Superest votum paupertatis, præsertim illud Mendicantium, qui altissimam paupertatem vovent; nihilque se possessuros titulo, venditionis, donationis, permutationis aut similis commercii nomine, nec ullius rei Dominos aut proprietarios futuros. Illi tamen vestimenta, libros, supellectilem, cubicula possident, pane & obsoniis vescuntur, ad quæ bona jus aut proprietatis aut usus nullum habent, nec habere possunt, ex ipso voto & testamento S. Francisci sui fundatoris. Quæ cùm ita sint, quî non sunt ipsissimi fures. Hoc votum quàm sit illicitum, demonstrarunt olim Guilielmus de Sancto Amore, Armacanus, alii non pauci doctissimi viri. Sed manum de tabula. Ex hisce aliqua ex parte constat, vota Monasticæ perfectionis quæ dicuntur esse illicita, atque ita concludo utramque Thesim sensu supradicto explicatam, veram esse & Verbo Dei consentaneam.

Paupertatis votum insectari non patiuntur temporis angustiæ; mallem intactum relinquere quàm vobis tantum molestiarum creare. Atque ita concludo.

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ judicio in Sanctis Canonizandis non est standum.



PRæmittendum est in hâc quæstione,

I. Stare Judicio Ecclesiæ dici posse bifariam, aut ratione
- Potestatis, quam habet Ecclesia in personam quæ ei subjicitur.
- Infallibitatis, quam habet in judicando, quatenus ejus judicium quis tenetur agnoscere pro infallibili.

II. Canonizatio Sanctorum bifariam itidem sumitur, vel quâ denotat ritum
- Olim in Ecclesiâ receptum; publicam sc. Ecclesiæ testificationem de Sanctitate, virtutibus & gloria Sanctorum; & ejusdem decretum de deferendis iis justis debitisque honoribus] in quibus sunt, 1. Relatio in Catalogum Sanctorum, & jussio ut publicè ita habeantur. 2. Publica agnitio & prædicatio virtutum Sanctorum. 3. Annua die eorum memoriæ honorifica celebratio. 4. Propositio eorundem in virtutum exemplaria. 5. Reliquiarum eorum verarum quas tales esse compertum est, tuta conservatio & honorifica tractatio.
- Novum & hodiernum qui jam in Ecclesia Romana viget] ubi veteri ritui accesserunt publica Sanctorum illimitato & spirituali adoratio; in omnibus necessitatibus religioso & spirituali affectu in publicis Ecclesiæ precibus solennis & formalis invocatio; quibus adde Thurificationem, votorum nuncupationem, festorum celebrationem & id genus alia, ad Dei cultum propriè pertinentia, ad Sanctorum cultum perperam translata.

III. Per Romanam Ecclesiam intelligunt Romanenses non tam Ecclesiam Romanam, ut est particularis Ecclesia sua speciali diœcesi ab aliis distincta, aut ut est Ecclesia Metropolitica sua gaudens provincia, aut denique ut Patriarchalis respectu sui Patriarchatus; sed Romanam Ecclesiam ut sup-

ponit

ponit pro Ecclesia Catholica & universali intelligunt, & reverâ ipsum Romanum Pontificem quem virtualem Ecclesiam indigetare solent,& totius Ecclesiæ Catholicæ caput etiam Concilio oecumenico authoritate superius (si dii volunt) docent & defendunt.

Hisce sic positis, Dicimus, quandoquidem in hac quæstione supponitur. 1. Aliquam Canonizationem Sanctorum, ut piam & licitam admittendam. 2. Penes aliquam Ecclesiam potestatem esse hunc ritum præstandi.

Damus ergo 1. Ritum veterem olim in Ecclesia receptum referendi in album Sanctorum, prout suprà descripsimus, pium fuisse institutum Majorum, & ab Ecclesia, prout res tulerit hodiè usurpandum.

Damus 2. Penes Ecclesiam particularem esse apud subditos suos & penes universalem Ecclesiam, aut ejus repræsentativam Concilium Oecumenicum in universali Ecclesia potestatem Sanctos declamandi,quos indubiè novit,sanctitate vitæ & fidei puritate inclaruisse.

Damus 3. Romanæ Ecclesiæ judicio, ut particularem denotat, stare teneri ejusdem subditos ratione potestatis quam in eosdem habet, licet non simpliciter in foro conscientiæ, tamen in foro Ecclesiastico, sub pœna Ecclesiastica, quatenus censuris suis licitè coercere potest,qui eos,quos publicè ritu veteri Sanctos declamavit,aut rejiciunt aut non recipiunt.

At hisce datis non acquiescunt Romanenses, quin Romanæ Ecclesiæ, ejusque Pontificis summi judicio stare debere universalem Ecclesiam in Sanctis Canonizandis docent, utpote quem toti Ecclesiæ præesse ingerunt, ad quem unum spectare clamitant ut toti Ecclesiæ proponat quid sit credendum, quid agendum in iis quæ sunt Religionis, & cujus judicio utpote planè infallibili omnes Christiani acquiescere tenentur. Nos igitur solius Romanæ Ecclesiæ aut ejus capitis Romani Pontificis in hac Sanctorum Apotheosi minimè standum esse demonstrabimus.

Aut enim hic agitur de canonizatione { Antiqua qualem suprà descripsimus. / Nova illa quæ jam viget in Romana Ecclesia. }

Si de antiquo illo canonizandi ritu quo olim in Canonem & Catalogum Sanctorum referebantur beatissimi Martyres, dicimus in tali canonizatione non standum esse universali Ecclesiæ solius Romanæ Ecclesiæ aut Pontificis judicio.

Si enim ejus judicio standum esset necessario, tum ratione majoris ejus in judicando aut { Potestatis / Infallibilitatis. }

At ratione neutrius standum est: Ergo non omninò.

At 1. Non ratione majoris potestatis, neque enim talem potestatem ullam habet jure divino. Non Ecclesia Romana magis quam Ecclesia Græca,aut Æthiopica, aut Armeniana. Non Romanus Episcopus magis quam Alexandrinus, Antiochenus, Cyprianus. Quinetiam consistendo in solo jure divino ipse Christus Ecclesiæ cuilibet particulari potestatem & jus concessit in quamlibet personam in eadem viventem. Si peccaverit in te frater tuus (inquit Christus) dic Ecclesiæ. Aut ergo expungat se Pontifex è numero fraternitatis Christianæ aut agnoscat se Ecclesiæ judicio subjectum esse. Si igitur Ecclesiæ Romanæ subjiciatur judicio, quantum magis Oecumenicæ. Nam si authoritas quæratur, orbis major est urbe, ut olim Hieronymus Epist. 35. ad Euagr. Doceant ergo Jesuitæ quantiscunque possent ingenii viribus potestatis Papæ in Ecclesiam universalem plenitudinem, quandoquidem in eum particularis Ecclesia docente Christo, potestatem exercere habeat; nemini certè cordato Theologo unquam id persuadebunt, quanto minus jure divino hanc potestatem Sanctos per universalem Ecclesiam declamandi, suo soli Pontifici, competere persuadebitur.

2. Potestas publicè prædicandi sanctos intra suam Diœcesin olim erat penes quemlibet episcopum, ut patet ex Cypriano, & fatentur Waldensis & Bellarminus: imò

imò in veteri Ecclesia absque solenni Canonizatione, aut expectatione miraculorum, statim pro Sanctis habiti sunt Martyres omnes, ut patet de S. Polycarpo apud Euseb. l 4.c.14, & ex Cypriano, lib.3,cap.6. Jubet enim annotari dies, quibus passi sunt, ut commemorationes eorum fiant: & hinc fatetur Stapletonus, Relect. p.421. Hinc tot Martyres (ut justi & legitimi Hieronicæ) olim in diptycha relati, & in mysteriis celebrandis clara voce recitati. Hinc antiqua Martyrologia, Menologia, & id genus alia, fasti publici.

Hoc tamen (inquit Bellarminus) quod olim licuit jam non licet siquidem Alexander Tertius, & postea Innocentius Tertius videntes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, prohibuerunt ne deinceps aliquis coli inciperet absque Romani Pontificis approbatione. Hoc scilicet est de quo olim conquestum est, Romanam Ecclesiam ad se omnium Ecclesiarum jura traxisse. Hæ artes Romanæ pretextu hujus vel illius abusus corrigendi omnium Episcoporum jura imminuta, cassa, irrita reddere.

At communis sententia est (inquit Bellarminus) eo modo Canonizare, ita ut in tota Ecclesia Sancti habeantur, pertinere ad summum Pontificem. Communis sententia, sed quorum? modernorum, hesternorum, non antiquorum. Per mille annos hæc sententia non obtinuit, nec ulla hac de re aut lex sancita, aut canon conditus, aut exemplum idoneum occurrit. Nullius Authoris Thomâ antiquioris meminit Bellarminus qui hujus canonizationis ad summum Pontificem ex officio pertinentis alicubi meminerit. Hi scilicet sunt illi qui ubique crepant Antiquitatem: quorum tamen pleráque dogmata sunt nupera, novella, vera antiquitate destituta.

Videtis ratione majoris potestatis Romani Pontificis judicio in negotio canonizationis non esse standum: Sed nec 2. Ratione majoris in veris Sanctis discernendis judicandi infallibilitatis. Quomodo verisimile est Papam posse de aliorum sanctitate & gloria infallibiliter certum esse, qui de sua sanctitate & gratia, de sua fide, spe, charitate non nisi conjecturalem certitudinem ordinariè habeat aut habere potest. Cùm tamen certum sit cuilibet magis perspectam esse posse fidem propriam, quàm alienam, dicente Apostolo; Neminem scire quid sit in homine, præter spiritum hominis qui in eo est: sed & nullum ei non errandi privilegium alicubi concessum aut indubitatum est. Hujus enim quantumvis renitantur Jesuitæ ne Apex quidem in divinis literis usquam occurrit. Nec alibi hujus privilegii certa documenta peti aut possunt aut debent. Quin nec Conciliorum nec Patrum monumentis hujus privilegii ulla extant vestigia, evolvantur Tomi Conciliorum, volumina Patrum de hoc privilegio altum ubique silentium. Quin & nupera Consilia Constantiense, & Basiliense quibus interfuerunt Doctissimi viri, soli Concilio generali judicii infallibilitatem tribuunt; Papæ scilicet omnibusque aliis Episcopis seorsim consideratis eripiunt. Ipsi Pontificii qui potestatem Canonizandi Papæ tribuunt, non tamen in judicando infallibilitatem omnimodam illi tribuere ausi sunt. Si quis putet Romanum Pontificem in particularibus actionibus [canonizandi Sanctos & conferendi Indulgentias] non posse errare, putet quoque ipsum non esse hominem. Sic Cajetanus, Ipse Thomas & Sylvester, Papæ & canonizandis Sanctis in judicando infallibilitatem, non nisi inter piè credenda reponit. Ipse Canus, ubi meminit judiciorum Ecclesiæ quæ ad certam & exploratam fidem faciendam infirma sunt, meminit hujus quo sanctum aliquem Divorum catalogo ascribendum censet, lib.5.c.5. loc.com.

Idem evincitur ex toto judiciario processu qui in Romana Ecclesia sanctorum Canonizationi præmitti consuevit. Fit inquisitio antecedanea per commissarios, prælatos citantur Testes de demortui vitæ excellentia & sanctimonia, de fidei puritate Quæ si comprobentur per Papam, pergitur: Miracula narrantur à Canonizando patrata; Testes idonei adducuntur; Papa totius negotii Judex & Cognitor; illo decernente declamatur sanctus, in album refertur. Nihil hic quod huic canonizationi certam & infallibilem facit fidem. Testes excellentiæ & Sanctimoniæ vitæ, & fallere possint & falli, utpote quibus non nisi judicia externa sanctitatis innotescunt, quibus tamen subesse falsum posse, nemo dubitat, aut jure dubitare potest.

Idem

Idem esto de miraculis judicium. Testari quis possit sensata cognitione de re gesta vel facto; At quis infallibiliter dijudicare potest inter vera miracula quæ digito Dei immediatè fiunt, superantque totam vim naturæ creatæ; & illa quæ solis naturæ viribus effici possunt & solent: cùm nemo infallibiliter novit solo lumine naturali, quousque causæ naturales operantur & operari possunt; nemo infallibiliter cognoscit quousque vis diabolicarum illusionum pertingat, præsertim dicente Apostolo, Satanam se in Angelum lucis transformare posse: nemo itidem infallibiliter novit quousque ἐνέργεια πλάνης sese exercere possit, qua Antichristum operaturum prædicitur, ejusque ministros, qui seducent (si possibile esset) ipsos electos. Mitto donum miraculorum utpote Ecclesiæ minus necessarium aut etiam utile jamdudum cessasse docentibus Chrysostomo & Augustino, cum ratio necessitatis aut etiam utilitatis, cum satis superque confirmata sit Evangelica doctrina, saltem apud Christianos planè cessaverit; ubi hæc media sunt fallibilia, quomodo judicium infallibile, inde formari potest?

Cùm ergo Papa totius hujus negotii supremus Judex & cognitor, non nisi hisce mediis utitur aut uti possit, quomodo judicium illius quod non nititur nisi fallibili hominum testimonio, non potest aliquando non esse falsum. Id quod Cajetanus ipse disertè fatetur de hisce miraculis, non posse esse omninò certa, cum scriptum sit, Omnis homo mendax in opusc. Tom 111. p. 70.

Nec sufficit illud Bannesii [Verbatim ferè ex Thom. Quolib ix. q. 16. 22. q 1. Art. x. dub. 7, ad 2.] Miraculorum discretionem, an sint à Deo vel dæmone ad Ecclesiam pertinere, quæ instinctu S. Sancti regitur. Nam negamus Ecclesiam Romanam aut ejus caput Romanum Pontificem tali infallibili instinctu Sp. Sancti dirigi. Cùm compertissimum sit, Romanum Pontificem sæpius in fide & etiam in Sanctorum canonizatione de facto errasse.

Porrò Romanæ Ecclesiæ judicio minimè standum esse in hodiernis Canonizationibus inde apertissimè demonstratur quod illæ planè & illicitæ sunt improbandæ, utpote quibus, indebiti honores Sanctis decernuntur; illos enim in publicis precibus formaliter invocant, ipsa arcana cordis & conscientiæ penetralia iis ut inspectoribus, expandi agnoscunt, illos adorant cultu illimitato & spirituali, omni loco & tempore, nec corpus solum sed & ipsum spiritum iis subjiciunt, adde religiosam adorationem reliquiarum Sanctorum, quam genu-flexione & prostratione testatam reddunt, denique iis erigunt altaria, templa, imagines religiosè adorandas, iis festa instituunt, vota nuncupant, incensum adolent, sacrificia tam Eucharistiæ quam laudum & precum cum horis offerre solent, & quicquid ferè ipsi Deo cultus tribuitur, id ipsis Sanctis confertur, decernitur.

Ex qua Romanensium praxi cum fallibilitate prædicta collata ultimò inferimus Romanæ Ecclesiæ judicio in negotio prædicto stare, toti Ecclesiæ nimis periculosum esse præsertim juxta Romanensium hypotheses, nam dato non concesso, quod Canonizatus à Pontifice publicis Ecclesiæ precibus invocare & adorare licitè posset; videte quantum inde creabitur periculum populo Christiano, ut publicè invocent & colant pro Sanctis eos, qui forsan, cum Dæmonibus torquentur in gehenna; tametsi enim ut quis pro Sancto publicè prædicetur, moralis certitudo in fide humana fundata quæ prorsus infallibilis non est, sufficere potest, attamen ut quis publicè adoretur & in Ecclesiæ Liturgia publicè invocetur non sufficit sola moralis sed infallibilis planè certitudo requiritur, quia in publici cultus objecto totam Ecclesiam errare intolerabile esset & tale quod aures Christianæ meritò exhorrescunt; Aut ergo ostendant Romanam Ecclesiam aut ejus Pontificem infallibiliter semper in declamandis Sanctis judicare, aut non decernant Sanctis tales honores, qui non sine summo eorum dedecore, Sanctorum larvis, imò hominibus sceleratis conferri aliquando periculum est: meminerintque illius, quod solet tribui Augustino, Multa corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in Gehenna. Ex hisce aliquatenùs constare potest, Romanæ Ecclesiæ judicio in Sanctis Canonizandis non standum esse.

Summa potestas temporalis non spectat ad Pontificem Romanum.

AGitur de potestate temporali, sive illa quæ propiè loquendo temporalis dicitur, sive potestate quacunque quæ circa temporalia versatur, quæ potestas in temporalibus dici solet. Agitur de potestate hac summa & suprema, qualis est Regum, & Imperatorum, qui solo Deo minores sunt, sive de alia quæ hac Regum & Imp. eminentior excogitari possit.

Dicimus summam hanc potestatem, sive temporalem, sive in temporalibus non spectare ad Pontificem Romanum (.i.) non omnino, nec actu, nec habitu, nec directè, nec indirectè, nec quòvis alio modo. Romanenses olim, sic, subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. Sic Bonifacius Octavus, & post eum Canonistæ. Papa est Deus Imperatoris, & Papa est universalis Monarcha totius mundi, Papa habet potestatem instituere, & destituere, & id genus alia. Recentiores sic, Pontificem Romanum habere aliquam potestatem temporalem in ordine ad finem spiritualem; scil. ad illum conservandum, defendendum, vel etiam propagandum, & propter hunc finem consequendum posse illum, novos principes facere & alios tollere. Sic Stapletonus. Vel Papam ut Papam non habere ullam merè temporalem potestatem, tamen in ordine ad bonum spirituale, habere summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum; nec posse ordinariè temporales principes deponere tanquam ordinarium eorum Judicem, tamen posse regna uni auferre, atque alteri conferre, ut summum Principem spiritualem in ordine ad salutem animarum; sic Bellarminus.

Nos contrà dicimus, Pontificem Romanum neque ut Papam, neque ut Principem spiritualem, neque directè, neque indirectè, neque in ordine ad temporalia, neque in ordine ad spiritualia habere ullam super Reges potestatem temporalem, sive ullam per ablationem rerum temporalium, coactivam.

Id breviter triplici ratione jam demonstrandum suscipio,

1. Erit à persona hanc potestatem temporalem sibi vendicante.
2. A persona regum contra quam usurpatur, in quam demonstrabimus talem potestatem non posse exerceri.
3. A fine ipso spirituali, qui huic usurpationi obtenditur.

Et

Et quidem 1. Hoc demonstrabimus à persona hanc potestatem temporalem aut in temporalibus vendicante, illam nullo modo posse ei competere. Et hîc quidem primo certum est, annuente Bellarmino, Pontifici Romano, non tribuendam esse illam potestatem, quam habuit Christus ut Deus, vel ut homo immortalis & gloriosus, sed eam duntaxat, quam habuit ut homo mortalis in statu humilitatis. At certum est Christum cùm hîc in terris ageret neque exercuisse temporalem potestatem, neque potestatem ullam in temporalibus, nec in ordine ad bonum spirituale summam ullam potestatem disponendi de temporalibus rebus regum aut Imperatorum aut regnum uni auferendi, & alteri conferendi, ad summum principem spiritualem in ordine ad salutem animarum. Certum est, inquam, Christum ejúsmodi potestatem nec exercuisse de facto, nec venisse in mundum ut exerceret.

Siqu dem 1. Regnum quod Christus hîc in terris administravit non fuit temporale Unde Pilato respondet, *Regnum meum non est de hoc mundo*; (.i.) Mundanum & terrenum humanis legibus & humanis præsidiis munitum, & rationem subjungit, tum *Ministri mei pro me certarent*] i.e. Ipse haberem, more cæterorum regum, armatum satellitium, haberem laterones & stipatores, qui pro me armis decertarent, ne in manus traderer Judæorum. Atque hinc est quod regnum Christi semper appellatur regnum Cœlorum & æternum, nunquam mundanum vel temporale; & præmia quæ subditis proponit, non alia sunt quàm cœlestia & æterna, non caduca, non terrena & pœnæ quas refractariis & contumacibus interminatur nec corporeæ sunt aut temporales, sed spirituales solùm & æternæ.

2. Porro idem patet exemplo Christi, qui regiam dignitatem & potestatem studiosè fugit & adversatus est. Nam Joh. 6 20. ubi cognovisset populum venientem, ut ipsum correptum facerent regem, secessit in montem solus: sed quare secessit? Respondet Chrysostomus, ut doceret nos τῶν κοσμικῶν καταφρονεῖν ἀξιωμάτων, mundanas dignitates contemnere.

3. Denique Christus verbo & exemplo hoc idem docuit, cùm recusaret partitionem hæreditatum, Luc. 12.13. Quis me constituit judicem aut divisorem super vos? quasi diceret nec humana, nec divine ordinatione obtineo judiciariam potestatem super privatos, quanto minus super reges. Rectè in locum Ambrosius, Bene terrena declinat, qui propter divina (.i.) Spiritualia docenda & ministranda descenderat. Et Bernardus ad Eugenium 1. cap. 5. Quænam tibi videtur major dignitas & potestas, dimittendi peccata an prœdia dividendi? Habeant hæc infima & terrena, judices suos, reges & principes terræ. Quid fines alienos invaditis.

II Christus non solùm potestatem temporalem non exercuit, & oblatam recusavit sed ejusmndi dominium & principatum, Apostolis & Discipulis & eorum successoribus severè interdixit Luc. 22. ubi Apostoli somniantes de regno Christi terreno, cœperunt de primatu contendere, Christus hoc intellecto sic eos affatus est. Reges Gentium dominantur iis, & qui potestatem habent in eas benefici vocantur. Vos autem non sic.] En Dominum apertè interdicentem suis mundanam dominationem & terrenum principatum. Audite Bernardum ad Eugenium, lib. 2 cap. 6. Planum est. Apostolis interdicitur dominatus. I ergo, tu & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum; plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdas utrumque; & mox, Forma Apostolica hæc est dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Quæ & commendatur ipsius exemplo Legislatoris, qui secutus adjungit, Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.

Ex hisce infero, Si Christus cùm in terris ageret, nec acceperit nec exercuerit, imò exercere interdixerit suis Apostolis temporalem aut coactivam super regem aut alios quoscunque potestatem, manifestum est hunc prætensum Christi in terris vicarium nec posse, nec debere, illam quovis prætextu aut titulo vendicare. Verè Sedulius olim cecinit. Non eripit mortalia, Qui regna dat Cœlestia, Quâ igitur fronte putatitius iste vicarius eam vendicat potestatem, quâm verus Dominus non exercuit, imò repudiavit & suis interdixit? Quo ore Leo iste Cumanus exercere audet imperium in Reges temporale, quod Leo de Tribu Judæ, dum in terris vixit, non accepit sed accipere recusavit?

II In loco si personam Regum atque Imperatorum contra quam usurpatur hæc potestas

testas, inspiciamus, certum est ejusmodi esse, in quam potestas hæc pontificia nullo modo exerceri potest. Siquidem ipsum nomen Regis ac suprema Majestas hoc subjectionis jugum repellit, ac temporale imperium in cæteros, etiam Sacerdotes, etiam Principem Sacerdotum (si quis sit) jure suo potest sibi vendicare. Paulus appellavit ad Cæsaris tribunal, ut in tertis sub Deo supremum, Tertul. de Ethnicis Impp. ait, in solius Dei potestate eos esse à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes Deos. Apolog c.30. Et Christianos ait coluisse eos, ut à Deo secundos, & solo Deo minores. De Christianis Impp. itidem optatus; Super Imperatorem non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, Chrysostomus de Theodosio ait, non habuisse ὁμότιμον in terris, eumque fuisse κορυφὴν καὶ κεφαλὴν, summitatem atque caput, omnium in terris hominum. Homil.2. ad pop.Antioch. Hanc potestatem exercuerunt Reges in Sacerdotes & Levitas in V. Testamento: Christiani Impp. & Reges, sub N. T. Constantinus Leges contra Hæreticos & Christianæ pacis perturbatores, etiam Episcopos & Sacerdotes promulgavit, Episcopos relegat, in exilium mittit. Paulum à sede Constantinopolitana deturbavit, in ejus locum coaptavit Eusebium. Nihil certius quàm Impp. Christianos per totum imperium, supremam exercuisse potestatem in personas Ecclesiasticas, imò in Pontifices Romanos. Imò Innocentius Tertius ante annos 400 Pontifex, qui ne tantillum quidem detractum voluit de legitima sua potestate, seu directa, seu indirecta, claris atque perspicuis verbis affirmat, Regem in temporalibus superiorem non agnoscere. Cùm itaque absurdum sit superiorem in eo ipso, in quo supremas partes tenet inferiori potestati esse subjectum; regiæ personæ Majestas non feret, ut in temporalibus, Pontificis R. judicio ad quamcunque pœnam subjiciatur.

Jam III. In loco demonstrandum à fine ipso spirituali, qui huic usurpationi obtenditur, hanc temporalem potestatem nullo modo necessariam esse. Bellarminus lib.5. cap.7. confidenter docet, adeò necessariam esse hanc potestatem Pontif. Romani, ut affirmare non dubitet spirituale Ecclesiæ bonum non posse consistere, nisi Papa saltem indirectè Reges ac Impp. posse deponere. Sed res ipsa indicat id esse falsissimum, nam per multas annorum centurias, sub pessimis ac crudelissimis Imperatoribus, stetit Ecclesia, viguit cura boni spiritualis: cum interitum Romanorum Episcoporum nemini sive vigilanti sive dormienti, de hoc necessario indirectæ potestatis medio quicquam in mentem venit. Numquid ergo verisimile est nuperos Pontifices è Schola Hildebrandi ortos, intellexisse melius quid sit necessarium in ordine ad bonum spirituale quàm illos antiquos in Schola Christi enutritos, qui gravissimis vexati persecutionibus ad hoc medium indirectum nunquam confugerint; sed directis & à Deo ordinatis, precibus scil. Christianorum, prædicationibus Sacerdotum atque passionibus martyrum, rem fidemque Christianam defenderunt, ornarunt, auxerunt. Si per tot secula temporalis hæc Papæ non erat necessaria in ordine ad salutem animarum, quæ amentia est vociferari non jam satis prospectum esse à Deo incolumitati Ecclesiæ, nisi hanc indirectam potestatem Pontifici Romano demandavit. Sed manum de tabula. Ex hisce aliquatenus constare possit. Summam potestatem temporalem non spectat ad Pontificem Romanum.

Verbum

Verbum Dei scriptum est canon fidei, morumq; perfectus.

UT statum quæstionis perspectum habeamus, primo supponendum ex Analyticis in omni conclusione demonstrabili, hoc de subjecto præcognoscendum esse, quòd sit. In hâc ergo quæstione cùm lis agatur inter nos & Romanenses de verbo Dei scripto supponendum est

{1. Dari aliquod Verbum Dei scriptum.
{2. Illud contineri in libris V. & Novi

Testamenti, quos illi, & nos quotidiè tractamus, & manibus versamus, & qui utrinque agnoscuntur esse Canonici. Quibus in confesso utrinque positis dicimus hoc Verbum scriptum esse Canonem fidei morumque perfectum. Hisce sic præmissis, contendimus nos, omnia dogmata fidei quæ necessariò credenda sunt ab omnibus, quà Christiani; vel à Ministris quæ credenda sunt ratione muneris sui; vel à quibuscunque, modo fuerint creditu necessaria; omnia item dogmata, quæ ad mores quorumcunque formandos necessaria sunt, contineri vel expresse, & quoad τὸ ῥητὸν vel saltem necessariam consequentiam. & quoad διάνοιαν in illis libris, qui à nostrâ Ecclesiâ in Canonem recipiuntur, & ab ipsis Romanensibus pro Canonicis agnoscuntur. Vel brevius sic: Positis hisce, tanquam præcognitis, & datis, 1. Quòd sit aliquod Verbum Dei scriptum. 2. Quòd illud sit, quod illi, & nos quotidiè tractamus, & manibus terimus, & quod utrinque agnoscitur esse Canon fidei, & morum; quæritur, an ille sit canon fidei, & morum perfectus, an solummodo canon partialis?

Ex hisce in hunc modum explicatis facilè perspicitur, frustrà esse ea omnia, quæ tanto cum apparatu ab adversariis, præsertim à Bellarmino, ad traditionum nonscriptarum necessitatem asserendam. Sic enim ratiocinantur; ex Scripturis non haberi, 1. Esse aliquos libros verè divinos. 2. Evangelium, vb gr. Matthæi, esse unum horum librorum: 3. Hoc esse ipsissimum Matthæi Evangelium, quod nos in manibus terimus, & quotidiè versamus: At hæc omnia (inquit) sunt necessariò credenda.

Respondeo, Hæc omnia in lite, quæ inter nos, & illos agitatur, supponenda esse, ut principia; non demonstranda ut conclusiones; cùm ad ipsam subjecti constitutionem requirantur. Ex Analyticis enim notum est, in omni conclusione demonstrabili præcognoscendum esse, quod sit. Quòd si cum Paganis, scripturas nullas sacras agnoscentibus, aut cum hæreticis, hunc librum Matthæi rejicientibus, ageretur; longè alio modo cum illis agendum esset. Nam cùm iis agendum est docebimus unde &quomodo in horum principiorum cognitionem deducimur primò; & quomodo horum principiorum fides primò in nobis ingeneretur. Hæc autem ad alteram quæstionem pertinent, Unde scilicet sacra Scriptura divinam & Canonicam habeat authoritatem quoad nos.

Hisce prælibatis: Sacram Scripturam, quæ libris indubitatè Canonicis continetur esse regulam fidei, & morum non diffitentur adversarii; esse verò unicam, sufficientem, aut perfectam regulam, Hoc illud est, quod modis omnibus adversarii labefactare conantur. Hinc est, quod alias regulas fidei, & morum, pariter infallibiles, pari pietate, & necessitate recipiendas, Ecclesiæ Christi obtrudunt: 1. Traditiones non scriptas. 2. Conciliorum generalium decreta. 3. Consensum Patrum vel unanimem vel plurium, reliquis non contradicentibus. 4. Judicium Romani Pontificis è Cathedra definientis. Hæc sunt illa additamenta, quæ ad imperfectionem in Sacris Literis in materiâ de fide, & moribus supplendam, miri artifices Romanenses excogitârunt. Quibus etiam quinto in loco, quod ad mores attinet, addunt rationem naturalem, qualis jam in nobis cernitur post lapsum, quam operum bonorum moralium normam sufficientem esse communiter docent Pontificii, ut videre licet apud Bellarm. lib. 5. de Gratiâ, & lib. arbitr. cap. 2. Has regulas ut Sacræ Scripturæ contradistinctas ponunt, & defendunt. Atque ex horum omnium aggregato componi, & conflari perfectam illam, & adæquatam regulam fidei, & morum, communis est opinio Doctorum Romanæ Ecclesiæ.

Nos verò è contrâ, juxta indubitatam doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ Artic. vi. contendimus, Sacram Scripturam continere omnia, quæ ad salutem sunt necessaria; ita ut quicquid in eâ non legitur, neque inde probari potest, non sit à quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur. Hæc Articulus dictus ibidem. Quod quid aliud est, quàm quod in Thesi nostrâ, licet brevius proponitur: Verbum Dei scriptum est Canon fidei, & morum perfectus. Quæ assertio nostræ Ecclesiæ jam nobis munienda est ex testimonio ejusdem Verbi Dei scripti, & ex rationibus in eodem fundatis.

1. Ex Scripturis. Act. 26. Paulus totum Concilium Dei Ephesinæ Ecclesiæ de salute hominum exposuit, & tamen alibi, Act. 26. 22. Testificatur se nihil dicere extra ea, quæ Prophetæ & Moses futura esse prædixerunt. Testatur etiam Abraham, cum à divite apud inferos rogaretur, ut mittat Lazarum in domum Patris sui, & testetur fratribus suis, ne ipsi veniant in locum, ubi ille esset, tormenti: respondet Abraham. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.*] Ubi per Mosen & Prophetas intelligenda sunt scripta Mosis, & Prophetarum; & hæc scripta pronunciat sufficienter testari, & docere de rebus ad salutem spectantibus, & custodire, & conservare, ne veniat quis in locum tormenti. Apostolus 1 Cor. 4. 6. Non vult aliquem sapere ὑπὲρ ὃ γέγραπται, supra quod scriptum est. Idem Apostolus posuit in laudibus Timothei, quod ab infantiâ Sacris Literis imbueretur, quæ (inquit) possunt te σοφίσαι εἰς σωτηρίαν (.i.) sapientem reddere ad salutem, 2 Tim. 3. 15. Certè, si doctrina Sacris Literis comprehensa possit sapientiam reddere etiam Timotheum verbi ministrum ad salutem, tum sufficienter continet quæcunque sunt ad fidem, & mores necessaria cuiquam hominum generi: Siquidem Minister verbi, si quis alius, plura tenetur, & explicatiùs tum cognoscere, tum credere, quam simplices Christiani. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & ab ore ejus petent Legem.

2. Hoc idem confirmatur rationibus in Scriptura fundatis: Et quidem, 1. sic. Vel dicendum est, Verbum Dei scriptum per Prophetas & Apostolos, esse Canonem fidei, & morum perfectum; vel dicendum est, Aut Deum non plenè, & perfectè iis ad fidem, & mores Ecclesiæ omnia cognitu necessaria revelâsse; aut si Deus iis omnia necessaria revelaverit, illos populo Dei omnia non prædicâsse; aut si omnia prædicârint, tamen non omnia, quæ prædicârunt, scriptis consignâsse. At nullum horum trium est asserendum.

1. Dici nullo modo potest, aut debet; Deum non plene & perfectè revelâsse iis omnia ad fidem, & mores necessaria; Nam Christus dicit, Omnia, quæ audivi à Patre, nota feci vobis. At qui in sinu Patris est, omnia audivit patefacienda. Christus etiam promittit Spiritum veritatis, qui deduceret Apostolos in omnem veritatem Joan. 16. 13.

Quod si Deus non plenariè revelavit omnia necessaria ad salutem, Deus deficeret

Ecclesiæ in necessariis ad salutem; imò hoc dato, nulla in terris Ecclesia vera & Orthodoxa existeret: quorum neutrum asserendum est.

2. Dici nec potest, nec debet; Deum omnia necessaria ad fidem, & mores revelâsse Prophetis, & Apostolis, ipsos tamen populo Dei sibi commendato, & concredito, ea non prædicâsse, & promulgâsse. Testatur Paulus se Ephesiis annuntiâsse omne concilium Dei; ergo omnia ad fidem, & mores necessaria. Rursus Ecclesia Catholica ædificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Eph. 1.20, 21. Et Apostoli dicuntur fundamenta cœlestis Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, Apoc.21.14. & Gal.4.20. ergò omnia, quæ toti Ecclesiæ ad mundi consummationem usque necessaria erunt, prædicârunt Apostoli.

Quod si Prophetæ & Apostoli non annuntiâssent populo Dei omnem illam necessariam veritatem, quam Deus ipsis inspirâsset & revelâsset, jure, fidelitatis minimè præstitæ rei meritò peragerentur; imò, hoc dato, nulla in terris superstes esset Ecclesia, si nullus cætus esset, qui omnem veritatem ad salutem necessariam profiteretur. Siquidem fides divina ex detractione vel minimâ tota perit.

3. Nec dici potest nec debet; Prophetas & Apostolos omnia cognitu ad salutem necessaria ore, & voce prædicâsse, & promulgâsse; & tamen in libris, quos in Ecclesiæ omnium temporum instructionem conscripturi erant, acti à S. Sp & ex mandato Dei, ut disertè Irenæus, aliquid omnibus ad salutem cognitu necessarium omisisse. Quod si aliquid penitùs omitterent, aut retinerent, parùm fideles fuissent amanuenses; quin meritò Legis fidelitatis violatæ postulandi essent, si totum Dei consilium de hominum salute illis revelatum, non tam scripto consignâssent, quàm ore prædicâssent; quod de viris tantâ sanctitate conspicuis nullatenùs existimandum.

Quin potiùs rationibus, aliis in Scripturis fundatis perspicuè satìs evincitur, Verbum Dei ab iis scriptum, esse Canonem fidei, & morum perfectum.

Nam 1 Hoc postremum confirmatur ex phrasi, & formulâ loquendi à Sanctis Dei viris, & Scripturis ipsis usurpatâ, quæ pro eodem promiscuè sumunt Prophetas, & scripta Prophetarum, & sermonem Propheticum, & Scripturam Propheticam; quo ipso significant, sermonem propheticum Verbo annuntiatum, & Sermonem scripto consignatum, unum, & eundem esse. Habent Mosen & Prophetas (inquit Abraham) *i.e.* Scripta Mosis & Prophetarum, Luc.16.29 & cap.24.47. exorsus à Mose & Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso loquuntur. Credis Rex Agrippa Prophetis? (*i.*) Scriptis Prophetarum, Act.26.27.

Probatur, 2. Ex fine Scripturæ, quæ data est Ecclesiæ post lapsum, ut dirigantur homines in viâ, quæ ad beatitudinem perducit. Sic Apostolus ad Rom.15.4. Quæcunque scripta sunt, scripta sunt ad nostram eruditionem, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus Cùm ergò finis Scripturæ sit, ut nos erudiamur ad patientiam, & veram consolationem, ut ita spem habeamus (utique spem firmam, spem non confundentem, spem vitæ æternæ;) Cùm ergò spes ejusmodi, certos non facit de beatitudine, proculdubiò perducit nos ad beatitudinem; spei enim divinæ subesse falsum, esse non potest:) ergò sufficiunt Scripturæ ad hujus finis, æternæ scilicet beatitudinis, consecutionem absque omni traditionum humanarum assumento. Idem de fide dici potest. Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis, Joan.20.51. & cap.5.39 Scrutamini Scripturas; nam existimatis vitam æternam in ipsis habere. Scripturæ sufficiunt ad fidem: ergò ad vitam æternam. Justus siquidem fide vivit; & quicunque credit in Filium vitam habebit æternam.

Probatur, 3. Ex ipsâ materiâ dogmatum; idque diversimodè. Continet doctrinam Legis & Evangelii integrè. Item doctrinam fidei, spei & Charitatis perfectè. Doceant nos Romanenses, quid desit in Sacris Literis, quoad doctrinam fidei, aut spei, aut charitatis. Tradit plenam Dei, & Christi in quo vita æterna posita est, cognitionem, Joan.17.

Probatur, 4. Ex fine cur Deus voluit, ut revelata ad fidem, & mores necessaria scripto consignarentur; ideo enim Sp. Sanctus impulit suos amanuenses, ut divinitùs revelata scriberent, ut sic periculo oblivionis, atque corruptionis eriperentur; &

quæ

quæ erant necessaria, illa vel maximè à periculo eripi debuerunt. Hanc rationem inde corroboro, quòd, quoties hactenus hæreses obortæ sunt, semper de aliquo Scripturæ loco, aut locis, agitatæ sunt controversiæ, neque ulla hæresis hactenus extitit quæ sacræ Scripturæ niti non sit conata ; & si quando in antiquiore Ecclesiâ traditionibus contra hæreses usa est Ecclesia, non id fecit ex defectu scripturarum, quasi traditiones aliquod dogma suppeditarent, quod in Scripturis non haberetur, sed ad corroborationem Scripturarum, ut summam concordiam ostenderet; inter veras traditiones, & Scripturas: Eadem enim doctrina, quæ per manus in Ecclesiis ab ipso fonte Christo & Apostolis per successiones tradebatur in Scripturis etiam expressa cernebatur.

Ultimò sic Argumentamur ; Fides, & praxis hominis Christiani, solâ sacrâ Scripturâ indubitatò & securè niti potest ; ergò sacra Scriptura est unica & perfecta regula fidei & morum.

Consequentia patet ; quia fundamentum fidei debet esse indubitata veritas, cùm fidei non possit subesse falsum ; & πρᾶξις, quæ non solido fundamento nititur, firmam consolationem non affert, sed animum vacillantem relinquit. Quicquid enim non sit ex fide (*.i.*) ex conscientia certò persuasâ, Deo gratum esse id, quod præstatur peccatum est, dicente Apostolo.

Antecedens probatur,

1. Quia Verbum Prophetarum & Apostolorum confirmatum erat illustribus testimoniis divinis, videlicet, miraculis, vaticiniis, eventibus, quibus Deus sancivit, & comprobavit vocationem, & Doctrinam Prophetarum, & Apostolorum tanquam voce suâ de cœlo clamans, hos esse veros suos ad genus humanum legatos, & amanuenses à secretis, nihil, nisi ex ipsius ore, & instinctu, scripto consignantes. Hæc dici non possunt de traditionibus Ecclesiæ, nec de definitionibus Paparum, aut conciliorum, nec de consensu Patrum, nec de naturali ratione depravata.

2. Idem Verbum Dei scriptum, sive lectum, sive propositum Ecclesiæ per Ministros ritè vocatos, est illud unicum medium, quo Sp. Sanctus utitur ad fidem in cordibus hominum ingenerandam. Fides enim est per auditum, auditus per Verbum Dei: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti: Est enim in hoc verbo non solùm omnimoda veritas, & infallibilitas, sed & divinitas ; quarum neutra per se inest traditionibus, quæ dicuntur Apostolicæ, nec definitionibus Conciliorum, aut Paparum nec consensui Patrum Orthodoxorum. Sic Augustinus de bono viduit. c. 1. sancta Scriptura nostræ fidei regulam figit, ne audeamus sapere, plusquam oportet & lib. 19. c. 18. de Civit. Dei. Civitas Dei credit Scripturis Sanctis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, quâ justus vivit.

Nam 1. Quod ad traditiones attinet, quas Apostolicas appellant: Dico, Neminem esse posse infallibiter certum, ejusmodi traditiones ab ipsis Apostolis Ecclesiæ commendatas esse. Nam hoc nos, qui jam in Ecclesiâ sumus, non cognoscimus nisi ex scriptis, & testimonio Patrum, atque adeò testimonio merè humano. At fides divina non nititur testimonio humano, Nec conscientia in ejusmodi testimonio securè conquiescit. Quandoquidem Patres non solùm sunt obnoxii erroribus, tum divisim, tum conjunctim ; sed de facto sæpe errârunt, ubi dogmatizant, sine Scripturâ.

Simile esto judicium de Conciliorum decretis, de Pontificum definitionibus, quæ non fundantur apertè in sacris Literis. Nemo enim unquam certus esse potest certitudine infallibili, hæc decreta, vel has definitiones esse infallibilis veritatis ; nisi ubi, & quatenus dogmata sua è sacris Literis, quæ sine omni dubio divinitùs sunt inspiratæ, hauserint, & ab hisce Israelis fontibus primitùs derivârint.

Quod autem ad naturalem rationem attinèt, Licèt homo post lapsum aliquod verè bonum morale cognoscat, quod sit bonum ex objecto, genere, & officio, & quoad substantiam idque ratione principiorum practicorum, quæ in naturâ lapsâ adhuc supersunt ; tamen per peccatum Adami adeò obtenebrata est mens nostra, & ignorantiæ vulnere sauciata ut nemo, cùm ad praxin deveniendum sit ; hîc & nunc solis naturæ

turæ viribus verè bonum morale omnibus debitis circumstantiis vestitum cognoscere possit, ita ut hæc cognitio in nullâ deficiat debitâ conditione. Hinc dicitur, Gen. 8. Omne figmentum cordis humani tantummodo malum omni tempore. Sic Apostolus ad Rom. 8. Intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum. Et 2 Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, sed sufficientia nostra omnis est ex Deo. Hujus nostræ defensionis strenuissimus assertor est Augustinus in libris Polemicis contra Pelagianos, præsertim in libris contra Julianum.

Concludo, ex sententiâ totius antiquitatis, normam perfectam credendorum in Symbolis Apostolorum, Athanasii, & sex primorum Conciliorum Generalium contineri; (Nam alioqui perperam baptismus administraretur, si non in integram fidem baptizaremur;) & normam perfectam agendorum in Decalogo contineri: At omnes fidei articuli Symbolis comprehensi, & omnia mandata Decalogi nituntur apertis testimoniis Verbi Dei scripti; ergo Verbum Dei scriptum, est Canon fidei, & morum perfectus.



Regis in Regno suo suprema est sub Deo potestas.

CUm de Regis in suo Regno supremâ potestate agitur, si Laicos & negotia politica spectemus, facilè largiuntur Romanenses horum supremam gubernationem ad Regem intra suum Regnum pertinere; Sin de personis Ecclesiasticis, & Religionis negotio agatur, strenuè negant & pernegant horum gubernationem ullam multò minùs supremam, ad Principes spectare, aut spectare debere. Duo ergò nobis breviter demonstranda sunt juxta articulum 37. nostræ Confessionis.

Regis in suo Regno supremam esse potestatem tum in { Personas Ecclesiasticas. / Causis Ecclesiasticis. }

I. Quod ad supremam Regis in personas Ecclesiasticas potestatem attinet, sive Episcopi, sive Presbyteri fuerint, sive etiam cujuscunque tituli, aut ordinis Clerici manifestè evincitur ex edicto Apostolico. Omnis anima potestatibus eminentibus subdita esto (*.i.*) Principibus. Nam intelligit eos, qui potestatem gladii & tributa imperandi habent; Neque tunc temporis ulla alia quàm politica potestas vulgò ab hominibus agnoscebatur; Et Paulus alloquitur omnes sanctos qui Romæ erant, sive Ecclesiasticos sive Laicos, & Chrysostomus in locum disertè addit, hæc omnia præcipi omnibus, tùm Sacerdotibus, tùm Monachis. Si omnis anima (*inquit Bernardus ad Archiepiscopum Senonensem*) & vestra, quis vos ab universitate exemit: qui conatur excipere, conatur decipere?

II. Hoc constat ex praxi Ecclesiæ in V. T. Moyses, politicus Magistratus Dominus erat Aaronis. David Dominus Sadochi Sacerdotis. Solomon Abiatharem Sacerdotem summum deposuit. Josias præcipit Hilkiæ. Joas Sacerdotes & Levitas egredi mandavit, ut pecuniam colligerent ad instaurationem Templi, Jehoiadam summum Sacerdotem reprehendit. Nihil certiùs quàm Reges Israeliticos pios, pro imperio Sacerdotes convocare solere, iisque imperare ut suis fungantur officiis, increpare & punire si secus; imò & ubi opus erat, eos exauthorare & à muneribus suis prorsus abdicare. In N. T. Paulus appellavit ad Cæsaris Tribunal, ut in Terris sub Deo supremum. Tertul. ait de Ethnicis Imperatores (*i.*) in solius Dei potestate eos esse, à quo sunt secundi, post quem primi, antè omnes & super omnes Deos. Apol. c. 30 Et Christianos ait coluisse eos, ut à Deo secundos & solo Deo minores. De Christianis Imperatoribus itidem Optatus, super imperatorem non est nisi solus Deus qui fecit Imperatorem. Chrysostomus de Theodosio ait, non habuisse ὁμότιμον in terris, eumq; fuisse κορυφὴν καὶ κεφαλὴν summitatem & caput omnium in terris hominum. Hom. 2 ad pop. Antioc. p. 28. Hanc potestatem exercuerunt

Christiani Impp. & Reges. Constantinus Leges contrà Hæreticos & Christianæ pacis perturbatores, etiam Episcopos & Sacerdotes promulgavit, Episcopos relegat, & in exilium mittit. Paulum à sede Constantinopolitana dejecit, in ejus locum cooptavit Eusebium. Nihil certiùs quàm Imperatores Christianos per totum Imperium supremam exercuisse potestatem in personas Ecclesiasticas. Fatemur tamen immunitates multas paulatìm indultas fuisse Clericis, ex quo Imperatores cœperint esse Christiani, à publicis muneribus, à tributis personalibus, & Censibus, à foro civili inferiorum magistratuum, ut videre licet Codice Theodosiano, & Justinian Novell. Constitutionibus, tempore etiam Heraclis, á foro criminali inferiorum Judicum. Hasce omnes immunitates acceptas tulerunt munificentiæ & privilegiis Principum, non juri naturali, non divino, non gentium. Ac quanquam Imperatores Clericis multas exemptiones & immunitates indulserint, hasce tamen semper intelligendas volunt à potestate Magistratuum inferiorum tantùm, non à sua summa & suprema potestate. Est enim hæc suprema potestas, jus Regum planè inabdicabile. Neque possunt Reges suis privilegiis efficere, ut ipsorum subditi non sint ipsis subditi de jure divino & naturali, in ipsorum ditione manentes, nisi se quoad illos abdicent regali potestate. Idem enim est dicere Principem intra suas ditiones habere aliquem sibi non subditum, saltem in rebus temporalibus, & in re aliqua ad bonum publicum spectante, ac Principem non esse.

Ipsi Pontificii solent dicere ipsum Papam licet possit in spiritualibus quemlibet immunem facere ab Episcoporum & Archiepiscoqorum authoritate, tamen non posse quenquam â sua authoritate in rebus spiritualibus immunem facere, quin respectu ipsius personæ desinat esse summus Pontifex. Pari modo dicendum est de Rege & Principe, illum stante principatu, non posse eximere quenquam ab omnimodâ subjectione saltem in temporalibus, siquidem hoc jus est Principum inabdicabile, fundatum in jure divino naturali, cùm quo nullus Rex dispensare potest. (Roffens. cont. Bellarm. p.888.) ut omnes intra suas ditiones sibi subditos habeant, eosque regant & justitiam iis administrent. Non est enim intra ditiones alicujus Principis medium dare genus hominum inter Principem & subditos, ut mittam de jure divino naturali esse, ut appellationes fiant ad supremum Magistratum, ac proinde neminem à sua suprema potestate eximere potest, quin semper ad eum appellari potest, & non datur appellatio nisi ad Judicem Legitimum & competentem. Undè constat quam pestiferum sit illud dogma quod habetur in libello Aphorismorum Eman. Sa. Jesuitæ Romæ impresso. Clericos non posse committere crimen læsæ Majestatis in Principes Temporales, quòd illis non sunt subditi, sicut subditi (inquit) alterius Regis crimen Læsæ Majestatis in Regem alienum committere non possunt.] Quæ doctrina non solùm planè hæretica est, sed & pestis & eversio omnium Rerumpubl. Cumque ex hisce placitis Jesuitarum omnes Clericos vel soli Papæ in temporalibus subjiciantur necesse est, vel neminem habeant cui subjiciantur. Porrò cùm Pontificibus licere dicant in quovis regno pro libitu augere numerum Clericorum, certè vel inde sequitur Papam posse subducere quos & quot velut à Principum jurisdictione & subjectione, & eosdem suo regimini subjicere; id quod cedat necesse est in Rerumpubl. Christianarum summam perniciem & detrimentum. Quòd optimè demonstrat Marsilius de Padua in Defens. pacis part. 2. c. 8. Addo nec Principes posse absolutè Clericos intra suas ditiones eximere, non tantum ab omni subjectione, sed nec in omni casu à foro suo criminali quin si crimen Majestatis in Principem suum commiserint, subjiciantur necesse est in ejusmodi crimine quo perniciem politiæ civilis directè moliuntur. Quin etiam si aliquando talia privilegia & immunitates in causis ejusmodi criminalibus concesserit Princeps; talia tamen privilegia exemptionum neminem adeò excipiunt à jurisdictione Regis vel Reipubl. quin semper sit in summi Magistratus aut Principis potestate ea quandocunque opus fuerit revocare. Cùm ergò constet Clericos quoad aliqua licitè posse eximi; & quoad aliqua non licitè posse. Jam dispiciendum an non Clerici jure suo debeant eximi & vendicare exemptionem & immunitatem à potestate sæculari, & si jure, quo jure? Diximus de potestate Regum in personas Ecclesiasticas. De eorundem potestate in causis Ecclesiasticis jam dicendum, sive illæ fuerint merè Ecclesiasticæ, quales sunt illæ quæ respiciunt fidem & doctrinam,

Ecclesiam & sacramenta, & sacros ordines, sive mixtæ, quales sunt causæ matrimoniales & illa crimina perjurii, usuræ, adulterii, quæ utramque Rempubl. tum Civilem tum Ecclesiasticam lædunt, ubi præmittendum ;

1. Nos non dicere Regi inesse potestatem Ecclesiasticam sive ordinis, sive jurisdictionis in foro interiori aut exteriori ; hæc enim solis Ecclesiasticis subjectivè inest, sed potestatem in Ecclesiasticis, eo modo quo Romanenses dicunt Papam non habere potestatem temporalem, sed potestatem in temporalibus ; Sub hac potestate in Ecclesiasticis complectimur jurisdicundi potestatem, quæ exercetur in invitum in foro exteriori & contentioso, qua litigantes pœnis civilibus, judicum sententia acquiescere tenentur ; Omnis enim jurisdictio etiam in Ecclesiasticis quæ nititur coactiva potestate, Regiæ potestati accepta ferenda est.

2. Nec de facultate aut peritia in causis Ecclesiasticis dijudicandis hîc agi, sed de potestate & authoritate suprema præcipiendi & puniendi.

3. Non largimur Regibus potestatem illimitatam & infinitam, ut quamlibet Religionem possint subditis præscribere pro arbitrio ; sed potestatem à Deo delegatam, ac proinde regulis Legis divinæ circumscriptam. Nam ut in causis civilibus (quamvis sint suprema potestate armati, non possunt tamen leges jubere contra æquitatem & naturam : sic nec in causis Ecclesiasticis possunt aliqua jubere contra verbum & voluntatem Dei.

4. Ut Reges in civilibus negotiis utuntur consilio jurisconsultorum, in militaribus consilio Ducum & Centurionum : Sic in negotiis religionis tenentur uti consilio Theologorum; non tamen tenetur Princeps omnia ad eorum nutum facere. Sic enim non nisi instar Lictoris aut Ministri erit, & merè instrumentaliter se habebit : sed hæc omnia administrare debet ex judicio discretionis proprio, cui tamen formando antecedaneum sit consilium & directio Sacerdotum. Horum tamen judicio Princeps simplicitèr stare non tenetur, nisi id quod credendum aut agendum consulunt, ipsi Principi videbitur meritò credendum aut agendum esse, imò potiùs credendum aut agendum esse, quàm oppositum. Sin aliquando Rex animadvertat Prælatos quicquam in præjudicium legis divinæ (cujus oportet Reges studiosissimos & peritissimos esse) statuere, tenetur ex officio Regio, veram religionem (illis omnibus licèt reclamantibus, tueri & subditis suis proponere. Jam supremam potestatem istis cancellis circumscriptam, ad Reges in suo Regno, suo jure spectare, demonstrandum ;)

Et 1. mandatum est Regi, ut libro Legis sedulò incumberet, & ut omne verbum hujus custodiret. Deut. 17.] En Regem Legis Divinæ custodem ! Ipse Deus voluit Religionis ceremonias per Moysen Magistratum civilem, non per Aaronem Sacerdotem constitui & sanciri. Moyse sublato, Josua Princeps non Sacerdos, Israelitas circumcidendos curavit, Legem populo promulgavit, fœdus inter Deum & populum renovavit, Altare erigendum & arcam removendam mandavit. Constat etiam Davidem, Salomonem, Asam, Jehosaphatum, Ezekiam, Manassem, & Josiam & alios pios Reges, in promovenda & restauranda Religione similem operam navâsse, non ex nuda potestate facti, sed juris, nec ex pietate tantùm ut privati, sed ut personæ publicæ ex officio, nec ad nutum & imperium Sacerdotum, sed ex Regia potestate.

2. Idem constat ex lege Christi sub Evangelio : Hortatur Paulus Timotheum, ut preces fiant pro Regibus---ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate, ergò ad Reges spectat prospicere, ut subditi piè vivant ; Hanc curam ad se pertinere omnes Impp. ex quo Christianismum amplexi sunt, existimarunt. Id abundè testantur codex Theodosianus & Justinianus, Capitula Caroli Magni & Ludovici. Testantur idem Leges Ecclesiasticæ latæ Saxonicis & Danicis temporibus, Ethelberti, Ercomberti, Oswy, Inæ, Eadgari, Edwardi Confessoris, Canuti & aliorum, quarum meminerunt Historici nostri.

3. Etiam jure Gentium nititur hæc potestas. Testatur Aristot. Polit. 3. Quæ ad Deorum cultum spectant, Regibus commissa esse. Augustinus Epist. 50. hoc docet, exemplo quorundam Ethnicorum quorum meminerunt sacræ literæ Nabuchodonosori, Darii, Cyri & Regis Nineves, qui indixit publicum jejunium & preces. Sed & iste mos inter omnes Gentes vigebat, Assyrios, Medos, Persas, Græcos & Romanos, ut constat ex Platone, Cicerone, & Clemente Alexandrino]

Sed nec hoc sola praxi omnium populorum, sed & rationibus efficacissimis probatur.

1. Ex latitudine objecti Regiæ potestatis, siquidem penes principatum est potestas ordinandi & disponendi de omni bono Reipubl. Christianæ, ergò & de rebus Ecclesiasticis; nam curare ut rectè administrentur res Ecclesiasticæ, maximè spectat ad bonum Reipubl. Christianæ, imò medium efficax est, quo perducantur homines ad æternam beatitudinem. Quòd verò Regia potestas disponat de omni Reipubl. bono, per se constat, & doctissimi quique Gentium asseruerunt. Plato πολιτικὴν ait omnium disciplinarum constitutricem, & Aristot. ἀρχιτεκτονικὴν scientiam Principissem & Reginam, & sub hac complectitur curam Religionis. Et ne Religionis Christianæ causas à Regia potestate eximendas putemus, audite quid Patres in VI. Synodo Toletana decernunt. Nefas est in dubium deducere Regis potestatem, cui omnium gubernatio suprema constat delegata judicio: & loquitur de gubernatione in causis Ecclesiasticis, quid disertius? Ut ergo Principis est coercere Medicum, si non curet ad præscriptum Galeni, & Pharmacopolam si merces corruptas vendat, & sic de cæteris, ita & illius est excessus & defectus Eccesiasticorum corrigere si quando illos in Ecclesiasticarum causarum justa administratione & executione delinquere animadvertit.

2. Penes solos Reges est potestas νομοθετικὴ (.i.) leges condendi & ferendi etiam de rebus Ecclesiasticis. Hoc enim primum & præcipuum caput est Majestatis, Leges universis & singulis civibus dare. Legem alii rogare possunt, solus Princeps jubere, penes Ecclesiam est Canones condere, non Leges. Canones autem dirigunt, non cogunt: At Lex propriè dicta, est summæ solius potestatis jussum, nec dirigit tantùm, sed & cogit. Hinc Canones Codicis universalis Ecclesiæ, quo usa est Synodus Chalcedonensis, Justinianus decernit, ὡς νόμους φυλάττεσθαι pro legibus habendos. Cùm ante illa tempora Canonum vim tantùm habuerint.

3. Ante tempora Constantini Impp. Ethnici summum imperium habuerunt in Orbem Christianum. Habuit Constantinus M ante susceptum Christianismum eam potestatem in negotio Religionis gubernando, quàm Impp. Pagani reliqui habuerunt. Num res Constantini suscipiendo Christianismum, deteriori quàm antè loco constitutas existimabimus? aut jus in negotio Religionis aliqua ex parte imminutum dicemus? Hoc si demus, Lex Christi homines jure & dominio suo spoliabit, Et fines Imperii coangustabit, quod certè nullatenus admittendum. Notum est illud Sedulii, quod canit Ecclesia, Non eripit mortalia, qui Regna dat cœlestia.

4. Penes Reges solos est illa coactiva potestas suprema, quæ potest cogere nolentes, ut sanctionibus suis & decretis in causis etiam Ecclesiasticis obtemperent. Siquidem Deus solum Principem sæcularem armavit gladio. Ille solus pro ea quam habet imperandi potestate, potest nolentes cogere, ut suis sanctionibus obtemperent, sub pœna ultimi supplicii hujus vitæ, mortis, *scil.* temporalis. Ecclesia non item, illa enim solùm suadet & dirigit monendo, consulendo, minitando etiam extremum supplicium, sed in altero sæculo, nec enim longiùs progreditur excommunicatio quæ in invitum exercetur, licet sit censurarum Ecclesiæ longè gravissima. Ergò prostatu hujus sæculi inferior est pastor Principe. Superior enim est illa potestas quæ certò cogit, quàm illa quæ tantùm suadet aut minatur; utpote quæ certiùs finem suum consequitur.

5. Suprema etiam Regum in suo Regno dicta potestas, & Impp. in suo Imperio demonstratur ex potestate quam possunt & debent exercere, & quàm in florentissimis Ecclesiæ temporibus de facto exercuerunt in negotiis Synodalibus. Et quidem 1. in Synodorum indictione. Siquidem largiuntur Romanenses, prout necesse est, penes eos esse supremam in causis Ecclesiasticis potestatem, penes quos est suprema in Synodis Ecclesiasticis indicendis authoritas. At hæc potestas est Principum, non Sacerdotum. Si consulamus V. instrumentum, Moyses, non Aaron publicos Levitarum & Sacerdotum conventus fecit. Josua, non Elеazarus convocavit tam tribum Leviticam quàm reliquas ad pangendum cum Deo fœdus. Idem etiam constat exemplo Davidis, Joas, Ezekiæ. Sed fatentur multi ex doctoribus Pontificiis in V. Test. priores & potiores fuisse partes Regni, quàm Sacerdotii. Sed in N. Test. Deum alium imò con-

contrarium ordinem instituisse, Consulamus ergo florentissima Ecclesiæ tempora in N. Testam. quæ sine dubio cum Constantini temporibus cæperunt; Et quidem quoad Synodorum indictionem, Quod ad Concilia Generalia attinet, in quibus si uspiam indicendis, Romanorum Pontificum eluxisse primatum oportuit, quotquot hactenus extiterunt, sive VI. duntaxat, prout verissima habet opinio, sive VII, ut alii, sive denique VIII fuerunt, ut nonnulli tradiderunt, omnia indicta sunt authoritate & auspiciis Impp. non Pontificum.

Id quod tam clarè constat ex Conciliorum Actis & Veterum monumentis, ut cæcutiat in meridie oporteat, qui de hac re vel semel ambigat. Nusquam legimus apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, Concilia hæc indicta fuisse nutu, authoritate, jussione Sedis Apostolicæ, sed ubique meminerunt, νεύματος, θεσπίσματος, προστάγματος, κελεύσεως, γραμμάτων, γνώμης, & κράτους, (.i.) nutus, authotitatis, jussionis, literarum sacrarum, Divalium, Divalium sacrarum, Divalium jussionum Impp. Imò meminerunt sæpè dicti Historici, petitionum, deprecationum, supplicationum & obsecrationum Romanorum Pontificum, quibus petierunt ab Impp. ut Concilia convocarent, nec tamen obtinuerunt. Illud porrò addendum non solùm Impp. suis Divalibus jussionibus Synodos indixisse, sed & post fractum & solutum Imperium, ubi per provincias Romanas novi Reges exorti sunt illos eandem potestatem sibi vendicasse. Id quòd infinitis exemplis evidentissimè constat. Quod diximus de Synodorum indictione, dici pariter potest de præsidentia in dictis Synodis, de dimissione Synodorum, de confirmatione, tum fidei decretorum, tum Canonum, hæc omnia poenes Impp. & Reges extitisse.

Ecclesiæ Reformatæ non dissentiunt in fundamentis fidei.

HÆc quæstio ideò necessaria est, quod fundamentalis sit, ut quæ Ecclesiarum Reformatarum unioni maximè optandæ, & si de hujus theseos veritate semel constiterit, sperandæ etiam viam muniat & fundamentum jaciat. Per Ecclesias Reformatas intelligimus Ecclesias illas Protestantium per Britanniam, Germaniam, Galliam, Daniam, Rhætiam, Helvetiam, quæ detectis erroribus & abusibus Papatus in Fide, Cultu, & Regimine Ecclesiæ, ad eorum reformationem impensè flagitarunt Consilium liberum Oecumenicum, in quo de hisce omnibus disquiri potuit, quòd cùm impetrare non potuerunt, exemplo Regum Israelis, coactis Synodis Nationalibus, aut Provincialibus, sese reformarunt, erroribus in fide & cultu rejectis, abusibus etiam & corruptelis, id quod fidei suæ confessionibus editis, & catechesibus in Ecclesiis suis præscriptis declararunt. In harum Ecclesiarum censum nullatenus admittimus Anabaptistas, Arianos & id genus Sectariorum, quos non Ecclesias aut partes Ecclesiarum, sed pestes dicimus, quod Cicero olim de Catalina in Repub.

Dicimus porrò hasce Ecclesias Reformatas non dissentire in fundamentis fidei. Etsi enim in nonnullis capitibus Doctrinæ dissentiant, negamus tamen ullum dissensum in fidei fundamentis. Ut autem de consensu in fundamentis fidei certiùs constet, non æquum est ut illum petamus à privatorum hominum dogmatibus, qui in hisce Ecclesiis vixerant, sed ex publicis harum Ecclesiarum confessionibus, ex catechesibus, & id genus scriptis, publica authoritate in singulis Ecclesiis consignatis. Quod si Ecclesiarum Reformatarum Confessiones publicæ & Catecheses in fidei fundamentis convenire deprehendamus, indè certè pronunciare possimus illas in fundamentis fidei minimè dissentire. Signanter dicimus in fundamentis fidei.

Hìc non dicimus non dissentire in ritibus & cæremoniis, neque enim omnis talis dissensus, aut suâ naturâ scindit, aut scindere debet Ecclesiarum Reformatarum unionem præsertim cùm nulla ex Ecclesiis Reformatis retinet ritus Evangelio repugnantes, aut sub opinione cultus introductos. Undè cùm omnis diversitas rituum non sit nisi in rebus adiaphoris, dextram fraternitatis non sibi mutuo porrigere, & à charitate & mansuetudine prorsus esset alienum. Id optimè sensit antiquissimus Pater Iræneus Episcopus Lugdunensis, qui Victorem Romanum Episcopum hoc ipso prætextu unitatem Ecclesiasticam dirimere conantem, graviter reprehendit, atque apertè asseruit. Discrepantiam in Paschatis celebratione, & in quadragesimali jejunio, & id genus aliis, τῆς πίστεως ὁμόνοιαν, fidei consonantiam commendare & magis illustrare. Et Augustinus Epist. 86. non minùs scitè quàm sanctè scripsit. Vestis Ecclesiæ ita diversis observationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur. Si quis igitur in hisce rebus contentiosus esse velit contra fratres, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, ut loquitur Apostolus 1 Cor. 11. 16.

Por-

Porrò & illud adjiciendum nos non dicimus Ecclesias Reformatas non itidem dissentire in externo Ecclesiasticæ politeiæ aut disciplinæ administrandæ modo. Nam neminem latere potest, non parùm dissentire Ecclesiam Britannicam & Hybernicam à Germanis Ecclesiis & Gallicanis in modo administrandi externam politeian, tamen & illud contendimus, hac discrepantiâ admissâ, non tamen dissensum esse in fundamentis fidei, imò hujusmodi diversitatem, posse & debere tolerare in externa politeia, absque fraternæ unitatis læsione, aut diruptione, præsertim cùm Ecclesiæ omnes reformatæ retineant ea quæ absolutè necessaria sunt, puta Verbi Dei puram prædicationem, Sacramentorum debitam administrationem, pastorum publica authoritate ordinationem, morum denique censuram. Non est propter formæ externæ hisce in rebus discrimen, ubi in fundamentis fidei consensus habetur, ut mutuò inter sese Ecclesiæ Reformatæ dimicent, omnemque externam unionem Ecclesiasticam aversentur. Quamvis sanctè profiteor, consultissimum esset (ut mea fert opinio) ut reliquæ Reformatæ Ecclesiæ quemadmodum cum nostra Ecclesia ejusdem fidei unitate contesserarint, ita & præminenti & exorti Episcopi supra Presbyterum potestate asserenda, contesserare vellent, ut ita ordinationes suas ab ipsis Apostolis certius derivare possint, utque ita sese Ecclesiæ universalis contestatissimæ praxi à temporibus Apostolicis ritè conforment.

Jam Ecclesias reformatas in fidei fundamentis non dissentire proximo in loco ostendendum ubi primò disquirendum quid per fidei fundamenta intelligamus.

Fundamentum Fidei vel denotat {
- Basin cui nititur, vel in qua fundatur fides, estque illa doctrina Prophetarum & Apostolorum Scripturis canonicis comprehensa, Ephes. 2.20.
- Primarium objectum fidei (.i.) Christum Servatorem. Superstructi enim sumus doctrinæ Prophetarum & Apostolorum. Sed ita ut Christus Jesus sit lapis angularis in hoc fundamento (.i.) Christus incarnatus, natus, passus, mortuus, crucifixus, resuscitatus, ad Cœlum sublevatus, ad dexteram Dei sedens, & venturus ad judicium.

Hujus doctrinæ, Prophetarum & Apostolorum Epitome Summam Legis & Evangelii in se continens, ad 4 capita revocari commodissimè & possint, & solent.

Ad {
1. Symbolum Apostolicum.
2. Decalogum.
3. Precationem Dominicam
4. Doctrinam Sacramentorum.
} Sic Augustinus in Enchiridio.

1. Symbolum Apostolicum intelligo normam credendorum, prout explicatur in Symbolo Athanasii, & in Symbolo sex primorum Conciliorum generalium.

2. Per Decalogum intelligo normam diligendorum seu dilectionis, Epitomen Legis moralis in tabulis duabus digito Dei inscriptam & Moysi traditam in Monte Sinai. cujus commentarius justus in Prophetarum & Apostolorum scriptis continetur, quanquam si propriè loqui velimus, dictamina juris Naturalis & Moralis licet inter objecta fidei recenseantur à Scholasticis, tamen propriè loquendo sunt suppositiones vel supposita ad fidem, ut rectissimè docet Halensis.

3. Caput est Precatio Dominica, quæ est regula sperandorum & petendorum, & regula illius cultus qui inter orandum Deo debetur, & quo divina beneficia omnia necessaria & imploramus & impetramus.

4. Hisce

4. Hisce adnumeranda doctrina Sacramentorum N. Testam. quæ sunt instrumenta & organa ad gratiam divinam conferendam efficacia, sunt illa; Sacramentum Baptismi quod est Sacramentum nostræ initiationis & regenerationis, Et Sacramentum Eucharistiæ, seu spiritualis nostræ alimoniæ, seu communionis nostræ cum corpore Christi, & sanguine ejus fuso in remissionem peccatorum.

Habetis quid per fidei fundamenta intelligamus. Sed & hic illud annotandum. In hisce fidei fundamentalis Capp. non unam eandemque esse omnium rationem, sunt enim articuli fidei { Primarii / Secundarii. / Tertiani.

Primarios seu Cardinales fidei Articulos appello, qui in negotio salutis pari modo sese habent ad reliquos, ut prima principia ad conclusiones in Apodicticis. Tales sunt Articuli Symboli Apostolici, & dictamina prima practica, quæ continentur in Decalogo, qualia sunt illa, Deum esse adorandum, Deum authorem esse omnium beneficiorum, quæ oratione impetranda sunt, Deum esse invocandum, parentes & Magistratus esse honorandos;. Talia sunt, Sacramenta esse organa gratiæ efficacia, Sacramenta omnia esse institutionis divinæ, Sacramenta non esse administranda nisi juxta institutionem divinam.

Articuli secundarii sunt, qui ex dictis primariis evidenter, justa, facili & necessaria consequentia, vel ex solis revelatis, vel adhibito aliquo principio naturaliter cognito deducuntur; Talia sunt Articulorum Symboli consectaria immediata, ut cùm Christum credimus tum Deum verum, tum hominem verum; sequetur Christi animam esse distinctam à divinitate contra Apollinarem; Christum habere duas voluntates, divinam & humanam, contra Monothelitas.

Si cùm credendum sit, parentes tum naturales tum politicos honorari debere, hinc sequetur neminem licitè se posse subducere ab obedientia parentis, sive naturalis sive politici, ac proinde hæresin esse, tenere, aut voto nuncupato alicui superiori, hominem plus teneri superiori isti obedire quàm Patri naturali, aut clericatu subditum ab omni subjectione Principis eximi posse. Dicendum ergo tot esse articulos fidei secundarios quot sunt conclusiones ex primariis articulis de facili evidenter deducibiles, sive immediatè, sive mediante principio naturali, & totidem etiam esse hæretica dogmata secundaria, quot sunt assertiones dictis conclusionibus contradictoriæ.

Articuli tertiani, imò & quartani, qui necessariò etiam deducuntur ex illis primariis vel uno, vel pluribus, sed mediorum plurium interventu, & consequentia longius petita, & deductione operosiori, Hisce autem contrariæ aut contradictoriæ assertiones sunt etiam & dici debent suo modo hæreticæ.

Hi omnes articuli pertinentes ad dicta quatuor capita Summam Legis & Evangelii continentia, Hi (inquam omnes articuli) sive primarii, sive secundarii, sive tertiani continent veritates divinas, quæ ad invicem sese habeant velut ansulæ in aurea catena quæ ita ad invicem inseruntur, ut si unum ad te; trahas, reliquas etiam omnes una eademque operâ ad te trahas oportet, vel ut lineæ rectæ parallelæ, quarum unum si linea aliqua recta secueris, eâdem continuatâ & porrectâ, reliquas itidem secabis. ut Euclid. Propos.

Sic Tertianis hisce negatis necesse est & consequenter, ut secundarii & primarii negentur etiam; Ut enim quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis juris naturalis, pertinent etiam ad jus naturale, quia non possunt destrui, quin destruatur Natura: sic quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei primariis, pertinent etiam ad fidem, quia non possunt negari, quin tandem consequenter ipsi articuli primarii negentur.

Hisce ita positis dicimus inter hosce articulos non parùm discriminis interesse, quoad credendi necessitatem, siquidem omnes adulti tenentur credere explicitè saltem confusè omnes primarios articulos, necessitate tum medii tum præcepti, (.i.) de necessitate salutis & secundarios etiam & tertianos eadem necessitate, si nobis proponantur vel nobis sufficienter revelentur & innotescant, abdicato quovis hæretico dogmate quod cum dictis articulis directè pugnare dignoscitur; At secundarios, si non proponantur nobis, vel à nobis non perpendantur; & Tertianos, quamdiu clara deductio

ex

ex primariis nos lateat, non tenemur credere nisi necessitate præcepti tantum: Siquidem hoc casu ignorantia invincibilis excusat, quo minus reatus contrahatur. Sufficit enim si implicitè, in universali & in præparatione animi iis credere parati simus, quandocunque illorum deductionem evidentem ex primariis animadverterimus.

Ex dictis constare potest dissentire posse Ecclesias in fundamentis fidei vel
- Directè, Cum in primariis non sit consensus.
- Indirectè & consequenter, cùm in primariis sit consensus; sed in secundariis & tertianis non item: idque vel quia secundarii alteri parti dissentientium, aut non sufficienter proponantur; aut non ab iis perpendantur: vel quia tertianorum clara deductio ex primariis alteram partem dissidentium lateat.

Hoc est ergo quod volumus, Ecclesias reformatas non dissentire in primariis fidei Articulis, quos hic nomine fundamentorum fidei intelligimus, sed neque dissentire dicimus in secundariis & tertianis articulis quamplurimis, qui cùm omnibus Reformatis Ecclesiis sufficienter & proponantur & revelenter & intelligantur, unanimi consensu ab iisdem contra veteres hæreses Marcionitarum, Manichæorum, Arianorum, Eunomianorum, Nestorianorum, Eutychianorum & Monothelitarum, & contra novas hæreses Romanensium asseruntur.

In pauculis secundariis articulis omnibus sufficienter non propositis, aut certè ab iis non satis bene perpensis; & in tertianis nonnullis quorum clara deductio ex primariis Ecclesias nonnullas adhuc lateat, esto sit dissensus. Iste tamen non impedit ὁμονοίαν πίστεως; nec scindit aut scindere debet unitatem Ecclesiasticam dictarum Ecclesiarum. Hujus autem demonstratio non aliter haberi potest, quàm illa capita percurrendo in quibus dissensus est.

Maximus dissensus semper fuit inter Ecclesias Germanicas quæ Lutherum secutæ sunt, & Ecclesias Helveticas, & alias, quæ Zuinglium secutæ sunt. Auspiciis tamen laudatissimè Principis Philippi Hassiorum Landgravii, an. 1529 Consensus sancitus est inter Theologos primarios utriusque partis, in quibus erant Lutherus, Melancthon, Zuinglius, & Bucerus, in capp. omnibus tum controversis, etiam in illa de Eucharistia, unâ quæstione exceptâ, utrum verum corpus & sanguis Christi in pane & vino Eucharistiæ adsint corporaliter? Ita tamen ut quælibet pars alteri dilectionem Christianam præstare sponderet. Si ipsas Confessiones inspiciamus, vix reperiemus ullam sententiarum discrepantiam.

Augustana Confessio quæ proximo anno exhibita est Carolo V. (*i.*) Ann. Dom. 1530. ubi agitur de Cœna Domini sic habet, De Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini; & improbant secus docentes] Quid hîc, quod non verissimè asseratur sano sensu? Quis enim ambigit quin in Cœna Domini cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi omnibus vescentibus, ex parte scil. Dei; & quod corpus & sanguis recipiantur ab omnibus dignè communicantibus? Aut quis ambigat quin corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur in Cœna Domini fidelibus omnibus ritè communicantibus.

Sed dices Lutherum in conventu Marpurgico, anno antequam Carolo V. Augustana Confessio exhiberetur, scripsisse verum corpus & sanguinem Christi in pane & vino esse corporaliter, & Apologiam Articuli Augustanæ Confessionis addidisse, quod in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt; id quod postea de corporali præsentia interpretatur in sequentibus. Ac quanquam

Lutherus Augustanæ Confessionis Articulum de præsentia reali & corporali corporis Christi in pane, interpretatus sit, in qua sententia mortuus est; tamen Melancthon ipse Dialogo Oecolampadii in quo multæ sententiæ Patrum hac de re dexterimè explicatæ, perlecto, relicto τῇ φίλῃ διανοίᾳ amplexus est, id quòd & ex Epistolis variis & aliis indiciis certis indubitato constat. Posteà mota est quæstio de ubiquitate corporis Christi, quæ revera in subsidium consubstantiationis excogitata est. Asserta est à Brentio & Jacobo Andrea, quibus sese opposuerunt Kemnitius & Selueccerus & multi alii. Kemnitius tamen posteà subdubitare cœpit, ut patet ex libro de duabus Naturis, imò postea in libro Concordiæ, in quo componendo ipse inter cæteros non segnitèr laboravit, asserta est expresse generalis ubiquitas; Cui libro cùm sese opposuerunt Anhaltini, Bremenses, sed præ cæteris Neostadiani; Ex altera parte elaboratum est in libro Concordiæ Apologiæ, quæ composita est à tribus Theologis, Kirknero, Selueccero, Kemnitio, in qua pro Generali Ubiquitate specialis quædam ac restricta reponitur, & tamen argumenta adducuntur, ex quibus generalis ubiquitas necessario infertur, & juxta hanc restrictam ubiquitatem corpus Christi, asserunt esse in Ecclesia, in Cœna Domini, sed negant in lapidibus, lignis, gramine, cantharis cerevesiarum. Atque ita videtis illi Marpurgicæ controversiæ novam additam de ubiquitate restricta. Occasione harum agitatæ sunt aliæ, sed non aliæ quàm quæ ex duabus hisce pendent. Post colloquium Mompelgardense 1586. inter Jacobum Andræam & Theodoram Bezam de Baptismo, de statuis & idolis, an in Templis toleranda sint, de fractione panis, de Prædestinatione & annexis capp. Atque hæc sunt illa dogmata de quibus agitantur certamina inter reformatas Ecclesias: Sed quod ad hæc capita controversa attinet;

1. Certum est in ipsis confessionibus aut Catechesibus hanc sententiarum discrepantiam non occurrere.

2. Licèt in hisce capitibus in ipsis confessionibus dissensus esset, non tamen est dissensus iste in fundamentis fidei, aut articulis primariis, sed vel in solis ritibus, vel si in fidei articulis, in secundariis & tertianis tantùm.

3. Nos minimè dubitamus affirmare horum nonnulla esse inania vitiligia, & in plerisque diffidium oriri, non ex Ecclesiarum ipsarum reali dissensu; sed partim ex quorundam ministrorum nimium affectibus suis & ingenio indulgentium præpostero zelo, partim ex non servata sermonum sanorum ὑποτυπώσει, partim ex non rectè intellectis partium diffidentium mutuis sententiis, partim ex alio atque alio modo explicandi, cùm in re explicata consensus sit. Ut probabile sit, si res ipsæ à viris piis, doctis, candidis & moderatis utriusque partis, vel in Synodo, vel alias amica collatione diligentiùs perpendantur, spem non exiguam, imò maximam (favente numine) concipi merito posse, controversias istas componendas fore, & concordiam in rebus fidei perfectam iniri posse. Hæc perinde se habere atque dixi, in tribus primariis capitibus breviter ostendam.

Et 1. quod ad dogma de ubiquitate attinet, ego planè accedendum censeo quorundam doctissimorum Theologorum sententiæ, intelligo doctissimum Zanchium, & clarissimos Theologos Hookerum & Fieldium nostrates, qui diligenter perpensis argumentis huc illucque in hac controversia agitatis, existimant Theologos Germanos qui assertores sunt & fuerunt ubiquitatis, quamvis insitatis, duris, dubiis imò periculosis loquendi formulis utantur, nunquam tamen sensisse corpus Christi, secundum esse naturale, esse immensum, infinitum, incircumscriptum, illocale; sed tantùm secundum esse personale, quatenus nullus dari possit locus, ubi corpus Christi non personalitèr uniatur verbo; cùm enim natura Christi humana sit natura creata, necesse est ut sit finita; Cumque de suo illa natura nullam habeat existentiam, sed assumpta à verbo ad ipsam verbi subsistentiam, negari non potest, quin habeat infinitam subsistentiam, & subsistet modo incomprehensibili & illimitata, & consequentèr ubique. Addi etiam potest quod clarissimus Hookerus observavit Humanitatem Christi non tantùm dici posse ubique præsentem, propter inseparabilem conjunctionem cùm verbo, sed etiam secundum universalem cooperationem cum verbo, atq; ex hisce utrisq; nasci infinitam ac perpetuam efficaciam corporis Christi immolati, quod infinitè applicabile est subjectis corporibus (*i.*) verè credentibus.

Videtis

Videtis viam expeditam, qua dissidium ubiquitarium componi possit.

II. Dogma quod maximè controvertitur est illud de Consubstantiatione corporis Christi cum pane in sacrosancta Eucharistia. Docent illi qui immeritò Sacramentarii appellantur, corpus Christi verè adesse & exhiberi in sacrosancta Eucharistia modo inexplicabili, dignè suscipienti; non tamen præsens esse corpus localitèr aut secundùm suum esse naturale, quum corpus Christi naturalibus suis proprietatibus affectum in cœlum ascenderit, ibique usque ad ultimum judicium permansurum sit localitèr, nec posse simul multis in locis existere. Quid Lutherani? Illi itidem agnoscunt, corpus Christi verè ascendisse in cœlum, & supra omnes cœlos mensurum usque ad secundum adventum, ibique præsens esse quoad esse naturale, licet gloria indutum, esse ibidem finitum, circumscriptum, & uno loco localitèr definitum. Idem tamen corpus in Eucharistia ob personalem unionem cum verbo esse ubicunque Deitas est, ubique *scil.* aut ubilibet, non tamen localitèr aut inclusivè, aut ullo modo physico; sed repletivè & personalitèr, & quoad esse personale; ita tamen ut non nisi in Sacramento Eucharistiæ in spiritualem alimoniam exhibeatur, ibique sit modo inexplicabili, reali tamen in ipso pane, & in multis locis simul. Nobiscum ergò planè consentiunt in essentialibus & fundamentis fidei, cùm firmitèr credant, Christum corpore verè ascendisse in cœlum, ibique corpus ejus gloriosum residere, esse verum & naturale corpus finitum & circumscriptum, illudque quoad esse naturale non nisi in uno loco adesse localiter.

Item firmiter credunt nobiscum corpus & sanguinem verè & adesse & exhiberi in sacrosancta Eucharistia dignè suscipienti, modo inexplicabili reali tamen, testatur etiam Zanchius se audivisse quendam non vulgarem Lutheranum dicentem; se & alios suos non ita dicere, corpus Christi à nobis corporaliter manducari, quasi illud Christi corpus os & corpus nostrum attingat, (hoc enim falsum esse) sed tantum propter sacramentalem unionem, qua id quod propriè competit pani, attribuitur etiam quodammodo ipsi corpori Christi; In hisce ergò convenimus. Addunt tamen cum hisce non pugnare illud, corpus Christi esse etiam in pane, cum Christus dicat, hoc est corpus meum, nec illud; esse in multis locis simul cum Christi omnipotentia, qui dixit hoc est corpus meum, hoc præstari possit. Quæ quo sensu vera esse possint, licet nos non intelligamus, Illi tamen nullam pugnantiam vident, sed distinctionibus hisce suis, quamvis nobis minimè satisfaciant, tamen sibimet satisfacere videntur, & se crimine hæreseos liberari putant. Dices assertionem multipræsentiæ corporis Christi & etiam Consubstantiationis, quæ corpore Christi aufert loci occupationem, tollere veri corporis proprietatem, ac proinde consequenter veritatem corporis, quod hæreticum est. Sol. Rp. Multò majorem habendam esse rationem eorum, quæ quis scienter & volenter asserit credit & confitetur, quàm eorum quæ verè & solidè ex assertionibus eorum deduci possunt ab aliis consequentia longiùs petita. Quicunque enim tenet aliquid, ex quo necessaria aliqua deductione & sequela hæresis videatur posse colligi, si ille hæresi illi expresse abrenunciet, & paratus sit suæ sententiæ renunciare, si viderit sequi ex ea hæresin inter hæreticos non est habendus, neque ut hæreticus est vitandus. Præclarè Augustinus Epist. 162. Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam inter hæreticos deputandi] Hæc Augustinus. Certè quemadmodum qui verum aliquod principium cognoscit & tenet, non illico ex necessitate cognoscit & tenet ea omnia quæ inde deduci possunt: sic qui falsam aliquam propositionem defendit, non idcircò id aut intelligit aut tenet quicquid illi consequens & connexum est: quia *scil.* connexionis & consequentiæ rationem minimè animadvertit. Quamvis igitur hasce consequentias nervosè urgere possumus ad errorem fratribus eripiendum: tamen quasi essent propriæ illorum opiniones, odiosè impingere ad unitatem turbandam non debemus. Abhorret enim à ratione omni atque charitate, ut quis propter consequentias minimè intellectas illud dicatur tenere, cujus contradictorium totis viribus paratus est defendere, & si opus esset pro eodem vel martyrium subire. Esto igitur hæ assertiones illorum contrariæ tertianis aut etiam

secundariis, atque adeò consequenter primariis, tamen cùm illi primariis firmiter credant, nec percipiant ullam repugnantiam suarum assertionum cùm primariis fidei fundamentis, inter hæreticos, non sunt recensendi.

III. Articulus est ille de prædestinatione, qui post Lutheri tempora controverti cœpit, occasione forsan Theologorum quorundam qui prædestinationem gratuitam asserentes, modum & ordinem signorum rationis, actuum divinorum altiùs forsan quàm Scriptura sacra, & quàm par fuisset, arcessant; & formulis loquendi durioribus utuntur. Ego planè existimo, eo modo & ordine posse explicari juxta Scripturas, Augustinum, & Ecclesiæ nostræ articulum prout P.M. Reverendiss. Overal. explic. ut Lutheranos molliores in nostram sententiam adduci posse facilè sperem, præsertim si Lutheri placitis stare non recusabunt in lib. de Servo arbitrio adversus Erasmum; & Annotationibus in IX. ad Romanos. Ex dictis aliquatenus constare potest, Ecclesias Reformatas non dissentire in fidei fundamentis.

Atque hic liceat mihi, spectatissimi Auditores, (bona vestra cum venia) paucis vindicare innocentiam tùm meam tùm Collegarum meorum, qui Synodo Dordracenæ interfuerunt, (quorum duo jam sunt merito suo Ecclesiæ nostræ Reverendissimi Præsules, & clarissima lumina). Non ita pridem scripsit quidam vir doctus, Synodum illam consequentèr damnare etiam Ecclesiæ Anglicanæ disciplinam; & alibi ait, Ecclesiæ Anglicanæ disciplinam in illa & aliis Belgicis Synodis pro illegitima haberi, hæc ille. Cùm aliis Belgicis Synodis rem non habebo. Sed quod ad Synodum Dordracenam attinet: audeo dicere, quamdiù exteri Theologi interfuerunt nec directè nec indirectè, aut consequentèr, Ecclesiæ Anglicanæ disciplinam in illa Synodo vel damnari uspiam, vel pro illegitima haberi, vel aliqua ex parte vel minimè læsam. Videtur mihi Scriptor ille inde conjecturæ suæ fundamentum cepisse, quod in actis Synodi, confessio Belgica incerta sit, in qua sunt articuli 2. aut 3. qui illius Ecclesiæ disciplinam confirmant, hosce ille putat æquè ut alios articulos à Synodo publicè approbatos. Sed fefellit eum hæc conjectura. Id quod ex actis Synodi publicè editis ostendo. Hæc habui dicenda, ad testandam innocentiam nostram. Potuit doctus ille vir vel acta Synodica legisse, vel consuluisse Reverendissimum Diocesanum suum, qui Synodo interfuit, aut aliquem alium ex nostris qui interfuerunt, si quid dubii occurrisset ex actis Synodicis antequam aut illum, aut nos aut Synodum tam gravi crimine in scripto publico, quo ad Cæsarem ipsum provocat, onerâsset. Nec quisquam hæc à me ideò dicta existimet, quòd vir ille doctus scribat se non teneri illius Synodi definitionibus; In eo enim rectissimè sensit; Ausim enim palam profiteri, nec mihi aut cuiquam collegarum unquam hoc venisse in mentem, ut quenquam in nostra Ecclesia, nostris definitionibus teneri se credat, nisi quatenus post examen adhibitum, eas cum verbo Dei, aut nostræ Ecclesiæ confessione contesserare judicaverit. Interim meo & collegarum nomine ausim profiteri nos planè existimare, nihil in illa Synodo definitum fuisse, quod vel doctrinæ vel disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ contraveniat. Ad pensum me revoco.

Con-

Concursus Dei non adimit rebus proprium operandi modum.

Hæc quæstio potissimum instituitur ad asserendam tum efficaciam & omnipotentiam divinæ voluntatis, tum perfectionem & suavitatem, divinæ tum providentiæ tum etiam sapientiæ, quæ, ut ait Sapiens, attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suavitèr. Hæ autem perfectiones divinæ maximè cernuntur in hoc concursu Dei & cooperatione cùm rebus omnibus creatis, juxta modum & conditionem suæ naturæ & operationis.

Hîc supponimus primò, per res intelligendas esse res omnes creatas, seu causas secundas, easque omnes commodissimé ad hæc tria capita reduci posse,

Ad res agentes, vel
1 necessariò
2 contingentèr, specificè sumpto hoc nomine. 'q. contradistinguitur *liber*.
3 liberè.

2. Supponimus Deum rebus omnibus hisce indidisse naturas suas earumque virtutes; utque utrasque condidit, ita easdem in eo quo condita sunt, statu conservare.

3. Supponimus contra Durandum, Deum non solum primitus indidisse rebus hisce omnibus suas naturas & virtutes operatrices, easque conservare, sed & cum iisdem rebus, in omnibus & singulis suis operationibus immediatè concurrere, immediatione tùm virtutis tùm etiam suppositi (ut loquitur Schola) ad suarum operationum productionem. Sic Deus immediatè concurrit cùm igne ad illuminandum & calefaciendum.

4. Supponimus ex adverso contra quosdam ex veteribus tùm Philosophis tùm Scholasticis, quaslibet res suas proprias habere operationes, nec Deum solùm ad earum præsentiam effectus & operationes rerum singularum producere.

5. Supponimus, prout res ipsæ creatæ agentes sunt vel necessariæ, vel contingentes vel liberè, ita hasce res habere distinctos & peculiares suos operandi modos, ut res necessario agentes, suas operationes producant modo necessario, contingentes modo contingenti, & liberas modo libero.

6. Supponimus concursum Dei debere esse proportionatum formæ, per quam operatur causa secunda, unde si forma seu principium, per quod operatur causa secunda, sint supernaturalia, & concursus Dei generalis erit supernaturalis & alterius rationis ab eo. quo Deus concurrit ad actus merè naturales.

Ultimò monemus hanc quæstionem intelligendam esse de concursu Dei ordinario,

 se-

secundum consuetum rerum naturalium & supernaturalium cursum & ordinem, non de miraculoso & extraordinario. Quæritur jam quandoquidem res singulæ habeant suas operationes & suos operandi modos, an concursus iste Dei cùm rebus singulis in suis operationibus producendis, modum operandi rerum aut adimat aut etiam impediat. Et certè si per Dei concursum non aliud intelligamus quàm influxum Dei, concomitantem & simultaneum quoad ipsum temporis momentum unà cùm rebus istis in earum actiones & effectus, ut (v g.) cùm igne ad combustionem necessario, cùm terra & aere ad messem copiosam contingenter, cùm Paulo ad Evangelizandum liberè certissimum est hunc concursum Dei simultaneum non adimere rebus proprium operandi modum; nam si res creata & Deus eodem prorsus momento temporis operari incipiunt in producendâ unâ eademque actione seu effecto, certum est nec rem creatam adimere Deo suum concursum, nec Deum suo concursu adimere sive rei necessario agenti modum suum agendi necessariò, sive rei contingentur agenti, suum agendi modum contingenter, sive rei liberè agenti, suum agendi modum liberè. Hoc ergo posito & supposito, concursum Dei contemperaneum (ut ita loquar) non adimere rebus proprium operandi modum, quandoquidem res creatæ & Deus eodem prorsus temporis momento operari incipiunt: Hic quæritur amplius, in hoc divinæ providentiæ administratorio actu, quo Deus unà cum rebus cooperatur; An quomodo eodem temporis momento incipiant, operari Deus & creatura ut modo diximus, ita eodem etiam momento naturæ incipiant operari, & simul non tantùm tempore sed etiam simul naturâ operari incipiant. Hîc Jesuitæ statuunt Deum authorem naturæ simul tàm naturâ quàm tempore cùm causis secundis operari, easque in operando comitari, eo modo quo se mutuo comitantur ea quæ inter creaturas simul esse naturâ dicuntur; sed nec acquiescentes in hac simultanea inchoatione Dei & creaturæ in eodem prorsus momento temporis & naturæ concurrendo, & cooperando; illud insuper adjiciunt Deum operari & concurrere, quia creatura operatur & concurrit, non contra; unde in liberis actionibus porrò inferunt, voluntatem priùs naturâ operari quàm Deum; prioritate instantis à quo licet non in quo.

Sic Bellarminus lib. 4. c.15. de Grat. & lib. arbitr. unde ait Deum nisi extraordinariè miraculum operari velit semper concurrere, quando voluntas nostra concurrit; quoniam ad hoc se liberè quodammodo obligavit, quando liberam voluntatem creavit. Hinc olim nonnulli ex Scholasticis veteribus & ex recentioribus, Molina & Lessius, & ex illis haurientes Remonstrantes nullum non movent lapidem, ut concursum Dei cum causis secundis in suis operationibus non alium agnoscant quàm influxum immediatum simultaneum cum causa secunda in ejus actionem & effectum, ita tamen ut omnis modificatio & determinatio actus sit ex causa secunda, præsertim in actionibus liberis, clamitantes alioquin actum esse de libero hominum & Angelorum arbitrio, omnia fatali necessitate eventura, nec ullum superesse divinæ justitiæ locum, quin Deum (quod absit) hoc admisso iniquissimum tyrannum futurum, Hinc est quod omnes præfinitiones divinas liberorum actuum, omnem veri nominis tùm prædestinationem tùm gratiam efficacem è medio tollunt sub pretextu jura nostra libertatis non violandi; audacter nimium pronunciantes nisi ista è medio tollantur nullum futurum in universo mundo aut contingentiam aut arbitrii libertatem. Nos contrà conformiter Scripturis & Patribus in primis iis qui vixerunt post exortam hæresin Pelagianam, præsertim Augustino, fidenter hæc tria asserimus;

I. Dei concursum cum causis secundis etiam liberis esse antecedaneum influxum in ipsas causas secundas, non autem solum influxum simultaneum, multò minus succedaneum in illarum actiones & effectus.

II. Dicimus hunc concursum antecedaneum Dei, primæ causæ, modificare & determinare suo modo, actiones omnes secundarum causarum.

III. Dicimus hunc concursum Dei prævium in causas secundas earum actiones modificantem non adimere ipsis suum cujusque proprium operandi modum, non causis agentibus necessario contingenter, liberè, modum agendi necessario contingenter liberè. Quæ tria ordine breviter demonstrabo.

I. Hunc Dei concursum cum causis secundis etiam liberis esse antecedaneum influxum in ipsas causas, eas moventes & applicantes ad opus, ex Scripturis liquidò constat,

stat, Isaiæ 26. Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine, 1 Cor. 12. Omnia in omnibus operatur. Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, Rom. 9. Ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Accedat illud Sapientiæ 8. Omnia in mensura & numero & pondere disponit. Quæ sententiæ disertè significant unum & eundem Dei & secundæ causæ effectum, attingi simul tempore ab utriusque operatione, sed tamen naturâ prius per divinam quæ est prima causa ab omni alia independens, virtutem operatricem causæ secundæ non conservans solum, sed & ad operandum movens & applicans salvâ & indemni cujusque causæ operandi conditione & modo.

II. Idem ex eo liquet, quod si Deus non priùs natura causat & movet, quam causa secunda non poterit earum respectu verè & propriè dici prima causa & primum movens. Sic enim dicitur non tàm quod secundum se & per essentiam suam, sit ens omnium primum, sed quia in causando & movendo, sive quod perinde est, in ordine causarum & moventium omnium primus est.

III. Omne creatum est à Deo ut causa; atqui causam secundam producere suum effectum est quiddam creatum, ergo est à Deo; ac proinde Deus prius naturâ causam secundam ad operandum applicat, quam illa operetur, ergo omnis effectus prius naturâ procedit à causâ primâ quam à secundâ.

IV. Deus cùm sit primum agens utitur omnibus causis secundis tanquam instrumentis suis ad producendos effectus, ut sæpè docet Thomas: At causa principalis & instrumentum non movent simul naturâ, nam instrumentum, qua tale, non movet nisi priùs motum à causâ principali; ergo Deus non simul naturâ cum causis secundis producit earum effectus, sed eas tanquam instrumenta sua movet & applicat ad operandum.

V. Nisi causæ secundæ præsertim liberæ prævio Dei influxu indigerent, uti liberas suas producant operationes, sequetur, solam voluntatem creatam esse primam & originalem causam τȣ̃ velle & primum principium, & primum se movens simpliciter, & primum liberum, unde porrò sequetur plura esse prima principia, quæ fuit hæresis Manichæorum, imò tot principia, quot sunt hominum & Angelorum voluntates: est enim de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & illius influentiâ, ut rectè Thomas; ergo si voluntas humana aliquam actionem produceret absque motione prioris agentis, respectu illius actionis esset voluntas creata primum principium, & primum se movens simpliciter, quia movebit non mota; sequetur etiam quod Deus qui est primum ens non erit propriè causa universalis omnium Entium. Quæ duo absurda tanquam duos errores ex illâ opinione consequi disertè docet Thomas in 2. sentent. distinct. 37. q. 2. art. 2. Hæc de primo.

II. Assertum est dicimus hunc concursum prævium Dei primæ causæ modificare & determinare suo modo omnes secundarum causarum actiones.

Probatur,

1. Omnis causa determinabilis ab alterâ non determinat seipsam ad quemvis effectum specialem. At divina voluntas seipsam determinat ad quemcunque effectum specialissimum & singularem producendum, ergo non est determinabilis à causâ quacunque inferiori, concursus activus divinæ voluntatis. Hoc enim esset maximam imperfectionem in Deo ponere, si dicamus concursum divinæ voluntatis ex parte sua manere indifferentem modificari autem & determinari per quamlibet causam inferiorem eo modo quo concursus. Solis producit distinctos affectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores. At longè alia ratio est, concursus Dei & solis. Siquidem Sol est causa finita & limitata habens aliquid potentialitatis cùm sit creatura, & ideò per concursum alterius causæ est determinabilis ad producendum talem vel talem effectum in individuo. Deus autem est causa universalissima infinitè perfecta, & purus actus omni potentialitate vacuus; unde ejus voluntas vel concursus in quo est intentio voluntatis & virtutis divinæ, determinari non potest ad operandum ex concursu liberi arbitrii vel cujuscunque alterius causæ secundæ.

2. Ut se habet liberum arbitrium hominis, respectu illorum quæ omninò subjiciuntur sibi, ita se habet & multò efficaciùs divina voluntas respectu illorum quæ ei subjiciuntur, quæ quidem sunt res creatæ universæ: sed concursus liberi arbitrii

no-

nostri ad aliquid agendum per media subordinata non modificatur aut determinatur ab ipsis mediis, sed potius liberum arbitrium nostrum determinat motum & concursum mediorum quæ sibi subjiciuntur. Ut quando pictor vult pingere imaginem ipsemet accuratè adaptat penicillum, præparat colores, movet manum, ideam in mente concipit, ducit lineamenta. Hîc liberum pictoris arbitrium non modificatur ab istis, quatenus sibi subjiciuntur, quin potius ipsemet artifex per liberum arbitrium & artem eligit & determinat sibi ejusmodi media, in quantum sibi subjiciuntur, quod si imperfectio aliqua accedat, id præter intentionem pictoris accidit in aliquo, quod suo non subjicitur arbitrio; ergo multo minus datur aliquod creatum quod determinet divinæ voluntatis concursum sive attingentiam activam, quin potius ille determinat omnium creaturarum actiones & effectus quoscunque.

III Idem evincitur ex divinæ providentiæ summâ perfectione. Ad hanc enim spectat quod determinatè omnia & singula velit & prædefiniat, quæ fiunt in tempore, & ea destinet in fines à se intentos; & causas etiam omnes secundas moveat & applicet ad effectus determinatos. Hæc autem perficere non posset providentia divina, si ejus concursus ad plures effectus incompossibiles indifferenter tantùm se haberet, nec ad aliquos certos & definitos effectus secundam causam determinaret. Quod ex eo confirmatur quod ad perfectionem divinæ providentiæ pertinet, non solùm ordinatio mediorum ad finem, sed etiam assecutio infallibilis finis à Deo intenti; sed si concursus Dei generalis esset ex se indifferens, aut Deus per eundem concursum non applicaret efficaciter causas secundas ad suas operationes in particulari; divina providentia non assequeretur finem intentum per media præfinita & ordinata ad ejusdem finis assecutionem; sic enim hæc duo unà consisterent, Deum dare concursum generalem ad aliquem effectum producendum, & voluntatem pro sua libertate nolle illum effectum producere, vel ad illum concurrere quod nullatenus dici debet.

IV. Probatur in specie hunc prævium concursum Dei modificare omnes actiones liberas, quæ (si quæ aliæ) eximendæ sunt ab hac primæ causæ modificatione. Si enim nostri actus liberi, eorumque concursus & determinatio non ita modificentur à prima causa, concursus & determinatio liberi arbitrii creati à divinæ providentiæ modificatione eximeretur, & ita Deus non haberet providentiam rerum omnium in particulari, sed solùm in communi; Si enim concursus Dei generalis sit ex se indifferens, & similiter voluntas Dei offerens eundem causis secundis, liberis ubi & quando ipsæ pro sua libertate voluerint operari & non antea, ergo Deus per talem concursum non efficit verè efficienter quod liberum arbitrium influat hîc & nunc in talem operationem in individuo, ac per consequens influxus liberi arbitrii erit exemptus à divina providentia. Nam ut docet Thomas 1. p. q. 22. ad ea duntaxat se extendet divina providentia, ad quæ extendit se divina causalitas: ergo si Deus non determinat concursum liberi arbitrii, non habebit providentiam, sed solum præscientiam ejus in particulari; atque adeo providentia divina solum se extenderet ad opera libera in communi, quatenus scilicet contulit hominibus liberum arbitrium quo possent operari, ubi & quando placuerit, & actus omnes individui à divinâ providentiâ eximerentur: Hoc de secundo.

III. Dicimus, hunc concursum Dei antecedaneum in causas secundas earum actiones modificantem, non adimere ipsis suum cujusque proprium operandi modum.

1. Certùm est Deum dare omnibus rebus suum esse, & vim suam operatricem quâ alio atque alio modo possunt operari, aliæ necessario, aliæ contingenter, aliæ liberè; certum etiam est Deum utrumque hoc conservare, utique ut quælibet suo modo operaretur; ergo spectat ad suavitatem divinæ providentiæ ut concursum suum cum creatura antecedaneum (quem supra demonstravimus) ita attemperaret, ut eo prorsus modo applicet illam ad operandum, quo dedit causæ secundæ posse operari.

2. Idem liquet ex efficacia divinæ voluntatis, cum voluntas Dei sit efficacissima, idcirco non solum fiunt ea; quæ Deus fieri vult sed eo modo fiunt, quo vult. Jam autem Deus quædam vult fieri necessario, quædam contingenter, quædam liberè ut sit ordo in rebus ad complementum seu perfectionem universi. Et ideo quibusdam ef-

effectibus providit atque aptavit causas necessarias (.i.) indefectibiles in causando, ex quibus effectus sequuntur necessario; quibusdam aptavit contingentes & liberas (.i.) defectibiles & impedibiles, ex quibus proinde effectus contingenter & liberè proveniant, non obstante Dei concursu præcedaneo. Ex quo constat, contra quam habet Molina, Necessitatem & contingentiam rerum, quas Deus extra se vult, non tantùm pendere à causarum secundarum necessitate & contingentia, sed potissimum ab ordinatione & efficacia divinæ voluntatis, quatenus iis quæ extra se vult vel necessario vel contingenter, vel liberè fieri, destinavit causas vel necessarias vel contingentes, vel etiam liberas. Sed quia in hac quæstione potissimum dubitatio oritur, ratione liberorm actuum cum quorum libertate hunc antecedaneum influxum in ipsam voluntatem, non posse consistere vociferantur Jesuitæ & Remonstrantes, præsertim in actibus liberis ordinis supernaturalis, nos breviter ostendemus hunc antecedaneum influxum in ipsam voluntatem, non adimere voluntati creatæ suam libertatem seu proprium liberè agendi modum, nec generatim in omnibus cujuscunque ordinis liberis actibus, nec speciatim in iis quæ sunt ordinis super naturalis & extra activitatis naturalis sphæram.

Et primo generatim ostendo in omnibus liberis actibus:

I. Non potest Deus ullam facere creaturam, quæ vel in essendo vel in operando ordinem sui creatoris ut primæ causæ egrediatur; ita ut non dependeat ab eo tanquam à primo efficiente, conservante & operante. Quare sicut omnis creata sapientia & omnis creata justitia habetur ex participatione sapientiæ & justitiæ increatæ, ita ut Deus qui est sapientia & justitia increata sit causa prima, propria atque intima omnis sapientiæ & justitiæ creatæ, omnisque creatæ actionis sapientis & justæ, & similiter de aliis quibuscunque bonis creatis: Sic omnis creata libertas voluntatis non aliunde habetur quàm ex participatione summæ & increatæ libertatis, quæ est in voluntate divina: ita scilicet ut illa libertas increata divinæ voluntatis sit causa prima, propria atque intima omnis creatæ libertatis omniumque liberarum actionum creatarum. Tantum igitur abest ut efficax operatio liberrimæ voluntatis divinæ destruat libertatem actionum voluntatis creatæ, ut hæc absque illa prorsus consistere nequeat, sed ab ea necessario dependeat ut bonum participatum à bono essentiali.

II. Si ut actus meus sit merè liber, necessarium esset, ut à me solo prædefiniatur, neque posset à Deo prædefiniri, ergo ego essem primum deliberans & primum prædefiniens; & liberum arbitrium Dei non de omnibus bonis quæ fiunt, & de modo quo fiunt ab æterno, deliberâsset, siquidem nihil decerneret de hominum & Angelorum actibus liberis & bonis, etiam optimis, qui tamen inter omnia bona creata longè eminent & primum sibi locum merito vendicant.

III. Si divina providentia & deliberatio eousque solum se extendat ut concedatur hominibus facultas operandi & auxilium sufficiens ut possent liberè operari, & non se pariter extenderet ad ipsos actus liberos, ad ipsam electionem, determininationem & acceptationem voluntatis liberam, perfectior esset mea providentia circa hæc omnia quàm divina providentia. Cùm enim providentia sit circa singularia, mea providentia circa istum actum singularem perfectior esset, circa quem ut fieret hîc & nunc ego solus determinavi. Deus autem quamvis præscivit me ita facturum non tamen prædefinivit ut ita facerem: sed solùm prædefinivit, & decrevit conferre mihi facultatem & auxilium, quibus possem operari, quod quàm sit providentiæ divinæ derogatorium, quisque cordatus Christianus facilè perspexerit. Nullatenus ergo dubitandum quin divina providentia attingat à fine usque ad finem fortitèr, & disponat omnia bona absque ulla exceptione fortiter & suaviter, fortiter quidem pro se, suaviter autem pro me, ut scitè Bernardus. Cum enim divina providentia & divinum liberum arbitrium sit proxima causa bonorum quæ in tempore fiunt, necesse est ut infallibiliter decernat universa, unumquodque juxta modum suæ naturæ. Atqui liberum Dei arbitrium influit libertatem in hominem non solum conferendo illi facultatem liberam; sed quod longè majus bonum est, majorque perfectio ipsum bonum velle, ipsam bonam voluntatem, ipsam electationem, acceptationem, & consensum voluntatis.

IV. Porrò certum est actum conversionis esse actum liberum, & voluntatem huma-

nam in eliciendo hoc actu liberè agere: & tamen æquè certum est influxum antecedaneum esse in ipsam voluntatem; non tantùm Physicè elevando voluntatem ut possit actum supernaturalem elicere; nec moraliter solum invitando suadendo & alliciendo, sed eam impressâ virtute transeunte succendendo & movendo, & efficaciter ad opus conversionis applicando, servato tamen ei suo naturali agendi modo, *viz.* per modum liberæ electionis, & cooperationis.

V. Eadem veritas demonstratur ab exemplo Christi Domini, siquidem Divinitas operata est τὸ velle & consensum voluntatis humanæ in Christo Domino in actibus suis liberis, in quibus illud erat de morte oppetenda pro vita mundi, sed hosce actus operata est divinitas non tantum dando posse operari, aut nudè alliciendo & suadendo, sed etiam efficienter per modum physicæ causæ, præmovendo voluntatem creatam, & ejus actus determinando, sic enim Christus ipse fatetur Joan. 5. Non possum ego ex meipso facere quicquam & cap. 8. A meipso facio nihil, & cap. 14. Pater in me manens, ipse facit opera. Alioquin non videbimur recedere à dogmate Nestorii, Christum in duas personas dirimentis, si dicamus humanam Christi voluntatem in liberis suis operationibus prævenisse voluntatem divinam (ut observavit doctissimus Estius) cùm è contra certum sit in omnibus liberis actionibus humanæ naturæ voluntatem divinam prævenisse voluntatem ejus humanam in volendo, siquidem in omnibus suis liberis actionibus tenebatur humana voluntas Christi ad divinam se per omnia confirmare, propter unionem utriusque naturæ factam in unâ eâdemque personâ divinâ; voluntas ergo divina in Christo inclinabat totum suppositum & movebat etiam voluntatem humanam, non suasoriè tantum sed efficienter & Physicè etiam in actu moriendi, qui tamen fuit actus liberrimus, ideoque omnium actuum voluntatis creatæ maximè meritorius. Si ergo confitendum est, liberas actiones humanæ voluntatis Christi prius natura volitas & elicitas fuisse à voluntate quàm ab humana, absq; ulla libertatis earum læsione; quid est quod vereamur asserere nostras liberas actiones posse antecedenter determinari ab auxilio divino efficienter priusquã à nobis liberè eliciantur. Idem etiam dici potest, de Actibus Angelorum & Beatorum in cœlis qui ab iis liberè præstantur in cœlis & resistibiliter, quales sunt omnes ii qui non habent necessariam connexionem cum æterna beatitudine. Clamitent ergo licet & vociferentur Jesuitæ & Remonstrantes antecedaneum determinationem voluntatis, aut in actibus naturalibus & civilibus, aut in moralibus & supernaturalibus, omnem veri nominis libertatem adimere liberè agentibus; hoc ipso tamen Deo adimunt, omnimodam sapientiæ & providentiæ suæ perfectionem & summam libertatem & efficaciam divinæ voluntatis, atque ita dum homines liberos esse volunt, sacrilegos faciunt quod Augustinus de Cicerone pronuntiat, & rectissimè de hisce pronuntiatur. Quanto rectius sanctissimus Augustinus cujus hæc sunt divinissima oracula. Volenti Deum salvum facere nullum hominis resistit arbitrium: Rursus, sic velle vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: mox, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit —— & ibidem, Habet humanorum cordium, quo placeret inclinandorum, omnipotentissimam potestatem— & in cordibus hominum quod voluerit operatur: & magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.]

Hæc gravissimè Augustinus, concludo cum eodem. Sic tamen Deum administrare omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat, ergo concursus Dei non adimit rebus proprium operandi modum.

Postquam preces D. Opt. Max. fuderimus, ut negotio quod jam in manibus est suâ tum præsentiâ tum præsidentia interesse dignetur. Proximum est ut eidem Cœlesti Patri gratias quas possumus maximas super cordium nostrorum altari immolemus in hôc amplissimo & solenni omnium Ordinum Conventu pro aperiendis in Ecclesiâ Scholis, pro Academiarum publicarum institutione, ubi doctrinarum sedes, ingeniorum Officinæ, Musarum domicilia, sapientiæ Divinæ Sacraria posita sunt pro institutarum sollicitâ conservatione in quibus cum bonæ literæ, liberales Artes honestæque disciplinæ tradantur, foveantur, tum verò maximè sacræ literæ, quibus solis vera nititur Religio fideliter explicentur, posteris commendatur. Atque hîc nos nisi omnium morta-

talium ingratissimi audiri velimus gratiarum victimas Domino omnium devotissimè solvamus pro hujus florentissimæ nostræ Academiæ, Augusti hujus in quo hodierna hæc Comitia celebramus Templi Scholarum Academiæ publicarum Fundatoribus & Mecænatibus Viris verè heroicis, qui suâ munificentiâ à summâ tum Charitate profectâ hæc tam sancta otia nobis creârunt qui tantis beneficiis, tantis sumptibus, tot privilegiis hasce nostras Athenas & auxerunt & ornârunt quorum nomina cum scripta sint in libro vitæ, nefas esset è memoriæ viventium tabulis delere: quin potius fas est ut eadem situ & squalore ferè obducta quantum in nobis est anniversariâ saltem recognitione pristino nitori restituenda & reficienda sedulò curemus.

I. In hisce meritò chorum ducent Serenissimi nostri Reges, Henricus ejus Nominis III, Edovardus I, II, III, Richardus II. Henricus IV, VI, VII, VIII, Edovardus VI, Illustrissima Regina Maria, Beatissimæ item memoriæ Elizabetha & Jacobus, & sub cujus umbrâ vitalem hanc Auram haurimus omnes Serenissimus noster Rex Carolus. Isti sunt Principes, illi Illustrissimi qui Chartarum, Immunitatum & Privilegiorum quibus hodiè & utimur & fruimur Authores, Fundatores & conservatores fuere.

II. In secundis consistunt publicorum ædificorum instauratores. In hisce merito suo primas tenet Henricus VI Regum pientissimus, Augustissimi Sacelli verè Regalis quo nullum in Europa magnificentius, fundator, Absolvebat Henricus VII, Ornabat Henricus VIII,. Hujus Augusti Templi Fundatrix Universitas ipsa maxima ex parte manus Auxiliares præbebant; Henricus VII, & Illustrissima Mater ejus D. Margareta, Thomas Barrow Archidiaconus Colcestriæ, D. Joannes Alcock, Episcopus Eliensis, & D. Mildreda Cecilia; Suggestum hunc nitidissimum non ita pridem extrui curavit B. Memoriæ Guliel. Atkins; Scholarum publicarum latus Occidentale quod Scholas Dialecticas & Rhetoricas complectitur sumptibus suis una collatis excitaverunt, viri verè Nobiles, Auberius de Vere Comes Oxoniensis, Thomas Piercy Comes Wigorniensis, Henricus Plantagenet Comes Pembrochiæ unà cum Professoribus & Auditoribus Juris utriusque.

Scholas Theologicas & Sacellum novum ubi publici Academiæ Conventus fiunt construxit Guliel. Thorp Miles, summus Angliæ Justitiarius; easdem Scholas Subselliis & sedilibus Laurent. Booth Academiæ Cancellarius postea Episcopus Dunelmensis ornari curavit,

Scholæ Philosophicæ & Græcæ ipsius Universitatis curâ & sumptibus maximâ ex parte creverunt. Orientale latus una cum operosa porta suis sumptibus construxit Reverendissimus Præsul Thomas Rotheram primas Eboracensis cujus ima pars Procancellarii Tribunal, summam Bibliotheca publica, quàm Hæredes Rotherami & ejus Testamento, & vir omni literarum genere excultus Cuthbertus, Tunstallus, Episcopus Dunelmensis optimis quibusque libris Græcis, Hebraicis, Latinis tum manuscriptis, tum excusis instruxerunt. Eandem libris egregiis præsertim Historicis locupletavit vir Antiquitatum studiosissimus Matth. Parkerus Primas Cantuariensis, qui etiam Ambulachrum nitidissimum Regentium vulgo dictum & ampliavit & pavimentis egregiis stravit & utrinque lateritiis muris & lapide quadratò in fastigio firmatis munivit.

III Sibi locum vendicant Lecturarum Fundatores. Lecturas Regias Theologiæ, Juris, Medicinæ, Linguæ item Græcæ & Hebreæ Fundavit Rex Henricus VIII. Alteram Theologiæ Fundavit Dom. Margareta nunquam mihi reticenda Richmondiæ & Derbiæ Comitissa cujus salarium auxit Henricus VIII, & nuper etiam D. Alicia Davers cooperante Matre indulgentissimâ Academiâ. Stipendia annua prælectoribus Rhetoricæ, Dialecticæ, Philosophiæ persolvenda curavit Robertus Read Miles. Ultimo loco, sed con meritò est D. Gulielmus Maynard Baro de Wicklow in Regno Hiberniæ qui nuper Lecturam in logicâ fundavit, cui salarium honorificum 50 Librarum annuatim solvendum annexit; optimo sanè & consilio & exemplo.

IV. Restant Cystarum Fundatores in quibus facilè eminet Regia Prosapia oriundus Joannes Beaufordius Dux excestriæ hunc excipiant Gulielmus Bateman Episcopus Norwicensis, Robertus Billingford, Thomas Bourchier, Gualterus Neele, D. Joannes Whitehorne, Willelmus de Gotham, Mr Darlington, & Mr Fen, Willelmus de Blida

Gilbertus de Ronsbury, Thomas de sancto Botulpho, Johannes Blundel, Robertus de Luffenham. Earundem Cystarum summæ deperditæ instaurandæ μέρος ἐπιβάλλον adjecerunt D. Elizabetha Cleer, D. Preston & alii. Hisce non accensere Robertum Haræum Armigerum nefas esset, qui tantum insudavit in Academiæ Chartis, indultis privilegiis, & id genus aliis undecunque colligendis & describendis quæ omnia quatuor libris ter descriptis eleganter describenda curavit.

Hi omnes unâ cum aliis minorum gentium Benefactoribus hæc tam fausta & fœlicia otia nobis pepererunt. Dictant sacra Oracula Memoriam justi futuram in benedictione, dictat Ratio ubi accepisti beneficium, redde officium. Sit ergo horum Memoria in perpetua benedictione; Sapientiam eorum narrent Populi; Laudes eorum annuntiet Ecclesia, nomen eorum vivat in sæculum; Hos grato animo celebremus meritis laudibus prosequamur & de sua immortalitate securos, de nostrâ incolumitate solicitos beatos & fœlices prædicemus. Hisce pro veteri more optemus & precemur retributionem in Resurrectione justorum, lætam in illa die absolutionem, & perfectam beatitudinis nunquam interrumpendæ consummationem & complementum.

Sed hic videor mihi audire Romano-Catholicum oggerentem horum plerosque fidei suæ adhæsisse, quotidianis Missis interfuisse, dogmata â nostris explosa, purgatorii, invocationis Sanctorum, Transubstantiationis, & id genus alia tenaciter & tenuisse, & asseruisse; Illos porro in Romano-Catholicæ Ecclesiæ communione vixisse in eâdem mortuos esse; hæcque amplissima (quorum meminimus) beneficia, privilegia libertates non ad hæreses novas propagandas sed ad fidem antiquam Romano Catholicam conservandam contulisse.

Hac occasione arreptâ liceat mihi (Spectatissimi Auditores) bonâ vestrâ cum veniâ paucis explicare quid sentiendum sit de hisce viris heroicis & unâ eâdemque operâ exponere quid in universum sentiendum sit de Patribus nostris, qui sub Papatu vixerunt & mortui sunt, antequam lux Evangelii in hac occidentali mundi plaga clarius elucescere cepit, quod eo libentius facio ut honor justus & debitus hisce egregiis viris illæsus & intemeratus conservetur, & tamen Romanensium hodiernorum pertinacia detegatur & nostrarum Ecclesiarum Reformationem justam fuisse imo & necessariam demonstretur: Quæ omnia justè me præstiturum confiderem, si tria hæc idoneis Argumentis demonstrarem.

1. Patres nostros & hos munificentissimos fundatores in Romana Ecclesiâ tum viventes non obstantibus erroribus præmissis, & id genus aliis in illâ Ecclesiâ receptis potuisse esse imo & piè credendum est verè extitisse vera & viva membrâ Ecclesiæ Catholicæ atque adeo salutem consequutos fuisse.

2. Ecclesias Reformatas nihilominus justè Errores prædictos & impugnâsse & amandasse.

3. Hodiernos Romano-Catholicos doctiores præsertim quibus nostrarum Ecclesiarum sententia perspecta est, in horum errorum pertinaci defensione damnabiliter peccare atque adeo suæ saluti, & aliorum quibus præsunt (quantum in ipsis est) viam præcludere sed quia prolixor plus æquo futura esset oratio nostra, si hæc omnia jam demonstranda susciperem, satis erit si primum caput quanta fieri potest brevitate absolvam.

Ut autem ostendam Patres nostros non obstantibus erroribus supra memoratis & similibus potuisse esse vera & viva membra Ecclesiæ Catholicæ atque adeo æternam salutem consecutos fuisse, imprimis diligenter exquirendum est quænam necessario requiruntur, ut quis fiat verum & vivum membrum Ecclesiæ Catholicæ ut quis fiat verum & vivum Membrum Ecclesiæ Catholicæ quædam sunt necessariò credenda, quædam facienda.

In credendis atque proinde cognoscendis sunt Articuli fidei, in quibus ad majorem evidentiam triplex assignari potest differentia vel si vultis gradus

Sunt

Sunt enim Articuli fidei primarii, secundarii, tertiani. Primarios seu Cardinales fidei Articulos appello, qui in negotio salutis pari modo sese habeant ad reliquos, atqui prima principia seu Axiômata ad θέσεις & conclusiones in Apodicticis, vel ut basis ad columnam superimpositam, vel ut imum fundamentum ad parietes; domus enim Dei (ut alicubi Augustinus) credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.

Tales sunt isti

I. De Deo uno, de Dei unius Naturâ, immutabilitate, immensitate, æternitate, omniscientiâ, omnipotentiâ, incomprehensibilitate, infinitâ justitiâ, bonitate, & omnimodâ perfectione de Personarum Trinitate in hâc unâ Deitate subsistentium, Patre, Filio, & Spiritu sancto.

II. De Deo Creatore Cœli & Terræ & omnium aliarum Creaturarum sive visibilium, sive invisibilium; de Angelorum & hominum primævâ integritate, & altioris beatitudinis quam illius in qua conditi sunt, capacitate; de Legibus iis præscriptis & præsidiis tum Naturæ, tum Gratiæ, quibus ad metam beatitudinis aspirare potuissent; de quorundam Angelorum & hominum spontaneo lapsu & inde secutæ naturæ humanæ depravatione.

III. De hominis reparatione & Redemptione per secundam personam Filium Dei humanam naturam assumentem & in eâdem omnia ad salutem hominum pertinentia perficientem moriendo, resurgendo, item ascendendo ad Cœlum, sedendo ad dextram Patris & mittendo Vicariam vim Spiritus sancti qui credentes agat, ut verbis Tertul. utar.

IV. De unâ sanctâ Catholicâ Apostolicâ Ecclesiâ apud quam sacrosanctum hoc fidei depositum usque ad sæculi finem immolatè asservandum est.

V. De Remissione peccatorum per & propter meritum Christi ritè applicatum.

VI. De adventu Christi in fine sæculi ad judicandum vivos & mortuos, de corporum Resurrectione, de Animarum immortalitate, de vitâ æternâ, piorum & impiorum interminabili supplicio.

Hæc Regula fidei una, sola, immobilis, irreformabilis, ut olim Tertullianus, Hi sunt Christianorum dogmatum cardinales Articuli: Hæc sunt Catholicæ fidei prima Principia articulatim distincta, quæ propriè, directè, immediatè salutem nostram respiciunt & ad eandem consequendam plenè & planè sufficiunt. Testis sit antiqua & primæva Christi Ecclesia quæ hanc formulam, & hanc unicam à suis Catechumenis vel audientibus ediscendam vel competentibus dum tingendi sistebantur reddendam, postulavit. Quicquid (inquit Cassianus) ad fidem Catholicam spectans per diversorum divinorum voluminum corpus, immensa funditur Copia, totum in Symbolo hoc colligitur brevitate perfectâ.

Hi sunt illi articuli qui succinctè in Symbolo Apostolorum fusius in Symbolis Oecumenicorum Conciliorum, & Patrum scriptis occasione emergentium hæreseωn seriatim explicantur, qui (ut rectè Vincentius) accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem retineant tamen necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hujus fidei augmentum (inquit Maxentius) est fidei detrimentum. Qui hosce articulos omnes negaverit, planè infidelis est; qui vel unum pertinaciter, planè Hæreticus.

Articuli secundarii sunt qui ex dictis primariis evidenter justa & necessaria consequentia vel immediatè vel mediate, admotis vel perspicuorum Scripturæ locorum face, vel aliquo principio, naturaliter cognito, deducuntur.

Talia Articuli primi consectaria sunt, Deum non esse authorem peccati contra Florinum; Non esse duo Principia inter se diversa neque adversa, eademque esse æterna & coæterna; contra quam senserunt Manichæi Deum habere Brachia, Pedes,

 Aures

Aures; Deum loqui, audire progredi contra Audianos & Anthropo-morphitas

Tales à 2° Articulo deducibiles sunt isti; Mortem esse peccati stipendium contra Pelagianos; Deum non creasse hominem morbidum; Hominem lapsum esse in naturalibus vulneratum; Omnes homines ab uno propagatos fuisse.

Tales in tertio Articulo sunt isti Christi Animam distinctam esse à Divinitate; Christum habere duas voluntates divinam & humanam; Christi Corpus etiam glorificatum esse tangibile, circumscriptum, visibile contra Eutychetem. Denique tot sunt articuli fidei secundarii, quot sunt conclusiones ex primariis articulis evidenter sive immediatè, sive mediante aliquo Principio naturali deducibiles, & totidem etiam sunt hæretica dogmata secundaria, quot sunt Assertiones dictis conclusionibus contradictoriæ.

Sunt & tertio loco Articuli tertiani, imò & quartani, qui necessario etiam deducuntur ex illis primariis, uno vel pluribus, sed mediorum plurium interventu & consequentia longius petita; Harum itidem assertiones contrariæ aut contradictoriæ sunt, etiam & dici debent suo modo hæreticæ.

Hi omnes sive primarii, sive secundarii, sive tertiani continent veritates divinas, quæ ad invicem sese habent veluti Ansulæ in aurea Catenâ quæ ita ad invicem immittuntur ut si unum ad te trahas, reliquas etiam omnes unà eademque operâ ad te trahas oportet vel ut lineæ rectæ parallelæ quarum unam si lineâ aliquâ rectâ secueris, eâdem continuata & porrectâ reliquas itidem secabis: Sic Tertianis hisce negatis necesse esse & consequenter ut secundarii & primarii negentur etiam. Ut enim quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis juris naturalis pertinent etiam ad jus naturale; quia non possunt destrui, quin destruatur natura: sic quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei primariis pertinent etiam ad fidem, quia non possunt negari quin tandem consequent èr Articuli ipsi primarii negentur.

II. Notandum est & illud, in iis credendis & faciendis quæ sunt necessaria ad verum & vivum membrum constituendum, præceptum ut quæ in nostra potestate non sunt, qualia sunt auxilia gratiæ divinitus inspirata, quædam esse necessaria,

Ut {
1. Præcepta, sive naturalia sive positiva, ut solum Christum religiosè adorandum, invocandum, panem esse panem post consecrationem, dare Eleemosynam. Euchatistiam sub utraque specie administrandam esse.
2. Media & præcepta, ut sperare veniam, pœnitentiam agere, credere in Christum, Deum diligere, &c.
}

III. Notandum denique in iis quæ necessaria sunt, necessitate tum solius præcepti, tum etiam etiam præcepti & medii, tam in credendis quam in faciendis hoc discrimen interesse. Quod cum quis ex ignorantiâ invincibili non credat aut faciat quæ tenetur credere aut facere ex necessitate præcepti tantùm, hoc ipso excusatur nec eadem omittendo reatum incurrit. Sufficit enim illi, ut implicitè & præparatione animi paratus sit ea facere & credere: At aliter se res habet in iis quæ tenemur credere & facere ex necessitate tum medii tum etiam præcepti; nisi enim hæc credenda explicite credantur & facienda fiant, saluti nostræ viam præcludunt. Si ergo in credendis quæratur quænam sunt illa, quæ necessario requiruntur necessitate tum medii tum præcepti, ut quis verum & vivum membrum Ecclesiæ Catholicæ constituatur.

Respondeo, Omnes Adultos teneri credere explicitè, saltem confusè omnes primarios articulos necessitate tum medii, tum præcepti & secundarios & tertianos etiam eâdem necessitate si nobis sufficienter proponantur vel nostræ cognitioni quocunque modo sufficienter deferantur seu obversentur, abdicato quovis Dogmate hæretico, quod cum dictis articulis directè pugnare dignoscitur.

At

At secundarios si non sufficienter proponantur vel in considerationem nostram non veniant, & tertianos quamdiù clara deductio ex primariis nos lateat non tenemur credere nisi necessitate praecepti tantum. Sufficit enim si implicitè & in universali iis credere parati fuerimus, quandocunque illorum deductionem evidentem ex primariis adverterimus.

Primarii adeò necessario credendi sunt ut nullatenus admittant excusationem impossibilitatis, aut exceptionem ratione loci, Temporis, personarum, aut praetextum ruditatis, ignorantiae, tarditatis, simplicitatis, & id genus alia.

Secundarii & tertiani non absolutè ad fidem obligant, sed ex hypothesi, quando adfuerit possibilitas, & excusationem admittunt, ratione loci, temporis, personarum. Hinc multa credenda sunt ab eo explicitè qui in Ecclesiae . . . gremio vivit quae non exiguntur ab iis qui in deserto commorantur ratione loci; multa ab eo cui Deus spatium & opportunitatem concedit inquirendi & addiscendi ea quae ad salutem spectant, quae non necessariò credenda sunt ab iis qui subitâ morte praeveniuntur ratione temporis. Talia sunt articulorum quorundam circumstantiae, ut Christum natum fuisse ex virgine, crucifixum esse sub Pontio Pilato, resurrexisse tertia die. Hinc majores, Docti, Pastores, & Praelati, secundarios & tertianos multos articulos credere tenentur explicitè ratione muneris, loci, mediorum quae divina providentia iis obtulit, quos minores, indocti, Laici non tenentur credere: Et è contrario, Hinc Laicus etiam (ut rectè Occamus) aliquando possit teneri credere, quod non tenetur Episcopus aut magnus Theologus, si nimirum animadverterit tertianum vel secundarium articulum necessariò deduci è primario articulo quem non tenetur Episcopus animadvertere. Stat enim illud Christi in negotio fidei, Cui multum datum est, multum repetetur ab eo, & illud Gregorii Crescentibus donis crescent rationes donorum.

Atque ut quaedam necessario credenda, ita & facienda quaedam necessario, etiam necessitate non solùm praecepti sed & medii:

Et I. Seria poenitentia agenda quae complectitur & dolorem de peccatis tum ignotis tum notis de illis generaliter, de hisce specialiter, & propositum de caetero non peccandi.

II. Propria merita ab renuncianda, & fiducia omnis in solis meritis Christi collocanda est ad remissionem peccatorum & vitam aeternam consequendam; hoc est ut ego interpretor, fide justificante in Christum credendum.

III. Accedat necesse est studium & conatus vivendi sobriè, piè, justè, juxta propositum supradictum & mensuram cognitionis quàm Deus revelaverit. Reliqua facienda non sunt necessaria factu, nisi necessitate praecepti tantum. Hac igitur distinctione & explicatione praemissa hinc non difficile erit judicare quaenam necessaria sunt ut quis fiat verum & vivum membrum Ecclesiae Catholicae; Nam si quilibet juxta gradum, quem in Ecclesiâ Dei obtinet, credendis assentiatur, minores & simpliciores primariis articulis explicitè licet confusè, reliquis implicitè: Majori scientiâ praediti etiam secundariis & tertianis explicitè pro mensura Revelationis.

Si porrò quod ad facienda attinet, seriam poenitentiam agant modo supradicto, meritis propriis abrenuntient, & toti quanti quanti sunt in solis meritis Christi in salutis negotio confidunt: accedat denique studium vitae emendandae, & instituendae ad legis divinae revelatae normam. Qui ita credit & ita facit proculdubio in gremium Ecclesiae Catholicae recipitur & in album verè Christianorum, adlegitur non obstante additione & admistione dogmatû pravorum quae directe oppugnant secundarios & tertianos atque ita consequenter primarios articulos, modo hoc fiat ex ignorantiâ invincibili. Nam licet errores hi perniciosi sint & ex necessitate praecepti studiosè cavendi essent ut qui salutis aditum meritò praecluderent, si cum hisce primariis capitibus pugnare dignoscantur atque adeo veri nominis peccata sint censendi tamen quia peccatum hîc est ex ignorantiâ invincibili (ut jam supponimus) ideò piè credendum est accenseri debere peccatis ignotis atque adeo interveniente fide & poenitentiâ divinâ clementiâ condonata esse; Atque ita tandem videmus quomodo in medio papatu, in crassae ignorantiae & multiplicis erroris densissimis tenebris, via & aditus majoribus nostris ad salutem patuit.

Hisce accedunt & istæ considerationes quarum pleræque majoribus nostris excusandis meritò inservire possint.

I. Praxin non sine errore receptam esse aliquando, ubi doctrina in qua fundatur, non hæreticè defenditur.

II. Multos olim communicâsse cum Ecclesiæ Romanæ erroribus, qui non communicarunt cum ejus hæresibus.

III. Vulgus hominum ante Lutherum penitùs ignorâsse dogmaticas Romanensium positiones; id quod hodiè etiam de vulgo Papistarum, per Hispaniam, Galliam & Italiam verè dicere posse videamur.

IV. Aliter sentiendum de simpliciter errantibus, aliter de hæreticè defendentibus hæreses.

V. Aliter de Authoribus hæreseωn, aliter de iis qui vi & metu ad earundem professionem coguntur.

VI. Aliter de Doctoribus, aliter de seductis, ut rectè Augustinus in Epist. *162*. Aliter de Magistris, aliter de Consectatoribus, ut monet Vincentius Lirin.

VII. Inter dogmata Romanensium in materia de fide & cultu quædam tunc non erant nisi opinationes incertæ aut non nisi probabiles aut saltem non nisi piè credendæ, quas tamen fide Catholicâ credendas esse jam urgent.

VIII. Ecclesiam Romanam in quamplurimis non errare in re, sed in modo.

IX. Multos in Papatu sub generali quadam verborum formula dogmatibus Romanensium visos fuisse consensisse, & in eorum communione vixisse, qui tamen sub generali illâ formulâ cum verâ Ecclesiâ antiquâ & Catholicâ prorsus conspirârunt.

Sed dices Ecclesiam Romanam ante Lutherum merita humana non abdicâsse, sed asseruisse; apud Scholasticos enim nihil frequentiùs quam homines de congruo justificationem & vitam æternam post justificationem de condigno mereri. R. Sed non obstante illa doctrina Scholasticorum, fidenter assero per totum illud spatium quadringentorum annorum ante Lutherum edoctos fuisse Christianos tum hîc in Angliâ, tum alibi meritis suis abrenunciare, & totam fiduciam suam in Christi meritis reponere; Id quod ex multis agendis & monumentis veterum publica authoritate comprobatis ostendere facile esset præsertim ex interrogatoriis, quæ agonizantibus proponi solebant & ubi de recommendatione animæ facienda agunt. Atque hæc, licet prolixius forsan, quam par esset, dicta sunto ἀπολογητικῶς in gratiam fundatorum & benefactorum nostrorum, quorum memoria sit in sempiterna benedictione.

Gra-

Gratia conversionis determinat voluntatem.

PEr gratiam conversionis, intellige non gratiam ad conversionem sufficientem, quoad eventum autem inefficacem: Sed gratiam actualiter efficientem conversionem, qua convertitur voluntas de facto.

I. Gratia conversionis hoc modo intellecta, ut dicitur in Thesi, determinat voluntatem (*i.*) voluntatem non planè suspensam, non indifferentem, non in determinatam relinquit; sed tam potens & tam efficax est ut sua reali & intrinseca virtute, quam à Deo habet voluntatem præmoveat & infallibiliter, licet liberè, trahat ad consensum.

II. Cum dicimus gratiam conversionis determinare voluntatem, non ita intelligendum, acsi voluntas ipsa non se determinaret, idque liberè: nam certissimum est voluntatem etiam sese, idque Physicè & efficienter & liberè determinare; sed priùs natura Gratia voluntatem determinat, quàm ipsa seipsam. Quod si dicatur; quod determinatur ab alio, non se determinat. Respondetur cum Thom. 1. part. q. 83. art. 1. ad 3. quamvis voluntas seipsam moveat; nihilominus priusquam se moveat, movetur à Deo, quia voluntas creata est movens mota, & non est simpliciter primum se movens, sicut Philippus pater Alexandri verè erat causa illius, sed non prima causa: habet enim aliam causam priorem. Similiter nos dicimus in præsenti, quod voluntas hominis convertentis determinat se, liberè producendo actum secundum, sed quia non est simpliciter primum liberum, nec primum se determinans antecedenter determinatur à gratia divina efficaci ultimo complemento actus primi; & hoc est, quod dicit Aug. l. de grat. & lib. arbitrio c. 16. Ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntatati, & de correp. & gratia c. 2. Intelligant si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cum egerint illi à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: Hæc August, sic nos in præsenti determinatur voluntas à gratia divina, ut determinet seipsam, non ut ipsa nihil determinet.

Sed ut pergamus in instituto primo, in confesso est apud Theologos voluntatem esse facultatem suam naturam activam non passivam: activitatem tamen hanc quibusdam cancellis circumscribi. Potest enim ea tantum naturaliter velle, quæ sunt ordinis naturalis. Quod si objectum ordinis supernaturalis ei ab intellectu monstretur ad illud naturalibus viribus non fertur voluntas, sed quia gratiæ sublevantis capax est: Hujus viribus supra se Physicè evecta, potens facta est circa hoc objectum supernaturale, actum elicere ordinis supernaturalis.

II. In confesso est apud saniores Theologos, actum conversionis qui proximè consistit in actibus veræ cōtritionis & fidei justificantis actū esse supernaturalis ordinis, nec quoad modum tantū, sed quoad totam suam Entitatem, atq; adeo ad hunc actum eliciendum, non posse voluntatem humanam suis naturalibus viribus pertingere, sed indigere gra-

gratiâ Physicè elevante, ad hunc actum producendum.

III. Certum est voluntatem hoc modo elevatam & viribus gratiæ supernaturaliter corroboratam, actum conversionis non elicere nisi præviis suasionibus internis à Deo immissis, invitetur & alliciatur, pro modo & natura voluntatis. Quemadmodum enim Deus intellectui varias inspirationes & illuminationes indit, quibus mens incipit cognoscere & advertere turpitudinem peccati, magnitudinem pœnarum, pulchritudinem virtutis, indignitatem propriam, divini amoris immensitatem, cœlestia præmia, & similia: pari modo voluntatem piis affectionibus imbuit. Hinc incipit terreri suppliciis, allici promissis, aversari turpitudinem peccati, inclinari & impelli ad amorem virtutis, ad spem veniæ & bonorum cœlestium, ad divinæ bonitatis dilectionem, & id genus alia, qui non nascuntur præcisè ex propositione vel externa vel interna objecti convenientis, sed proposito objecto, divinitus excitantur in voluntate. [Lessius pag. 6.]

Hisce ita præmissis. Quæritur an præter gratiam illam Physicè elevantem, & hinc moraliter allicientem voluntatem, sed non determinantem, requiratur gratia determinans voluntatem ad actum conversionis sive, moraliter, sive Physicè.

Ruardus Tapperus, Jesuita Molina, Stapletonus & alii complures, & inter nostros Jacobus Arminius & ejus sequaces Remonstrantes Belgici, volunt gratiam divinam elevare, afficere, & allicere ac movere voluntatem, ita tamen ut non determinet voluntatem, sed satis esse autumant, ut vires administret voluntati quibus possit cum his gratiæ auxiliis cooperari ad conversionem si velit, non ut actu cooperetur. Ex horum sententia, Gratia divina non determinat voluntatem, nec Moraliter, nec Physicè, nec ullo alio modo, sed indifferentem & indeterminatam relinquit.

At nostri Theologi & plurimi ex Pontificiis tam Jesuitæ, quàm Dominicani diversam sequuntur sententiam & meritò; certum enim est voluntatem humanam tam efficaciter gratia divina moveri, & præveniri, ut infallibiliter determinetur ad actum conversionis. An autem hæc determinatio voluntatis per gratiam fiat, per solas morales sed efficaces suasiones, an etiam per Physicam & immediatam voluntatis inclinationem (quam probabiliorem censeo) non est quod jam discutiamus.

Sit hæc prima. Si gratia conversionis non determinat voluntatem convertentis tum non majus auxilium confert gratia divina Petro convertenti, quam non convertenti Judæ, ac proinde Petrus se discernit à Juda per aliquod proprium, quod non accepit, ab auxilio gratiæ. Consequens est contra Apostolum, 1 Cor. 4. Quis enim te discernit? Sequela probatur, Nam Petrus & Judas non discernuntur realiter per gratiam quam acceperunt antecedenter ad liberam cooperationem voluntatis, quia ut supponitur æqualibus auxiliis præveniuntur. In iis autem quæ communiter & ex æquo recipiunt non discernuntur, & docet August. lib. de prædest. Sanct. c. 5. Nunquid per ea dona quæ omnibus sunt communia hominibus, discernuntur homines ab hominibus? quasi diceret, minimè quidem; ergo discernuntur, quia Petrus voluit uti tali auxilio ex innata sibi libertate, alter verò noluit: ergo discretio & differentia ultimatè reducitur in liberam eorum cooperationem pro innata sua libertate. Sed juxta prædictam opinionem relinquitur justissima gloriandi materia Petro convertenti, qui posset in veritate ita gloriari coram Deo (verbis utor eruditissimi Domini Bannez. in 2. secundæ quæst. 10. artic. 1. docum. 3.) Domine gratias ago tibi quæ supernaturale auxilium mihi misericorditer contuleris; at verò simile æqualeque auxilium proximo meo [Judæ non convertenti] contulistis, sed ego superaddidi, quod tu mihi supernaturaliter non dedisti. Cumque non ampliùs receperim quàm ille, tamen ego amplius effeci, quàm ille, cùm jam justificatus evadam, & ille in peccato permaneat. Itaque non ampliùs tibi tuæque gratiæ debeo, quàm ille proximus meus Judas qui non est conversus? Hoc autem (inquit Bannez) Christianæ aures audire exhorrescunt. Esset enim summa superbia ita sentire, & maxima blasphemia ita loqui. Hæc doctiss. Bannez. simile exemplum filii militis, vid. apud Bradwar. lib. 2. c. 23. de causa Dei, p. 562. 563.

2. Hæc opinio evertit omnino fundamentum Prædestinationis divinæ, quam Sanctus Augustinus ex Scripturis solidissimè comprobavit: inde enim pendet certitudo, immutabilitas & infallibilitas divinæ prædestinationis, quod electis Deus gratiam

certò

certò determinantem voluntatem præparavit. Quos enim prædestinavit, hos vocavit, vocatione *scil.* ut docet Augustinus secundum propositum: talis autem vocatio, certò & infallibiliter determinat voluntatem, nam quicunq; sic vocantur, certò & infallibiliter justificantur, & qui justificantur, glorificantur, ut ibid. Apostolus.

Quod si vocatio divina non determinat voluntatem in conversione, tum ejus efficacia non penderet à proposito Dei, sed ab humana voluntate, atque adeò nullus locus prædestinationi relinqueretur, sed tantum præscientiæ: quod certè & cum sacris literis, & cum Augustino, imò cum Ecclesiæ doctrina, apertissimè pugnat, quæ Dei prædestinationem semper prædicavit, simile exemplum affertur à Bradwardino nostro, gratiæ Dei strenuissimo assertore, lib. 2. de causa Dei. Si filius (inquit) miles, acceptis à patre naturalibus, ordine atque armis, strenuè militaret, sicque forsitan in superbia erigeretur inflatus, quomodo in ipso eradicaretur superbia, & plantaretur humilitas, si ei ab aliquo diceretur, Non glorietur omnis miles in conspectu patris sui. Ex ipso enim est in militia, ut qui gloriatur, in patre suo glorietur; &, Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? & reliqua superiùs memorata: Posset enim rationabiliter respondere dicendo, quare non deberem de mea militia gloriari? Accepi quidem à Patre meo naturalia mea, quia nullus generat semetipsum; accepi & ordinem, quia nulli conceditur insignire tali ordine semetipsum; accepi & arma, quia similiter & cæteri militum, non nascebar armatus, nec sum faber armorum, debitum tamen usum istorum, qui omnibus prævalet, non accepi ab alio, sed habeo ex meipso: actus strenuos militares non accepi ab alio, sed habeo ex meipso; crebras victorias fama celebri divulgatas non accepi ab alio, sed habeo ex meipso; pro hujusmodi igitur in meipso merito gloriabor, in alio autem nihil; sic & de quolibet milite Jesu Christi.

III. Ratio sumi potest ex eo, quod Deus promisit se nos convertere velle, Ezech. 36. faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis ex quo loco sic argumentamur, Promissio divina per divinam operationem impletur; ergo si Deus promiserit, se velle convertere nos, ipsemet hæc omnia efficaciter facturus est, adhibendo media efficacia talis effectus; cum ergo homo vult pœnitentiam agere, & credere in Christum, ita liberè vult, quod stante divino concursu non possit verificari, quod homo non vult, aliàs potestas Dei adimplendi promissum imperfecta esset; siquidem in hominis potestate esset divinam promissionem frustrare. At cùm non sit in potestate nostra hanc divinam actionem impedire; ergo gratia quam adhibet ad nostram conversionem, erit gratia talis, quæ sit voluntatis determinatrix. Hoc argumento utitur August. lib. de Prædestinatione Sanct. c 10.11. ubi affert illud ex Genes. 17. ubi promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens Patrem multarum gentium posui te. Unde dicit Apostolus: Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, hoc est, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate. Et q. à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Hæc Aug. Et infra c. 11. inquit, Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, q. & nos facimus, & Deus facit ut illa faciamus. Sicut per Ez. dic. Ego faciam ut faciatis. Hæc ille.

IV. Si gratia conversionis non determinet voluntatem tum gratia Dei dat tantum posse convertere, & sola voluntas dat ipsum velle convertere; ergò in opere conversionis potiores partes erunt voluntatis quàm gratiæ, nam majoris virtutis est illud principium quod tribuit actualiter operari, quàm illud quod tribuit solum posse, est enim actus secundus nobilior quàm actus primus vel habitus, ut docent Scholastici, & ratio est, quia actus secundus magis participat de actualitate, & consequenter agens per illum magis assimulatur Deo quàm per habitum, qui potentialitatem quandam & imperfectionem includit. Porrò habitus ordinatur ad actum, tanquam ad finem, propter quem est necessarius ipse habitus. Unde beatitudo secundum receptam sententiam Theologorum consistit essentialiter in actu, & non in habitu, ut rectè Thomas ergo operatio cùm sit ultimus finis, est simpliciter perfectior & nobilior quàm habitus.

 bitus.

bitus. Cùm ergo actus secundus sit simpliciter perfectior & nobilior quàm habitus, ergo & velle convertere erit nobilius, quam posse convertere; ergo Dei donum erit Hoc ipsum velle convertere. Cùm in opere conversionis primæ partes juxta Scripturas Deo debeantur. Ille enim est qui operatur in nobis velle & perficere, ad Philip.2. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Vobis donatum est hoc ipsum credere τὸ πιςεύειν, 2 Tim.2. Deus est qui dat pœnitentiam. Hinc Augustinus, Certum est nos credere cum credimus, sed Deus facit ut credamus; Nos operamur, sed Deus operatur in nobis operari, de bono perseverant. c.3.-Ergo gratia conversionis determinat voluntatem.

V. Si gratia conversionis non determinaret voluntatem, tum positis gratiæ prævenientis auxiliis, quibus in nostra conversione uti solet Deus, voluntas hominis, relinquitur in æquilibrio, velit-ne credere, vel non credere; convertere se ad Deum, vel non convertere; at falsum posterius; ergo & prius, minor probatur. Si enim post omnes divinæ gratiæ operationes, hominis voluntas in æquilibrio relinquetur, necessario sequetur, non Deum per gratiam sed hominem per liberum arbitrium esse principalem causam authoremque ipsius creditionis ac conversionis. Qui enim, omnibus gratiæ suæ viribus exertis, nil aliud valuit quàm voluntatem ad medium quendam æquilibrii statum attollere, is ad novam ab æquilibrio mutationem, hoc est, ad actum credendi concurrit non principaliter aut prædominanter, sed solummodo concomitanter & contingenter, nempe, sub hac conditione, si voluntas ex æquilibrio se prius sua vi naturali dimoverit. Quod ergo minus est, voluntas accepit à Deo, nimirum ut poneretur in indifferenti quadam medietate, ut crederet, vel non crederet; quod autem majus est, ipsumque eventum specificat, sibi ex se præstitit voluntas ipsa, nempe ut actu crederet. Item sequetur, non majorem à Deo gratiam exhibitam electis, quàm non electis, nec illos quàm hos, Deo majori gratitudinis debito obstringi, quandoquidem in utrisque divina manus nil aliud operata sit, quàm voluntatis æquilibrium, quod in puncto consistit, nec latitudinis est capax.

Mitto testimonia Concilii Arausicani II. & Milevitani & Epistolam Synodice Synodi Aphrican. q. plane nostram sententiam astruunt; Augustini etiam, Prosperi & Fulgentii, qui in certaminibus cum reliquiis Pelagianorum & Semipelagianis communem nobiscum causam tuentur, eadem enim fere agitata est tum controversia, cum illa q. jam agitatur inter Remonstrantes & Orthodoxos. Atque ita concludimus juxta explicationes supra positas, utramque Thesin esse veram & verbo Dei consentaneam.

Si gratia conversionis non determinaret voluntatem, tum ipsa bona voluntas non est à Deo, quod si bona voluntas dicatur non esse à Deo quomodo potest bonæ voluntatis causalitas & laus in solidum jure Deo tribui, quomodo pro bonâ voluntate, Gratiæ Deo veraciter possint agi. Hoc argumento docet Augustinus contra Massilienses, Initium fidei esse donum Dei, de prædest. Homil cxix. ubi agens de initio fidei S. Apostolus Gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret, vel nosset non præstitisse, adulatio vel irrisio verius quam gratiarum actio diceretur. Non erremus (inquit Augustinus) Deus non irridetur, donum enim ejus est etiam incipiens fides, ne Apostoli falsa vel falsarum gratiarum actio merito judicetur-& mox, Vanum est atque inane, si cui gratias ageremus de hoc, quod ipse non fecit. Hoc idem c. xx. ex orationibus Ecclesiæ concludit, Fidem esse donum Dei, eo quod à Deo petatur fides, ergo Deus ad actum credendi determinat voluntatem.

Re-

Reprobus quisque suâ solâ insitâ malitiâ perit.

PEr Rebrobum intellige quemque non-electum ad vitam æternam; siquidem reprobationem proprii nominis à qua denominatur quis reprobus, non aliud esse statuimus, quàm negationem præparationis illius specialis misericordiæ & efficacis gratiæ quæ certò & infallibiliter ad vitam æternam transmittit aut perducit. Dicimus Reprobum quemque, cujuscunque conditionis aut ætatis, sive fuerit parvulus, sive fuerit adultus.

Perire.] (*.i.*) Æternaliter perire, sive damnari, sive illâ pœnâ solâ quam Theologi indigitant pœnam damni, seu exclusionem à regno cœlorum; sive etiam illâ quam vocant pœnam sensus, quàm patiuntur damnati in inferno.

Per Malitiam intellige pravitatem, iniquitatem ἀταξίαν, seu culpabilem vitiositatem, quæ Deo personam vituperabilem & exosam reddit.

Per Malitiam Insitam intelligimus malitiam non solùm adventitiam seu extrinsecam, sed & inhærentem personæ reprobi.

Per suam intellige non solùm alienam & imputatam, sed & nativam & ingenitam malitiam, sed & rectè dicitur imputata malitia Adæ, parvulo sua, cùm in eo teste Apostolo, omnes peccarint. Dicimus ejusmodi reprobum non solùm suâ insitâ malitiâ perire, sed & solâ perire. Non tamen volumus hanc vocem solam excludere omnem imputationem alterius culpæ, aut etiam omnem pœnam, quæ etiam culpa sit, quâ Deus aliquando posteros punit ob parentum aut progenitorum peccatum: sed ut hasce excludat ut primarias causas hujusce perditionis reprobi, quippe cùm perditionis hujus primaria causa & quidem sola sit sua insita & inhærens dicta malitia. Porrò, volumus vocem solam ita asserere reprobum solâ suâ insitâ malitiâ perire, ut nihil ex parte Dei excogitabile sit, ex quo necessitas pereundi incumbat cuiquam reprobo, aut non-electo.

Hisce ita præmissis dicimus sensu explicato reprobum quemque suâ solâ insitâ malitiâ perire.

Id quod ostendemus tùm in { adultis / parvulis } tùm { intra Ecclesiam / extra Ecclesiam.

I. Si agatur de adultis qui intra Ecclesiæ pomæria degunt, certum est eorum quemque suâ solâ insitâ malitiâ perire, non solùm actualiter peccando contra lumen naturæ insitum, & lumen moralis legis promulgatum, sed & contra lumen gratiæ in Evangelio oblatum, ad pœnitentiam & fidem gratiosè invitans. Id quod vel inde probatur, quod in Ecclesia, ubi juxta Dei promissionem salus omnibus offertur, ea est ad-

administratio gratiæ, quæ sufficit ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos, quòd suâ culpâ voluntariâ, & vel neglectu, vel contemptu Evangelii perierint, & oblatum beneficium amiserint. De hisce nemini dubium esse potest, quin ex ipso testimonio ipsorum conscientiæ coarguantur aut contemptus lucis oblatæ, aut saltem culpabilis neglectus. De hisce Servator, Joh.15.22. Si non venissem & locutus essem eis, peccatum non haberent; nunc autem prætextum aut excusationem (πρόφασιν) de peccatô suo (incredulitatis) non habent, & Jo.3.19. Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem, quia sunt eorum mala opera, & ad Ebræos 2.3. Apostolus satis docet, multò gravius esse peccatum eorum qui sub Evangelio peccant, quàm qui sub lege Moysis

Si Angelorum sermonem (*i.*) legem latam per Angelos, non licuit impune transgredi; multominùs fas erit Evangelium à Domino Angelorum annunciatum, Apostolorum voce confirmatum, inprimis autem tantâ S. sancti efficaciâ comprobatum negligere, multo magis spernere & contemnere.

II. Ad adultos autem reprobos quod attinet, qui extra Ecclesiæ septum degunt, certum est eos etiam suâ solâ insitâ malitiâ perire, peccando contra legem in cordibus inscriptam. Illi enim cùm extra Ecclesiæ pomæria vitam transigant, illisque Evangelium nullo modo innotescat, inde est quod justè insitâ suâ malitiâ pereant, quòd non instituant vitam conformiter ad legem naturalem, quam habent in cordibus inscriptam. Sic Apostolus, quicunque sine lege [scripta sc.] peccaverint, sine lege [illa] peribunt, Rom.2.12. Ex lege enim scripta in cordibus ipsorum, testimonium reddit eorum conscientia, unde ipsis suis cogitationibus accusantur propter mala facta, vel excusantur propter bona.

Apostolus de Philosophis Gentium agens ad Ro.1. ait eos veritatem Dei in injustitia detinuisse; quatenus veram quam de Deo assecuti sunt notitiam, per injustitiam (*i.*) pravitatem voluntatis insitam supprimebant, & velut captivam apud se detinebant vel non communicando cum aliis, vel per opera pietatis non ostendendo, & adversus omnes eos ibidem pronunciat Apostolus, palam esse iram Dei adversus horum hominum impietatem & injustitiam, & v.20. ostendit Apostolus ex mundi creatione & creaturis, Dei sempiternitatem, potentiam & divinitatem illis perspectam iri, atque hinc ipsos inexcusabiles fieri; quia cùm Deum cognovissent, non tamen eum ut Deum glorificaverunt, nec condignas Deo gratias egerunt. Cum autem non sit salus in alio quopiam expectanda quàm in Christo crucifixo & à mortuis excitato, dicente Petro, Act.4.10.12. Hi omnes cùm fide viva in Christum Redemptorem destituti sint, nihil facere possunt quod Deo placere potest, cùm impossibile sit, teste Apostolo, sine fide placere Deo, unde Prosp. Sent.106; Omnis infidelium vita peccatum est, & quidem certum est neminem fide destitutum vel posse scire verum morale, vel posse facere bonum morale. Proinde tum omnes infideles fide verâ & vivâ destituantur, certum est eos æternaliter perire, juxta illud Servatoris, Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Jo.3.36. & certè ira justa, idque ob insitam suam malitiam, & in ea perseverantiam. Atque adeò adultus nullus est ex reprobis qui non suo vitio & insitâ malitiâ pereat.

Nec quicquam hîc obtendere possunt de non-electione, quâ Deus decrevit istis negare illam efficacem gratiam, quæ certò perduceret ad æternam salutem antecedenter ad prævisam illorum in hac sua insita malitia perseverantiam; ac si Deus hoc decreto author & causa statueretur hujus suæ in hac insita malitia obstinatæ permansionis.

Siquidem respondemus I. hoc decretum non-eligendi, & negandi nonnullis efficacem gratiam quæ certò ad salutem perduceret, esse duntaxat antecedens hujus prævisæ in insita sua malitia permansionis, at nullo modo causam.

Non est autem omne antecedens causa consequentis; nec omne consequens effectus ejus quod antecedit. Si Sol agens esset voluntarium, ex non-emissione radiorum in hanc vel illam aëris partem, consequeretur aëris in illa parte obtenebratio, nemo tamen dixerit, solem esse causam hujus obtenebrationis, aut obtenebrationem illam esse effectum Solis.

II. Certum est decretum non electionis neminem necessitare ad ea peccata com-

mit-

mittenda, propter quæ damnatur. Hoc ex eo perspicuè constat, quod parvuli qui damnantur ob Solum originale, non vi ulla ex decreto non-electionis proveniente, in hunc statum damnabilem conjiciuntur; sed ipsa non-electio eos unà cum tota massa generis humani in hunc damnabilem statum prolapsos invenit.

Quod autem attinet ad actualia peccata ob quæ damnantur reprobi adulti, ipsa deliberatio, ipse mentis discursus & consilium, quo liberè utuntur inter peccandum, ipsum desiderium item & delectatio quam in peccando capiunt, supernaturale item lumen & motus divinitus inditi iis, quibus â peccato patrando retrahuntur, qui in Ecclesiæ gremio degunt, satis evidenter demonstrant, negationem efficacis gratiæ, ex decreto non-electionis, nullo modo eos ad peccatum necessitare sed eos ex solo perverso suæ libertatis usu peccatum perpetrare.

Sed de parvulis multo magis dubitatum est, & quidem an detur in parvulis
1. Ulla insita malitia quæ perditionem mereatur.
2. Reprobatio aliquorum qui ex sua insita malitia pereunt.

Et quidem de I. Pelagiani olim negabant obnoxium nasci hominem peccato primi hominis & vinculo damnationis obstrictum, Augustin. de bon. perseverantiæ, cap.2. Sic hodiè Anabaptistæ. Sociniani jam statuunt, omnes qui nascuntur illius peccati reos nasci, & Remonstrantes in examine censuræ, p.84 negant peccatum Adami sic imputari posteris à Deo, quasi ii revera ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quod Adamus commiserat, essent rei: aut per privationem justitiæ relictum esse in unoquoque Adami filio, ante proprium suum actum, aliquod veri nominis peccatum. Addunt se peccatum originale non habere pro peccato propriè dicto quod Adami posteros odio dignos faciat. Et in resp. ad Specimen 7. Peccatum & originale repugnantia esse, & manifestam continere in adjecto contradictionem.

Adversus hosce errores omnes opponimus Confess. Ecclesiæ nostræ Art.9. qui statuit peccatum originis esse vitium & depravationem naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati——quæ in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur, & quæ in ipsis renatis peccati in sese rationem habet. Id quod ex formula baptismi in rituali nostro & Homiliis de miseria & salute generis humani & de Nativitate Servatoris, & Homilia secunda de Morte & Passione Servatoris luculentissimè confirmatur. Et certè reclamant Scripturæ, citante Homil. de miseriâ humani generis, ad Eph.2. Nos naturâ eramus Filii iræ. David de se Psal.51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum] En, inquit Homilia, non ait in iniquitate, sed in iniquitatibus conceptus sum, numero plurali, eo quod ex uno peccato, & fonte dimanant cætera omnia. Ibid. adducitur illud Job 14 4. Quis facere potest mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?

Ex hisce patet, I. Nos natura esse filios iræ; quomodo naturâ filii iræ, si non ab ortu.

II. hominem esse conceptum in iniquitatibus, & ex immundo semine, in iniquitate reum proculdubio faciente, alioqui quorsum hanc confitentur Deo David in precibus? Porro ut qualis sit hac nativa corruptio perspiciatur, nota Scripturam eam appellare carnem, iniquitatem, immunditiem, mortem animæ, Legem carnis, Legem peccati, Legem membrorum, imò peccatum peccans, quâ occasione mandati operatur in nobis omnium concupiscentiam & in aptam prævaricationem impellit, insuper & occidit. Cypriano hoc peccatum est venenum antiqui Serpentis, & contagium mortis antiquæ. Ambrosio vulnus inflictum dente serpentis. Augustino vulnus inflictum à diabolo: Ambrosio, Homo ratione hujus concupiscentiæ est libidinum volutabrum & diversorium vitiorum. Certè habitualis concupiscentia quæ inest parvulo, per se nihil aliud parit, quàm motus illicitos & inordinatos, cum lege Dei spirituali pugnantes, imò hosce, nobis nolentibus producit in adultis: utque venenum idem est in viperæ progenie atque in ipsa matre; eadem rabies in leunculo atque Leone: ita eadem planè vitiositas & perversitas in parvulo atque adulto; in quo sese quamprimum per ætatem licet, prodit, pravis suis desideriis, odio item rerum spiritualium

tualium & cœlestium, affræni & præcipiti inclinatione ad omnimoda mala. Quis a. non exosum Deo audeat dicere odium habituale rerum cœlestium & spiritualium; tale a. inest in voluntate non-renati. Quis non exosum Deo audeat dicere, quod ipsis renatis oppugnandum & odio habendum est, tanquam vitium abducens atque avertens ab eo quod summè amandum est. Certè lex Dei, cùm sit spiritualis & norma justitiæ exactissima, exigit conformitatem absolutam, non actuum duntaxat voluntatis, sed & dispositionum, sed & inclinationum. Ratio est, quia voluntas est domina humanorum actuum, & ejus inclinatio est inclinatio totius suppositi, unde inclinatio & dispositio ipsius voluntatis, & habitus illi inhærentes sunt causæ proximæ actionum, quæ ipsam potentiam voluntatis ornant, condecorant, perficiunt, si bonæ sint; sin malæ, commaculant, & denigrant. Cùm ergo certum sit vitiosos habitus & dispositiones voluntatis, quales sunt philautia, avaritia, invidia, superbia, in non agentibus, imò in dormientibus vituperabiles esse, & Deo exosos, licèt in actus pravos non erumpunt, cùm excludunt è regno cœlorum, Apostolo dicente, neque avaros, neque ebriosos, neque rapaces (quæ habitus non actus denotant) regnum Dei non possessuros; Certum itidem est horum omnium fontem & scaturiginem, vitiosam, effrænem & præcipitem illam inclinationem ad omnimoda mala, & ad odium rerum spiritualium & cœlestium, quæ prava concupiscentia dici solet, vere itidem culpabilem esse, & Deo exosum. Ac proinde certum est hosce omnes pravos habitus, dispositiones, & inclinationes ἀνομίας esse proprii nominis, & legi spirituali Dei minimè conformes; ac proinde defectus esse culpabiles, vituperabiles, Deo bonisq; omnibus exosos. Cùm ergo in parvulis sit, ab ipsis natalibus, hæc prava concupiscentia, in parvulis itidem erit veri nominis peccatum.

II. Certum est Christum Dominum esse Redemptorem omnium,& passum & mortuum fuisse pro parvulis æquè ac adultis, at Christus non mortuus est nisi pro impiis & peccatoribus, Rom.5.6.8. & pro peccatis propriè dictis mortuus est, justus pro injustis, 1 Pet. 3.18. ergo & parvuli originaliter verè impii, injusti peccatores, alioqui quorsum pro iis λύτρον persolutum. Rectè Zozimus Pontifex apud August. Ep. 157. ad Optatum, Nullus n si qui peccati servus est liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est, Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.] ubi de veri nominis peccato, servitute, libertate, captivitate, & redemptione agit Pontifex.

III. Nisi in peccato parvuli nati & concepti fuerint, quorsum in Vet. Test. institutum est Sacramentum circumcisionis parvulis, octavo à nativitate die, si non ad auferendum reatum nativæ corruptionis, aut quorsum in eo membro jussa fieri, nisi quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium, dicente August. Tract. 30. in Joh. aut quod aliud denotat circumcisio præputii, aut denotare potest, quàm ablationem originalis, reatus cum quo quisque nascitur.

IV. Quorsum institutum mysterium Baptismi à Domino in Novo Testam. quod circumcisioni succederet, & quorsum more ab Apostolorum temporibus accepto, baptizantur parvuli, in universali ecclesia, nisi ad abluendum originalem reatum cum quo quisque nascitur, aut quid aliud denotat ritus ablutionis, quàm ante ablutionem nos nasci cum originali immunditia & reatu; & post ablutionem eundem auferri, nec ampliùs imputari: aut quid aliud sonat, Ego te baptizo, ego te lavo, ego te abluo, hoc lavacro regenerationis, quàm ego te abluo a reatu originali, in quo conceptus & natus es. Unde illud in Symbolo fidei posuerunt Constantinopolitani PP. Credo unum baptismum in remissionem peccatorum.

Addo Augustinum passim urgere contra Pelagianos Ecclesiam semper habuisse, semper tenuisse parvulorum baptismum, id quod Pelagiani negare non potuerunt. Imò Cœlestius primarius Pelagii discipulus in libello quem Romæ edidit, fassus est infantes baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, & secundum Evangelii sententiam, teste August.lib.2. de peccato originali; cap.5. Sed & hoc ipsum apertissimè liquet, tum ex consensu Patrum qui ante exortum Pelagii vixerunt, Justini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani & reliquorum; tum etiam Conciliorum, quæ contra Pelagium & Pelagianos coacta sunt. Carth.1. Diospolit. Carth.2. Milevitan.

Adde

Adde & Canon. 110. Carth. 111. cui interfuerunt CCXVII Patres. Canon sic habet. Item placuit ut quicunque parvulos recentes, ab uteris matrum baptizandos "negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam "trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde sit conse- "quens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed fal- "sa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, quod ait A- "postolus, Per unum hominum peccatum intravit in mundum, & per peccatum "mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: nisi quem- "admodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc e- "nim regulam fidei etiam parvuli qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere "potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur: ut in eis rege- "neratione mundetur, quod regeneratione traxerunt.]

Mitto Arausican. 11. cap 2. Mitto Romanorum Vet. Pontif. responsa. Innocentii I. Zosimi, Cœlestini, Leonis & aliorum, quæ omnia huic veritati astipulantur & fidem faciunt. Ex hisce efficitur veri nominis peccatum, & peccati malitiam inesse parvulis, quæ perditionem meretur.

Jam si secundò quæratur, an detur in parvulis reprobatio aliquorum, qui in hac sua insita malitia pereunt.

I. Certum est ex præmissis insitam esse parvulis illam insitam peccati malitiam, quæ æternam perditionem meretur.

II. Certum est hanc malitiam non auferri parvulis nisi per applicationem mortis & meriti Christi; quomodo nec infectio venenata, nisi & applicatione antidoti, nec vulnus nisi ex applicatione emplastri.

III. Æquè certum est, applicationem hanc non fieri universaliter parvulis immediatè, imò non ordinariè nisi mediis ordinatis adhibitis.

IV. Certum porro est, non existere alia media ordinaria ordinata à Deo, aut à Christo parvulis ad applicationem mortis & meriti Christi in N. T. quam baptismum aut re aut voto vel parentum, vel sistentium fidelium baptizandos, susceptum; idque ex usu universalis Ecclesiæ, quæ non solet ad baptismum admittere Turcarum, Judæorum, Ethnicorum parvulos, absque susceptoribus fidelibus.

V. Æquè certum est illud Augustini, Non esse ulli ullum medium locum ne parvulis assignandum, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo.

Ex hisce constari potest ex innumeris illis parvulis, qui in illa minore ætate moriuntur aliquos mori, quorum non est expiata insita sua malitia sanguine Christi applicato ac proinde horum necesse est ab æterno præcessisse non-electionem, seu reprobationem negativam & divina libertate, cùm certum sit non fuisse electos; & reprobationem item positivam ex prævisa eorum in sua insita malitia, nullo modo expiata, perseverantia finali; unde necesse est, ut reprobi isti, suâ solâ insitâ malitiâ pereant. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Atque ita concludimus.

Tempus jam monet (Doctiss. Resp.) ut receptui canamus. Satis experti sumus tuam in hoc Theologico pulvere certandi peritiam Macte tua virtute & eruditione cujus specimen non vulgare hodierno certamine edidisti. Te jam ex hac palæstra tuâ merita cum laude dimittimus, liberamus.

Te autem Venerande Pater, æquum jam est tibimet ipsi indulgere post tot ac tantos præclarè defunctos labores. Te quotannis in hoc amplissimo theatro eloquentiæ & ingenii dotibus eximiis triumphantem merito conspicere gestit alma Mater Academia, dum omnia Patris munia tam exquisite obeas & exequaris, dum disputando ingenii nervos contendis, dum filios instituis, dum iis honores publicè decernis. Nos tibi hunc honorem merito debitissimum serio gratulamur, quem indies auctiorem cupimus, exoptamus.

Vobis etiam optimi Patris filiis est quod gratulemur, quibus Doctoratus insignia contulit Venerandus Pater, decrevit indulgentissima mater Academia.

Spartam vestram ornate, Depositum custoditè inviolatum tum { Doctrinæ. / Disciplinæ.

Almæ Matris honore nihil prius, nihil antiquius habetote.

Superest

Supereſt jam, Auditores Spectatiſſimi, ut vobis qui undequaque tanta frequentia huc confluxiſtis gratias & agamus, & habeamus maximas, quos tam benevolos & attentos experti ſumus, præſertim quod certantibus in pulvere hoc Theologico aures tam avidas, & benignas præbuiſtis. Quo nomine gratiarum victimas vobis immolat Honoranda Mater.

Vos viciſſim Almæ Matri anniverſaria ſua comitia celebranti omnia fauſta & fœlicia precamini.

Jam ſupereſt hujus noſtri laboris ſuprema pars. Ut de quæſtionibus modo ventilatis calculum noſtrum adjiciamus.



Concupiſcentia in renatis eſt peccatum.

Convenit Nobis cum Romanenſibus in noſtra renaſcentia,

1. Concupiſcentiæ reatum actualem ex Dei in Chriſto miſericordia ſolvi.

2. Ejus dominium etiam ex gratiæ regenerationis inhabitatione tolli.

3. Reliquias haſce concupiſcentiæ rem eſſe malam, inordinatam, vitioſam, Deo diſplicentem, crucifigendam, mortificandam, deſtruendam, odio habendam.

4. Eſſe in renatis incitatricem & ſolicitatricem ad peccatum propriè dictum.

5. Eſſe quandam iniquitatem & obliquitatem, non ſolùm contra dominatum mentis, ſed etiam contra Legem Dei, ideoque in eâdem prohiberi, atque ideo Deo diſplicere: Sic Stapletonus. Sed in eis diſſentimus, quod Romanenſes volunt haſce reliquias nullam formalem repugnantiam habere cum ulla lege cujus prævaricatio ſit peccatum, atque adeo non eſſe hanc relictam concupiſcentiam, peccatum proprii nominis, ac proinde ſuâ naturâ non eſſe reatus inductivam, nec pœnæ ullius ſuâ naturâ eſſe meritoriam, ac odio habendam non niſi ut morbum & languorem naturæ quomodo Medico febris aut infirmitas, & ut incitatricem ad peccatum propriè dictum, non tamen culpabilem.

Remonſtrantes Belgici in confeſſione ſua nuper edita videntur conſtituere totam rationem Originalis peccati in ſolo primo Adami peccato imputato. Arminius ipſe addit etiam conſiſtere in privatione Originalis juſtitiæ, ac concupiſcentiæ pravæ neutri ullam rationem habent; ac ſi originalis peccati in non-renatis, multò minùs in renatis nulla pars eſſet. Arminio adhæret Author hiſtoriæ Pelagianæ, qui alioqui vir diligens & doctus, nimium in dogmaticis premit Jeſuitarum veſtigia. Et quidem ubi de Concupiſcentia agit, notabo unum aut alterum locum, cùm poſſem plura.

P. 223.

P.223. Concupiſcentiam Auguſtino ait, Ne quidem propriè peccatum dici in irregenitis, id quod probare in ſequentibus nititur ratione adhibita. Quomodo pronitatem concupiſcendi malum pro peccato propriè dicto habuiſſet, qui ne quidem pro peccatis habet primos concupiſcentiæ motus, niſi acceſſerit conſenſus? Quod quibuſdam locis probare nititur, in quibus tamen . . fallitur, nam loci citati non aliud evincunt, quam non eſſe peccata novo reatu renatum implicantia, cùm in regeneratione una cum matre concupiſcentia, remittantur. Ut ſi indigeant remiſſione.

P.217. Vult concupiſcentiam ex Auguſtini ſententia, non repugnare legi Dei formaliter, ſed tantum efficienter, qua in re cum Bellarmino planè conſentit, concupiſcentiam, vitia & vitioſos habitus non eſſe peccata, ſed ad peccandum tantum allicere & trahere; quæ à Jeſuitis hauſit, & falſiſſima ſunt; nam licet vis concupiſcendi efficienter tantum pugnet cum Lege Dei, ut & potentiæ quibus ſubjectivè inſunt vitioſi habitus, tamen ipſa pravitas & vitioſitas tum concupiſcentiæ tum vitioſorum habituum formaliter pugnant, tum cum lege morali, tum cum gratia divina, ut poſtea docebimus.

Noſtra Eccleſia Artic. 9. ſuæ Confeſſionis, & reliqui Theologi, Evangelici conformiter Sacræ Scripturæ & Antiquitati imprimis Auguſtino unanimiter (exceptis iis quorum ſupra memini) contendunt ipſam concupiſcentiam, quatenus denotat deordinationem virium animæ tam ſuperiorum in mente & voluntate; quàm inferiorum in appetitu ſenſitivo & affectibus, non tantùm in non-renatis, ſed & in ipſis renatis eſſe peccatum veri nominis; licet in iſtis ejus reatus actualis, tum dominium & regnum auferantur.

Hæc Noſtra Aſſertio jam confirmanda eſt & munienda: 1. Ex Scripturis. Ex Apoſtolo Paulo, qui cap.6.7. & 8. Romanos quaterdecies peccati nomine hanc concupiſcentiam inſignivit. Unum aut alterum proferam. Rom.6.12. Hortatur Apoſtolus Romanos renatos in hunc modum ne regnet peccatum in mortali veſtro corpore ut obediatis peccato in cupiditatibus ejus; & ut Auguſtinus rectè animadvertit. Tractat. 40. in Joan. Non ait, Non ſit, ſed non regnet peccatum in mortali veſtro corpore.

Bellarm. reſpondet, Concupiſcentiam hic appellari peccatum impropriè, quod ſit cauſa peccati ſi ei obediatur.

Solut. At agit de peccato propriè dicto quod patet,

1. Ex eo quod intelligit tale peccatum quod opponitur gratiæ ut patet ex verſ.1.

2. Loquitur de illo peccato quod abluitur baptiſmo, quale non eſt ullum niſi peccatum propriè dictum.

3. De peccato, quod Chriſtus cruci affigebat, ver.6.

4. Ver,18. & 20. idem peccatum opponitur juſtitiæ, liberati à peccato municipati eſtis juſtitiæ.

5. Idem peccatum appellat iniquitatem & impuritatem, ut liquet ex collat. ver. 13. & 19.

2. Alter locus habetur ad Rom.7 7, peccatum, inquit Paulus, non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces. Hîc Paulus apertè teſtatur concupiſcentiam eſſe peccatum propriè dictum.

Nam 1. dicit ſe cognoviſſe peccatum per legem. 2. Ait peccatum illud fuiſſe concupiſcentiam. 3. Legem per quam cognovit illud fuiſſe præceptum ultimum ne concupiſcito.

Object. Bellarm. Concupiſcentia hic accipitur non pro fomite, ſed pro actu voluntario concupiſcendi, qui prohibitus eſt lege, mandato ſcil. ultimo. Nam non cognoſcebant homines actus interiores, ut deſiderium uxoris vel rei alienæ eſſe peccata, niſi Lex dixiſſet. Ne concupiſcito, quod patet ex Matth.5.

Sol. Sed falſum hoc. Nam 1. Ex contextu manifeſtò evincitur, Apoſtolum agere de peccato inhabitante & pravitate naturæ, tum ex antecedentibus & hoc verſu, tum ex omnibus fere ſequentibus, ver.9,11,13,17,20,23.

2. Paulus planè refellit hanc interpretationem agit enim de ea cupiditate quæ molesta fuit menti servienti legi Dei, & addit se per illam facere malum quod oderit, & de hoc genere cupiditatis exclamat. Quis me liberabit de corpore mortis hujus, & addit se invitum & reclamantem ad illam captivum trahi, & Legem Spiritualem esse, se verò carnalem & venundatum sub peccato.

3. Christus Matth. 5. docet concupiscentiæ actum voluntarium quatenus castitati cordis repugnat prohiberi mandato septimo, ubi ait, Qui viderit proximi uxorem sui ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Eâdem ratione dici potest, si appetas domum, agrum, bovem, servum proximi, jam furatus es in corde. Hinc & 1 Joan. 3. 15. Joannes docet internum proximi in corde odium esse homicidium, atque ita prohiberi mandato sexto, ergo alia concupiscentia quàm interna illa cum consensu prohibetur mandato ultimo, alioqui efficeretur 10. non esse præcepta sed 9. tantum. Nam ex hac hypothesi sequetur postremum, novum non esse mandatum, sed superiorum tantum quod ad internum adulterium, furtum, homicidium attinet, repetitionem.

4. Ex Lege Naturæ, omnes homines tàm Ethnici, quàm Christiani nôrunt alienum nihil concupiscendum actu voluntario: & licet fieri potuit ut in nonnullis (in quibus erant Pharisæi) hoc lumen extinctum erat, tamen hanc concupiscentiam communis ratio semper improbavit.

Sic XII. Tabulæ Romano citante Crasso apud Cicer. sub finem lib. 1. de Orator. Authoritate nutuque Legum docemur ab alienis mentes, animas, manus abstinere. Et Philemon Comicus Poeta apud Justin. Martyr. de Monarch. ait, Hominem bonum quem Deus diligit, oportere alienum nihil aspicere vel appetere, non fœminam præstantem, non domum, non puerum, aut ancillam, aut equos, non boves aut jumentorum aliquid, ne filum acus. Si igitur ratio naturalis dictet alienum nihil concupiscendum, ne filum acus tum actum voluntarium internum prohibet. Atque hic obiter mirari satis nequeo Archiepiscopi Spalatensis Novellum assertum qui dicere non dubitat, motus internos voluntarios ad actum externum peccati, in lege naturæ ante præceptum Mosaicum non concupisces, non fuisse peccatum, aut saltem non imputatum fuisse.

Ac proinde Legem Naturalem non dictare hosce motus esse veri nominis peccatum: at contrarium constat ex instantiis allatis. Paulus ergò Rom. 7. 7. loquitur de ea concupiscentia quam nemo nisi Lege edoctus malam esse vel levi suspicione sequi potuisset: ergo ipsum fomitem damnat, & actus involuntarios inde profectos.

5. Licet verbis præcepti, actus concupiscentiæ tantum exprimatur, tamen actus solus non prohibetur.

Nam ut in 6. Homicidium, in 7. Adulterium, in 8. Furtum tantum exprimitur, & tamen interni morbi iræ, alienæ uxoris concupiscentiæ & avaritiæ prohibentur. Ex interpretatione Christi Matth. 5.

Ita etiam 10. Præcepto actus concupiscendi verbis tantum exprimitur, sed morbus seu vitium concupiscendi quod Deus adversatur & prohibet simul intelligitur.

2. Idem patet ex ambitu Legis divinæ, quæ cum sit spiritualis & norma justitiæ exactissima, conformitatem absolutam non solùm actuum, sed & habituum, sed & dispositionum, sed & inclinationum & affectuum exigit. Utpote quæ actionum ipsarum fontes & principia sunt, ipsasque animæ potentias ornant, condecorant & perficiunt si bonæ fuerint, sin pravæ commaculant & denigrant.

Cùm ergo certum sit vitiosos habitus & dispositiones, quales sunt Avaritia, Invidia, Iracundia etiam in dormientibus per se vituperabiles & odio dignos & pœna esse, licet in actus pravos non erumpant: Idem certè pronunciandum est de maculis & deformitatibus ipsorum affectuum & inclinationum tum superiorum tum inferiorum animæ potentiarum. Id quod vel inde constabit, quod omnes actiones pravæ nihil aliud sunt quàm Concupiscentiæ actuales, & actus proprii concupiscentiæ hujus habitualis.

——Quarecum ipsis Renatis in omnibus animæ potentiis fixa maneat hæc habitualis concupiscentia ex parte, & reliquiæ harum macularum & deformitatum, rectissimè pro-

pronunciamus, hasce concupiscentiæ reliquias in se culpabiles esse, si ad legis divinæ perfectissimam normam exigantur, licet renatis ex misericordia Dei minimè imputentur.

III. Idem evincitur ex eo, quod vitiosi concupiscentiæ impetus & eorum fomes in ipsis renatis formaliter pugnent cum Lege Dei, 1.Cum Lege morali, cum Mandato primo & maximo, 2. Cum Mandato ultimo. 1. Cum Mandato primo. Tenetur homo diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, ex totis viribus, & qui sic non diligit, hoc ipso peccat. At concupiscentiæ pravæ reliquiæ adhuc in istis animæ potentiis superstites formaliter impediunt, quo minùs hanc legem Dilectionis perfectè impleamus, ergò in veri nominis peccatis sunt connumerandæ. Dices Legem hanc doctrinalem tantum esse non obligatoriam, & indicativam finis quo tendendum, non imperativam mediorum sub pœna reatus, ac proinde perfectæ charitatis defectum non esse culpabilem. *Resp.* Ineptissimum est dicere maximum Legis mandatum à quo universa Lex pendet, esse minimè obligatorium, cum vis obligatoria,ut alibi Bellar. sit de essentiâ cujuslibet Legis. Lex enim dicitur à ligando, ut Thomas, & habet ἀναγκαστικὴν δύναμιν juxta Aristot. vim cogendi & necessitandi, atque certè ita cogit lex divina, ut levissima ab illâ recessio sit peccatum in moribus.

Quantò certiùs Augustinus pronunciavit. Plenissima charitas quæ jam non potest augeri, quamdiu hîc homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, in vitio est, propter quod vitium si dixerimus quod peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.]En defectum plenissimæ charitatis (*.i.*) vitium & peccatum appellat. Et si vitium & peccatum quomodo ad illud vitandum non obligamur. Prodeat alter locus lib. de perfect. justitiæ Resp. 15. Peccatum est cùm vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit, quia si potest, præsens voluntas hoc facit, si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.]Ecce defectum charitatis quæ esse debet[plenissimæ *sc.*charitatis]peccatum appellat,sive vitari possit sive non.Prodeat tertius locus l.3. contra 2.Ep.Pelagian. c.7.ubi ait, virtutem quæ nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat,etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio.

Sic enim omnis virtutis imperfectionem & agnoscere & confiteri teneamur, tum culpabilis est illa imperfectio,cum non nisi culpam confiteri teneamur, ac proinde ex mente Augustini sola virtus beatifica est inculpabilis & perfecta. 2. Cum ultimo mandato, Non concupisces, id quod sæpissimè Augustinus docet, quamvis enim vis concupiscendi non nisi efficienter pugnet cum lege Dei, pravitas tamen hujus concupiscentiæ & motuum ejusdem, formaliter pugnat cum legis hujus prohibitione. Sic homicida & latro pugnant cum lege tantùm effectivè, at homicidium & latrocinium pugnant formaliter.

Id quod negari non potest de pravitatis reliquiis quæ supersunt adhuc in voluntate non-renata. At dicent pravitatem illam quæ inest appetitui sensitivo non itidem formaliter pugnare cum lege, cùm tantum sit incitatrix ad peccatum & nobis invitis & reluctantibus oboriatur. *Resp.* Hanc ipsam pravitatem cùm per se ac suapte natura & proprio suo actu formaliter incitet & alliciat ad peccatum, illam potentiam quæ apta nata est ductum voluntatis sequi; quantumvis involuntaria fuerit, tamen ipsam sensualitatem hoc ipso, legi inconformem reddere,ac proinde damnari hac lege, & Deo merito odio haberi in se, licet non odio redundante in personam. 2. Formaliter pugnant vitiosi isti motus & dictus fomes cum Lege primæ institutionis humanæ naturæ, licet enim in brutis & in homine quoad partem brutam non sit peccatum reum faciens, si non planè conformentur, primæ suæ institutioni in qua crearentur, v. gr.Si canis rabidus fuerit aut surdus, aut corpus hominis morbidum, aut vis concoctrix languida tamen si intellectus & voluntas, aut appetitus sensitivus hominis sani,Legi 1. institutionis, qua in originali justitiæ conditæ sunt non conformentur sequitur peccatum reum faciens.

Licet enim penes Adamum non fuit, qualiter conderetur, tamen penes eum erat in eo statu in quo conditus erat, permansisse. Imò ex Lege primæ hujus institutionis tenebatur justitiam originalem sub pœna peccati & conservare & posteris propagare,

eo planè modo quo & Angeli tenebantur rectitudinem, in qua conditi sunt, custodire, quorum nonnulli facti desertores cùm originem suam non servârint, ut notat Apostolus Judas, vinculis æternis adjudicantur.

Nec obstat quod appetitus sensitivus non sit liber formaliter, nam cum aptus natus sit imperio voluntatis obtemperare, si non obtemperet, non tantùm est obliquitas naturalis, qualis est in crure si curvum nascatur, sed etiam iniquitas reatus inductiva. Hinc Aug. l. 2. contr. Jul. Iniquum est ut caro concupiscat contra spiritum. Et l. 5. c. 3. ait Concupiscentiam non tantùm esse causam peccati, & effectum peccati, sed peccatum, quia est iniquitas contra dominatum mentis. Et l. 6. c. 8. Neque enim ulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur. Cùm ergo ratione harum reliquiarum concupiscentiæ, nemo quantumvis renatus non sentiat in se hanc rebellionem & contumaciam carnis adversus spiritum, restat ut pronunciemus eam hac ex parte Legi primæ suæ institutionis minimè conformari, atque hunc conformitatis defectum suâ naturâ culpæ deputari posse, si misericordia Dei non interpellaret. Id quod vel inde confirmatur, quòd Scriptura exigit à nobis amissæ imaginis Dei instaurationem, & mentis & cordis renovationem, nec sanctas actiones tantùm, sed & sanctos affectus juxta illud, sancti estote quia ego sanctus sum.

IV. Concupiscentiæ reliquiæ & earundem motus pugnant cum justitia Originali & ejus motibus, ergo sunt veri nominis injustitia, ac proinde peccatum. Quod enim formaliter expellit justitiam, non potest esse nisi injustitia & peccatum proprii nominis. Addo hasce easdem reliquias & earum impetus pugnare etiam formaliter cum justitia & gratia in nostra renascentia infusa & ingenerata. Hinc Apostolus ad Gal 5. Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis] Hic caro spiritui formaliter opponitur, nam certum est hæc duo opponi, nam Apostolus ait (τὰ γὰρ ἀντίκειται) sed non intelligit aliam oppositionem quàm formalem. Sive enim carnem & Spiritum dicamus opponi positivè sive privativè, tamen utrobique formalis erit oppositio, cum tam privatio & habitus quàm qualitates contrariæ formaliter opponantur. Quod si per carnem & spiritum intelligamus ipsam animam, seu hominem in quibus istæ formæ oppositæ insunt, tamen hæc ipsa subjecta opponuntur formaliter, ratione harum formarum oppositarum. Cum autem homo quantumvis renatus sit, semper tamen habeat carnem spiritui obluctantem, & legem membrorum ἀντιστρατευόμενον formaliter legi mentis, ergo hæ carnis reliquiæ formaliter sunt peccata.

V. Idem demonstratur ex eo quod ratione influxus harum reliquiarum concupiscentiæ in optimos quosq; renatorum actus, aliquis culpabilis defectus & obliquitas sese pariter ingerat. Id quod ex Principiorum nostrorum actuum depravatione tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis ostendi potest. Et quidem 1. ex parte intellectus, Intellectui nostro adhæret non solum ignorantia puræ negationis qualis in parvulis & amentibus reperitur, sed & ignorantia pravæ dispositionis qua perversè opinamur, vel nos scire quod nescimus, vel saltem quod non verè scimus prout est, præsertim in negotio religionis, & iis quæ spectant ad pietatem erga Deum, & charitatem erga proximum, non obstante supernaturali illuminatione Spiritus Sancti. Cùm ergo lumen gratiæ non penitus intellectum afficiat & collustret, quin adhuc supersunt reliquiæ hujus ignorantiæ κατὰ διάθεσιν, necesse est ut voluntas non tantum imperfectè sed & perversè & inordinatè ex parte dirigatur ab intellectu, ac per consequens sensualis etiam appetitus: unde conficitur in omni opere bono, quod mediante nostro intellectu & voluntate & appetitu suscipitur & perficitur, aliquam ἀταξίαν inesse. Orta enim attestantur principiis, nec effectus excedit virtutem suæ causæ. 2. Idem porrò demonstratur ex parte voluntatis. Voluntas est Domina nostrarum actionum & inclinatio totius suppositi ut notum est, Cum igitur voluntas nondum renata habeat propensionem ingenitam effrænem & præcipitem ad omnimoda mala, & renata inditam habeat contrariam propensionem quâ ad bonum fertur, non tamen hoc fit absque aliqua prioris propensionis renitentia. Hinc fit ut licet gratia Spiritus tandem vincat carnis impetum, renitatur tamen caro & retundat Spiritus efficaciam, & vim ejus in singulis actibus aliqua ex parte semper retardet. Quemadmodum enim motus

gravium per aerem vel aquam impeditur à medio ut non possit grave toto impetu ferri ad centrum (quomodo fieret in vacuo) sed aliquatenus retardatur plus aut minus pro medii diversitate. Ita se res habet in negotio carnis & Spiritus. Nostræ enim voluntates in suis propensionibus ad bonum ad quod incitantur auxiliis gratiæ, retardantur ab insitæ concupiscentiæ reliquiis, quo minus possint ferri toto impetu & propensione in bonum.

VI. Concupiscentia hæc in non-renatis est veri nominis peccatum, id quod primarii nominis Pontificii cum Augustino & Lombardo ultro fatentur, in quibus sunt præter Scholasticos plerosque antiquos Stapletonus, Estius, & alii. Ergo & in renatis erit veri nominis peccatum; licet enim tolluntur in regeneratione, tum reatus, tum dominium peccati, tamen insita vitiositas & rebellio qua cum lege divina & gratia infusa formaliter pugnat, minuitur tantum non tollitur, non mutatur. Nam reatus cum sit quiddam extrinsecum & accidentarium separabile est, ac proinde potest tolli nec mutatâ nec sublata vitiositate: sic & Dominio Concupiscentiæ sublato, non tollitur aut mutatur natura hujus rebellis concupiscentiæ, licet vires minuantur. At gradus non minuit essentiam: & magis & minus non diversificant speciem. Quare si concupiscentiæ pravitas ante regenerationem peccatum sit, ob formalem quam habet cum lege pugnantiam, ergo & post regenerationem, cùm dicta pravitas licet viribus attenuata adhuc maneat, nec tollatur aut mutetur, sed tantum minuatur. Dices non manere eandem secundum peccati rationem, quia ante baptismum dominatur menti, & vel actu vel virtute voluntaria est, sed post baptismum superata est, & perempta atq; involuntaria, & proinde in ea desinit ratio peccati, ut patet ex Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remissione c. 28. Sol. Negatur non eandem esse secundum peccati rationem, nam & ante & post renascentiam peccatum est: neque enim ideo peccatum non est, quia dominium amisit in renatis, nam non absolutè dominatur gratia in ipsis renatis, quin aliquando à carne rebelli superatur; nec planè perimitur, cùm sæpè reviviscat, neque involuntaria planè est, cùm sæpè nimium complaceant affectus carnis rebelles. Ipsa voluntas renati adhuc ex parte propensitatem ad malum, difficultatem ad bonum experitur, multo magis appetitus sensitivus. Non igitur in regeneratione gratia perfectè subigit concupiscentiam voluntatis & affectuum. Id quod clarè docet lucta carnis & Spiritus, quam sentiunt in se vel sanctissimi quique ut Paulus sui-ipsius exemplo satis luculenter docet. Nec Augustinus ait absolutè peccatum hoc in renatis superatum & peremptum esse, sed manet (inquit) in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat, & in regnum proprium dominationemque revocetur.] Quia tanquam superatum & peremptum est, quatenus dominio & reatu suo spoliatur, non autem omni vitiositate, qua manente peccati ratio non totaliter tollitur.

VII. Concupiscentia hæc etiam in renatis est vitiosa, mala, inordinata, crucifigenda, mortificanda, Deo & renatis exosa, eo quod ad peccatum sua natura formaliter incitat & allicit, ergo in se est pœnæ meritoria, & odio digna, licet interveniente misericordia divina personam Deo exosam non reddat. Ergo & veri nominis peccatum est, nihil enim est pœnæ in se meritorium, nisi cui adhæret reatus culpæ, & quod in se verè culpabile est.

Bo-



Bona opera per peccatum mortificata revivifcunt per pœnitentiam.

Quod Cyprianus olim de lapsis Christianis in celebri illa Epistola ad Antonianum, non mortuos eos sed potius semi-animes jacere ——quoniam in illis est quod pœnitentiâ sequente, revalescat ad fidem. Id de bonis operibus renatorum per peccatum mortificatis, usurpare licet, ea per pœnitentiam denuò reviviscere & revalescere ad præmium.

Opera moralia juxta Scholam vel sunt
- Mortu", qualia sunt omnia, quæ fiunt ab homine in statu peccati.
- Viva, quæ ex gratia & charitate dimanant.
- Mortificata quæ viva quidem prodierunt sed quorum per peccatum grave superveniens vis & efficacia retunditur.

Agitur hîc de bonis operibus seu vivis.

Ut opus sit bonum requiritur
1. Ut sit à Deo in lege præscriptum.
2. Ut homo certè nôrit esse in lege præscriptum.
3. Ut ex animo Deo obedienti fiat.
4. Ut ex fide in Christum fiat.
5. Ut ad Dei gloriam referatur,

Ejusmodi bona opera si fiant à persona Deo grata & accepta, Deo grata sunt & accepta imò ad pramium ordinata, & ex Dei gratiosa promissione remunerabilia.

Ejusmodi tamen opera per novum peccatum superveniens, dicuntur mortificata, quando à suo proprio effectu & operatione impediuntur, ut enim res viva per mortem perdit operationem vitæ: sic res per analogiam mortificari dicuntur, quando à suo proprio effectu vel operatione impediuntur, effectus autem operum bonorum quæ à fide & gratia dimanant, ex ordinatione & pacto divino, est perducere ad vitam æternam; Qui tamen effectus intercedente gravi peccato, interciditur: utpote quo, dicta bona opera mortificantur ut ita dicam; & proprio suo effectu & operatione perducendi ad vitam destituantur adeò ut horum vis durante illius peccati reatu, suspendatur.

Dicimus tamen hæc ipsa opera, per peccatum grave mortificata, per pœnitentiam re-

revivifcere & priftinum vigorem & virtutem perducendi ad vitam, recuperare. Duo ergo hic breviter demonftranda.

I. Bona opera per novum grave peccatum mortificari; quomodo bona opera Davidis, ante homicidium & adulterium perpetrata, facta durante horum reatu, mortificari rectè dicebantur. Probatur Rom.8.13. Apoftolus alloquitur renatos, fi fecundum carnem vixeritis, moriemini, & ad Gal.5.21. Poft enumerationem operum carnis, fubjicit, qui talia agunt regnum Dei non confequentur. Renati ergo graviter peccantes, reatum damnabilem contrahunt & durante illo reatu omnia bona opera facta ante contractum reatum, proprio fuo effectu & virtute perducendi ad vitam pro illo tempore deftituuntur.

II. Secundum quod demonftrandum fupereft; hæc ipfa bona opera renatorum mortificata, per pœnitentiam revivifcere. Atque hoc eft quod potiffimum quæritur hîc.

Dices fi bona opera renatorum, durante reatu illius novi peccati mortificentur, quid fit de horum operum vita in hoc temporis interftitio, cum ipfa opera fint actus tranfeuntes, nec amplius exiftunt in rerum natura, poftquam tranfierunt.

Sol. Refpondendum vitalem vim horum operum non amplius exiftere in rerum natura, afservari tamen in repofitorio acceptationis divinæ; atque remoto impedimento novi peccati interpofito, Deum iterum opera illa ad vitam æternam acceptare. Probatur primo ex iis locis Scripturæ, ubi dicitur Deum ita remittere peccata, ut eorum non amplius recordetur, Ezek.18.12. ut peccata amplius non imputentur, Ezek.33.16. Davidus beatum pronunciat, cui Deus non imputat peccatum, Pfal.32.2. Deus, pœnitentiam agentium peccata, projiciet in profundum maris, Mich.7.20. Revivifcunt ergo bona opera renatorum peccantium. Alioqui non omnino diceretur Deus peccati oblitus, fi propter peccatum novum præcedentia bona opera mercede fuâ in æternum fruftrarentur. Ex quibus locis conficitur peccata femel remiffa non redire. Quin, ut rectè Scotus [in 4. dift.22.q.1. art.21.] In mortali remiffo nec jus vindicandi manere Deo, nec actionem, quia nec Deus (inquit) habet jus vindicandi in iftum cui remittitur, ita enim perfectè texit peccatum iftius, & remifit, ut nec actio fibi remaneat ad vindicandum]. Hæc Scotus, unde porro inferimus. Quomodo pœnitentiâ & fide in Chriftum & ejus merita, omnia mala opera ante converfionem commiffa, fimul & femel remittuntur ut nunquam redeant: ita fimili ratione de bonis operibus poft converfionem præftitis fentiendum, etfi gravi peccato novo fuperveniente vis & efficacia eorum perducendi ad vitam retundatur, fufpendatur, mortificetur, & (ut fit in animi deliquio) ftupore quodam corripiatur ad tempus; tamen accedente feriâ pœnitentiâ, fiduciâ item in Chrifti merita & fatisfactionem, ob hujus novi peccati remiffionem; hæc ipfa revivifcere piè credendum eft, vigorem priftinum recuperare, & fine dubio præmio vitæ æternæ poft hanc vitam coronanda fore: [probatur item ex Apoftolo ad Heb.6. Non eft injuftus Deus ut oblivifcatur operis veftri] ubi agit Apoftolus de operibus mifericordiæ & fraternæ dilectionis Hebræorum, aitque Deum ex juftitia fua feu fidelitate in probandis promiffis, non ut debita mercede fraudentur: Quo loco Apoftolus non agit tantum de operibus vivis fed de operibus per peccata mortificatis, ubi per pœnitentiam revivifcant fic Gloffa interlinearis, & Gloffa ordinaria.]

Quæri hîc poteft quo in ftatu fit peccator, cujus bona opera mortificantur, priufquam revivifcant illa opera per pœnitentiam. Nunquid in illo temporis interftitio ubi ut diximus manent illa opera in acceptationis divinæ reconditorio, jus illud retineant ad vitam æternam quod habuerunt ante grave illud peccatum admiffum?

Sol. R. Rectè dici illa opera bona à fide & charitate profecta, jus ad vitam æternam facienti ex promiffione divina conferre; dicimus etiam eadem bona opera non obftante novo fuperveniente peccato, jus femel acquifitum retinere, licet propter impedimentum hoc acceffiorum ex gravi peccato, jure hoc fuo uti non poteft peccator. Idque optimè illuftrat Scotus [in 4. dift.22. q.1. art.2.] exemplo defumpto è jure civili, ubi alicui remanere poteft aliquod jus, cui tamen vel non remanet vel non competit actio propter aliquod impedimentum: Ita habenti bona opera in acceptatione

tione divina; mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum jus quod illis correspondet ad vitam æternam. Sed non (inquit) remanet actio, quamdiu ille est inimicus, etsi perpetuo sit inimicus, perpetuo cessat illa actio: cessante autem inimicitiâ contractâ per novum peccatum mortale non redit novum jus, sed competi tactio secundum antiquum jus.] Hæc Scotus. Sic David Rex pius lapsus in gravia peccata ante actam pœnitentiam, jus habuit ad regnum cœlorum, cui tamen non competebat actio propter aliquod impedimentum, puta reatum adulterii & homicidii, nec juris sui executio, quæ suspensa erant, durante illo impedimento. Quo temporis interstitio David erat instar personæ quæ subjicitur excommunicationis, aut ut-legariæ censuræ, ut Bractonis nostri, voce utar, qui licet bona habeat & debitores multos, & jus ad bona & debita, non tamen uti potest eo jure, nec exequi; nec in ullo foro potest actionem instituere contra debitores suos donec statum pristinum recuperet.

Quando verò statum recuperat, non recuperat novum jus, sed actionem jam instituendi potestatem, secundum jus antiquum: ut enim is qui in lepram incidit propriâ domo exire cogebatur, donec illo morbo purgatus esset, neque interea loci jus ad domum suam amisit: ita Dei filius adoptivus, adulterii, homicidii aut cujuscunque atrocis peccati leprâ infectus, etsi jus habeat ex adoptione ad regnum cœlorum, & hæres regni conscribatur non tamen hoc jure uti potest, nec actionem instituere in foro cœlesti, nec adoptionis suæ privilegiis frui, nisi per fidem & pœnitentiam renovatam, ab hac contagione liberetur, & jus utendi & fruendi dictis privilegiis recuperet.]

Non igitur quovis gravi peccato, opera bona vim salutiferam penitus amittunt. Esto ad tempus mortificentur. Esto eorum vis, & efficacia perducendi ad vitam retundatur, esto intercipiatur, esto suspendatur; non tamen tollitur, non extinguitur, non aboletur, non morietur; sed adventante novo actu pœnitentiæ & fiduciæ in Christum propitiatorem nostrum, reviviscunt tandem, ob ex gravis peccati interpositus removetur, pristinum vigorem recuperant & vim perducendi ad vitam exercere non desinunt, donec immarcessibili gloriæ diademate redimiti, omnes verè pœnitentes coronentur.

Quod si bona opera quæ sunt non nisi actus transeuntes, superveniente gravi peccato non ita intercidant quin per pœnitentiam reviviscant, vim vitalem denuò exerant & revalescant, quanto minus existimandum est, non obstante gravioris peccati impedimento, dona habitualia, fidei, spei, charitatis, totaliter excuti, penitus evanescere & interire. Esto hæc dona interdum, uti fit in animi deliquio, stupore quodam corripiantur, esto torpescant aliquando, esto ad tempus consopiantur, non tamen vim vivificam amittunt non intereunt pœnitus, non vitâ privantur.] occasione hinc arrepta date mihi veniam paulo fusius explicandi quousque grave & enorme peccatum, in negotio salutis conficiendo, fideli remoram injiciat, & cursum in hujus vitæ stadio decursu, intercipiat & impediat.

Ubi 1. non negamus verè fidelem justificatum & renatum, posse suo vitio incidere in atrocia & enormia peccata, contrahere novam injustitiam & æternæ damnationis reatum, atque ita cadere in ingratiam, incurrere in offensam, iram & indignationem divinam, quo in statu tantisper manet, donec redeat in gratiam per seriam pœnitentiam.

2. Fatemur etiam renatum taliter lapsum, amittere posse & solere, sensum amoris divini, puriorem munditiem cordis & conscientiæ, gaudium spirituale, zelum & fervorem in exercitiis pietatis.

3. Fatemur habitualia dona, etiam fidei, spei & charitatis, hoc ipso minui, labefactari, consopiri & quasi opprimi, ut actus spirituales ex hisce donis, aut nulli eliciantur, aut non sentiantur. Imò damus in tali lapsu, conscientiam sic vulnerari & vastari posse ut ab ea lapsus peccator, nihil audiat præter condemnationis sententiam.

4. Non negamus, durante hoc lapsu, talem ac tantam contractam esse indispositionem ex parte lapsi ratione novæ culpæ & inde contracti reatus, ut nullam actionem, instituere queat in foro cœlesti nec jure ullo uti, aut exequi, circa recuperationem hæ-

hæreditatis æternæ utpote qui jam factus sit exlex, & filius rebellis; & si prepetuo rebellis maneret, in perpetuum, actionis omnis instituendi potestas & juris usus & executio suspenderentur, ut rectissimè Scotus.

Hisce tamen omnibus non obstantibus, dicimus verè fidelem & justificatum non excidere totaliter ab omni gratia, ut perperam nonnulli.

Nam 1. non excidit à gratia remissionis peccatorum omnium, quotquot ante conversionem commissa sunt neque ab actuali receptione in gratiam & favorem inpri ma conversione. Neque enim, illa prima peccatoris pœnitentis acceptatio ad vitam rescinditur unquam, aut despungitur, aut unquam irrita redditur. Est enim hæc inter dona Dei ἀμεταμέλητα. Peccata enim remissa non redeunt. Esto novo peccato, nova injustitia contrahatur; non tamen inde justificatio prius obtenta aboletur, aut antiquatur. Semel enim extincta obligatio non reviviscit, ut rectè jurisconsulti. Rectissimè itidem Scotus 4. dist. 22. q. 1. peccata & mala opera cum remittuntur, totaliter extinguuntur, ita quod nec in se nec in intellectu vel voluntate divina remanent in ordine ad vindictam. [Et rursus, In mortali peccato remisso, nec jus remanet nec actio quia nec Deus habet jus vindicandi in peccatorem, ita enim perfectè texit peccatum ipsius & remisit, ut nec actio sibi remaneat ad vindicandum.]

2. Non excidit à gratia υἱοθεσίας seu statu adoptionis, quod instituitur & conscribitur hæres regni cœlestis. Neque enim gravi peccato, illico ab hoc statu dimovetur fidelis. Esto filius regni incidat in ingratiam. Esto in eum exandescat ira & indignatio paterna. Non tamen prorumpit hæc ira in odium hostile, sed in paternam severitatem: neque illa indignatio divina, meditatur exhæredationem, sed castigationem, juxta illud Psal. 88. 33. visitabo in virga iniquitates eorum. Misericordiam autem meam non dispergam, taliter delinquentes, non sunt penitus extra statum filiorum; sed in censu filiorum immorigerorum & contumacium. Rectè Ambros. [lib. 1. de vita beat. c. 6.] Nam Deus Pater ipse qui contulit, potest dona sua rescindere, & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare.] quasi diceret, nullatenus potest. Et certè ineptum esset, fingere toties nos exhæredari, quoties mortale peccatum committimus, & toties de novo adaptari, quoties horum peccatorum pænitentiam agimus; ut tot sint exhæredationes quot peccata mortalia, tot novæ adoptiones, quot novi post peccata perpetrata pænitentiæ actus. Cumque hoc non fiat in hæredum terrenorum delictis: Quis sine contumelia patris cœlestis indulgentissimi, in hæreditate cœlesti adeunda, hoc fieri, dicere audeat?

3. In gravi lapsu, non excidit verè fidelis, à gratia veræ & realis illius unionis, quâ in prima renascentia, verè & realiter Christo ut membrum capiti supponitur & inseritur; quâ fit caro ex carne & os ex ossibus. Cujus arctissimæ unionis ipse S. Sanctus non tantum effectrix est sed & vinculum proximum, ut non de facili, dissolvi posse, planè existimandum est. Certè minus consentaneum videtur, asserere; ut quoties mortale peccatum committitur à verè renato, tot vera membra à Christo capite avellantur, aut à corpore Christi mystico abscindantur. Et quoties post tale peccatum agitur pænitentia tot novas insitiones & uniones vel potius reuniones in corpore Christi mystico imaginemur.

4. Non excidit penitus à gratia regenerationis. Habitualia dona fidei, spei & charitatis nunquam penitus evanescunt. Semen aliquod harum virtutum in gravissimis lapsibus ἐν υποκείμενον (ut loquitur Theophylactus) cordis agro repositum asservatur, ut quod sit semen immortale, ut loquitur Apostolus, nec unquam destruitur cælestis nativitas. Hæc de prima.



Bona opera habent gratiosam mercedis promissionem.

ARticulus 12. nostræ confessionis sic se habet; Bona opera quæ sunt fructus fidei & justificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare & divini judicii severitatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt, & accepta in Christo. Augustinus ait, bona opera non præcedere justificandum, sed sequi justificatum, prius naturâ arbor est bona, quam fructus bonus. Intellige ergo per bona opera, opera ab hominibus justificatis, & qui in statu gratiæ sunt, præstita, qualia sunt opera, charitatis, humilitatis, patientiæ, temperantiæ, & id genus alia.

Dicimus bona opera habere promissionem annexam. Pietas inquit Apostolus, habet promissiones vitæ præsentis ac etiam futuræ 1 Tim.4.8. Sed & habent promissionem mercedis: Christus compellans, discipulos Matth.5.ait, Gaudete quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Apocal. ult: ecce venio citò & merces mea mecum est.

Sed in Thesi asseritur, hanc mercedis promissionem est gratiosam, ut intelligamus, hanc promissionem mercedis à Dei gratia profectam esse in pura Dei liberalitate & misericordia fundatam. Ac proinde hanc promissionem non esse debitam, ob operis ipsius boni, insitam condignitatem quæ talem mercedem quale est æternæ vitæ præmium, ut debitum postulat ex justitia commutativa ex æqualitate rei ad rem; sed mercedem impropriè dictam, quam tamen ex gratiosâ ordinatione suâ, conferre solet Deus bene operantibus. Apostolus appellat mercedem κατὰ χάριν, cui opponitur merces κατ᾽ ὀφείλημα Rom.4.4.

Quæritur ergo an promissio mercedis quæ facta est in sacris literis bonis operibus, sit promissio merè gratiosa, seu gratuita; an promissio, quæ suo modo debetur bonis operibus ratione alicujus condignitatis quæ in operibus istis reperitur, quæ ejusmodi promissionem à Deo merito postulare possent.

Nos dicimus bona opera dicta, Deo grata esse & accepta, imò mercedem suam habere à Deo, non tamen mercedem, meriti alicujus præcedanei propriè dicti, quæ aut æqualitatem habeat cum æternæ vitæ præmio, aut etiam proportionem; sed mercedem solummodo gratiosam, benignitate & misericordia Dei nitentem.

Certum est in solo Christo reperiri meritum propriè dictum, propter operis perfectionem & operantis infinitam dignitantem, Nostra autem, quæ vocantur merita, sunt actus ad præmium ordinati ex misericordia & libertate Dei promittentis, non ex operum ipsorum condignitate. Sic olim ante nos & senserunt & scripserunt Scotus, Durandus, Waldensis, quinetiam ipse Thomas [1. secundæ q. 114. art. 1.] licet quoad nomen, meritum condigni recipiat, quoad rem tamen planè tollit. Dicit enim Deum propter opera nostra bona, non fieri debitorem nobis, sed ordinationi suæ. Nec desunt rationes firmissimæ ad hanc sententiam stabiliendam.

1. Mer-

1. Merces æternæ vitæ est donum gratuitum, ergo non datur ex merito condigni. Consequentiæ firmitas patet ex formali illa repugnantia, quæ reperitur inter donum gratiæ & meritum condigni ortum ex operibus. Nam ex Apostolo constat ad Rom.4.4. eandem rem non obtineri ex gratia & ex debito, & ad Roman.11.6. Si per gratiam, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia, congruenter Augustinus, Gratia non esset gratia ullo modo, si non sit omni modo gratuita.

2. Nemo unquam Deo potuit reddere æquivalens pro beneficiis acceptis multò minùs potuit Deum debitorem facere novi beneficii, minimè omnium tanti beneficii, quale est illud æternæ vitæ.

3. Opera nostra bona jam ante multis nominibus Deo sunt debita, jure creationis, conservationis, dominii, redemptionis, &c. Imo quicquid agimus, aut agere possumus, non est nisi pars officii quod Deo debemus; proinde si vel maxime omnia, quæ præcepta nobis sunt, faceremus, tamen dicendum nobis foret, quod simus servi inutiles, Luc.17.10. cum ergo opera nostra sint jam ante Deo debita, merces quæ illis redditur, non redditur ex debito. Si enim opera sint debita, necesse est ut merces sit gratuita & prorsus indebita.

4 Nihil boni habemus aut facimus, quod ab ipso Deo non accepimus. Ipse dat nobis τὸ velle & τὸ perficere. Quid habes quod non accepisti, inq. idem Apostolus. In codice Canonum Aphric.c.112. Utrumq; est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus. Sed propter dona sua gratuita, nemo obligatur ad nova dona conferenda.

5. Fac pios præstare obsequia Deo grata & accepta, quod facile largimur, tamen ut meritum proprii nominis stabiliatur, debent habere æqualitatem ad mercedem secundum nostram æstimationem: sed illud præmium beatorum est infinito majus omnibus operibus cujuscunque creaturæ, imò omnium creaturarum simul sumptarum:

6. Non possumus sufficienter Deo referre gratias pro beneficiis acceptis. Ergo non possumus nova beneficia promereri. Ratio consequentiæ est satis manifesta. Quomodo enim ad nova beneficia adstringeretur, cui præcedentia non sunt compensata?

7. Ipsa fides & pœnitentia non merentur justificationem, peccati remissionem, seu acceptationem peccatoris in gratiam & favorem divinum, ergo bona opera quæ post modum fiunt à fidelibus, non merentur glorificationem.

Consequentia probatur 1. à virtute promissionis divinæ. Nam siqua sit efficacia pacti aut promissi divini ad constituendam rationem meriti, Deus tam promisit gratiam credentibus & pœnitentiam agentibus, quàm gloriam benè operantibus.

2. Probatur ex utriusque operis authore; Nam si bona opera justorum merentur gloriam, quia fiunt motore Spiritu Sancto, tum etiam fides & pœnitentia peccatoris merebitur remissionem peccatorum, quia nemo credit aut resipiscit, nisi authore & motore Spiritu Sancto.

3. Actus fidei & pœnitentiæ non habent minorem proportionem & commensurationem ad consequendam remissionem peccatorum, quam actus charitatis post adeptam justificationem habent, ad obtinendum præmium æternæ gloriæ & beatitudinis. Si ergo fidei & contritioni non sit tribuendum meritum justificationis, tum à pari, bonis operibus, quæ fidem sequuntur, non est tribuendum meritum glorificationis. At Romanenses non audent fidei & contritioni ascribere meritum justificationis; sed fatentur peccatorem justificari gratis ex misericordia Dei, non ex ulla condignitate actuum credendi aut pœnitendi, ergo pari ratione, concedant necesse est, neminem ad vitam æternam pertingere, ex insitâ condignitate operum bonorum, & efficaciâ meritoriâ, quam habent ad consequendum præmium æternæ gloriæ & beatitudinis, sed ex sola misericordia & fidelitate Dei gratiosè promittentis:

Ultimò, opera hominum piorum non sunt semper, nec absolutè bona, imò miscentur multis malis. Unde non possunt præmium perfectum & absolutè bonum, sibi per modum meriti vendicare. Veriùs itaque dicamus, cum Psalmista de Deo retribuente, Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, Psal.103. quam cum Papistis, qui coronat te secundum merita & condignitate operum tuorum, sed quid ad hæc Jesuitæ? Duobus potissimum utuntur effugiis.

Primum est deberi operibus bonis ex condigno æternam gloriam, non secundum substantiam operum, neque ut manant ab arbitrio humano, sed ut proficiscantur à Spiritu Sancto, & à gratia divina: sic Bell. de justif. 5. cap. 18. Sed respondemus perfectionem gratiæ inhærentis, non esse æqualem perfectioni gloriosæ beatitudinis & idcirco non esse ejusdem meritoriam, quod disertè docet Fulgentius lib. 1. ad Monimum. Præmium (inquit) gloriæ, excedit omne meritum, quamvis bonæ, & ex Deo datæ voluntatis. Hoc præsidio depulsi ad nova commenta confugiunt, Gregorius de Valentia [Contr. Tom. 2. Disp. 8. qu. 6.] ad promissionem divinam se recipit unde miro artificio, & planè Jesuitico, meritum condigni conatur extruere; scribit autem duos esse effectus promissionis divinæ; Unus est, quod inde Deus secundum justitiam obligatur ad promissam mercedem tribuendam: Alter, quod inde opera ipsa, quæ per se ante considerata non fuissent præmio æqualia, virtute promissionis, fiant illico eidem æqualia. Hisce positis, concludit quod cum præmium homini detur, secundum justitiam, idque pro opere æquali ipsi præmio detur ex merito condigni. Utrumque negamus, quod ad primum. Promissiones Dei non efficiunt obligationem secundum justitiam, sed indicant propositum secundum Dei munificentiam. Unde Altissiodorensis, lib. 3. p. 119 Dei promittere nihil aliud est, quàm prædicere, & ideo non se obligat promittendo, sed cum dat quod promisit, facit opus misericordiæ, potius, quam justitiæ, vel si ad justitiam hoc referatur, id est, ratione fidelitatis in præstanda promissione, non ratione æqualitatis inter opus & rem promissam.] Hæc ille.

Nam quod secundo in loco obtendit Jesuita opus quod non fuit suâ naturâ æquale præmio, interveniente promissione fieri æquale, abhorret à sensu communi. Promissiones etenim munificæ, ostendunt benignitatem promittentis, non mutant naturam, aut augent dignitatem impositi operis. Si Princeps promitteret mille nummos omnibus, qui mane illum salutarent, quis hoc præmium, tantilli operis nactus, jactitaret illico, se nihil accepisse supra condignum meritorum suorum. Nam officium salutationis ex Principis promissione, factum æquale beneficio nemo faceret, aut si faceret, ab omnibus exploderetur, pro homine ingrato, & insulso. Est itaque delirantis Gregorii somnium de duplici effectu promissionis divinæ.] Quanto rectius Augustinus in Psal. 109. Fidelis Deus qui se nostrum debitorem fecit: non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo —— promisit enim hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem. Quidquid promisit indignis promisit, ne non quasi operibus merces promitteretur; sed gratia à nomine suo gratis daretur, & de verb. Apost. Serm. 16. In his quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem in his quæ nondum teneamus, debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, Debes mihi quia dedi tibi; & aliter dicimus, Debes mihi quia promisisti mihi.] Quando dicis, Debes mihi quia dedi tibi; à te processit beneficium sed mutuatum non donatum: Quando autem dicis, Debes mihi quia promisisti: Tu nihil dedisti & tamen exigis. Bonitas enim ejus qui promisit, dabit.


Et in Psal. 83. Non dicimus Deo, redde quod accepisti, sed, redde quod promisisti.

Et in Psal. 32. Fidelis homo est credens promittenti Deo. Fidelis Deus est exhibens, quod promisit homini. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum, promissorem.]

Accedat ultimo Joannes Ferus [in Matth. lib. 3. c. 20.] Docet hæc parabola, primò, gratiam esse, non debitum, quicquid, à Deo nobis datur. Omnes enim justitiæ nostræ ut pannus menstruatæ imò, ne ipsæ passiones quidem hujus temporis, sunt condignæ ad futuram gloriam. Quod si quando Mercedem audis polliceri, scias non ob aliud esse debitum, quam ex promissione divina, Gratis promisit, gratis reddit. Si igitur Dei gratiam & favorem conservare cupis, nullam meritorum tuorum mentionem fac. Concludo ergo Bona opera habere gratiosam mercedis promissionem, non in operum nostrorum condignitate, sed in gratiosa Dei misericordia, & veraci fidelitate fundatæ.

Nul-

Nulla sunt consilia perfectionis Legem transcendentia.



CUm Thesis pronuntiet nulla dari consilia perfectionis non mens erat eruditi

Resp. non dari { Consilia. / Consilia perfectionis. / Consilia perfectionis legis ambitu comprehensa. / Sed, non Legem transcendentia.

I. Damus enim primo esse Consilia (*.i.*) opera quæ in thesi spectata, in sua specie & quoad essentiam sunt consulta non præcepta; commendata non mandata. Media scilicet & instrumenta, non necessaria, ordinabilia tamen & idonea ad Christianam perfectionem consequendam, quæ quia conducunt ad tollenda impedimenta in perfectionem, conducibilius est ad dictæ perfectionis consecutionem, facere quam omittere. Qua nota distinguuntur opera consulta ab opere præcepto, prohibito, permisso.

II. Damus esse consilia perfectionis (*.i.*) opera consulta in ordine ad perfectionem vitæ spiritualis, seu adminicula, & adjutoria promoventia & removentia prohibens,

Ut { Virginitas. / Jejunia. / Eorum vota.

III. Damus esse Consilia perfectionis, legis ambitu comprehensa. Siquidem dicta consilia perfectionis, etsi non sunt essentiales partes perfectionis, Christianæ, cum nec virtutes sint, nec gradus virtutum, nec Actus virtutum, sunt tamen perfectionis adminicula, & instrumenta virtutum; atque adeò conducunt ad perfectionis augmentum, quatenus ejus obstaculis amandandis inserviunt, (sic virginitas removet impedimenta quæ statum Matrimonii comitantur.

Hæc (inquam) damus, At hæc eadem consilia legis ambitum transcendere, hoc est quod negamus, pernegamus.

Romanenses contendunt esse multa consilia, tum in Lege à Deo, tum in Evangelio à Christo, Commendata: Et in Lege quidem gradus virtutum mediocres, & supremos, vel potius Actus virtutum in gradu Temperantiæ & Heroico, Consultos esse tantum: non imperatos, Actus autem infimos, à virtute in gradu continentiæ profectos duntaxat imperari: Ergo docent legem charitatis non præcipere nisi

nisi infimum dilectionis actum, i. e. ut Deus diligatur supra creaturam, at actus intensiores & intensissimos qui viribus gratiæ præstari possunt, consuli tantum, non præcipi; & qui hosce præstiterit, legis præscriptum transcendere, mereri, supererogare: Ad legis item consilia referunt jejunium, humi-cubationem, silentium, vigilias, quæ sunt instrumenta virtutum. Similiter plura enumerant consilia Evangelica, sed imprimis Spontaneam paupertatem, virginitatem & obedientiam regularem, præsertim si ex voto suscipiantur. Quæ omnia volunt Christum consuluisse tantum, non mandasse, nec directè nec indirectè, nec per se, nec per Accidens, nec simpliciter, nec secundum quid: simpliciter tamen melius esse ea facere, quam omittere, & conducibilius ad perfectionem consequendam ultra illam, quæ legis circumferentiâ continetur. Hæc illi.

Contra, Erudit. Resp. asseruit, & nos fidenter asserimus, non dari consilia perfectionis, sensu supradicto, quæ amplitudinem & latitudinem perfectionis illius transcendat quæ in lege D. sub pœna præcepti exigitur. Quin potius omnia ejusmodi consilia perfectionis, & omnem consultam perfectionem, intra divinæ legis ambitum & circumferentiam contineri.

Adde secundo, Consilia quæ sunt instrumenta virtutum, ordinari ad perfectionem non nudè consultam, sed præscriptam consequendam. Ac proinde nulla dari consilia perfectionis legem transcendentia, quæ non aliquo modo sub præcepto cadant.

Hic tria mihi breviter demonstranda sunt,

1. Nullum gradum virtutis aut Actum virtutis, esse opus merè consultum.
2. Opera consulta illa, quæ non sunt Actus virtutum, sed adminicula & instrumenta virtutum, ordinari ad perfectionem non nudè consultum, sed præscriptam, consequendam.
3. Hæc opera consulta cum sub praxi cadant, aliquo modo sub præcepto cadere.

I. Quod ad primum attinet, illud primum demonstrandum est, si prius Romanensium hac de re sententiam explicavero. Est autem illa; Actus virtutum, & ipsius charitatis, i. e. Dilectionem, atque adeo ipsammet perfectionem in Lege Dei præcipi quidem, sed non nisi quoad certam mensuram & gradum; nec teneri hominem in vigore, sperare, confidere, timere, diligere (quod de aliarum virtutum actibus pari ratione pronunciandum) nisi infimo harum virtutum gradu. Est autem v. g. infimus gradus Dilectionis, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei, diligatur. Ab hoc qui deficit, licet non attingat supremum vel medicos gradus (quantumvis potuisset) non violare præceptum, nec reum fieri alicujus defectus culpabilis.

Hæc est communis Jesuitarum sententia, & ipsissimum fundamentum, qua tota hæc consiliorum structura nititur. Illud igitur imprimis convellendum. Id quod videor mihi præstitisse, si primum caput supra-positum demonstravero, scilicet, Nullum gradum aut Actum virtutis esse opus merè consultum.

1. Illud 1. Constat ex primo & maximo mandato, Diliges Dominum Deum tuum ex tota vehementia tua, vel ut Marcus ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, quæ verba denotant ultimum conatum & totum posse. Nullus datur actus Dilectionis Dei, quem non tenetur quilibet ex tenore hujus præcepti elicere, ut nullus superesse possit alicui actui dilectionis, qui sit actus supererogationis, & consilii. Ratio hujus mandati est evidens etiam lumini naturali. Homo totum se debet Deo; ergo & totam suam essentiam, totam suam virtutem, totam activitatem, ergo & totam suam dilectionem.

Hæc est perpetua explicatio hujus mandati, apud Augustin. lib. de Sp. & lit. cap. 35. docet. Tantam dilectionem exigi in hoc mandato, quantam non implebimus antequam videbimus facie ad faciem. Et de Doct. Christiana 1. 22. Dilectionem D. tantam in hoc mandato præcipi, quæ nullum à se rivulum duci

extra

extra patiatur, cujus derivatione minuatur: Cyril. sic dilectionem Dei hic præcipi, ἐξ ὅλης ἰσχύος ἀνωτάτης μέχρι ψυχῆς καὶ αἵματος; (.i.) ex tota supremaque fortitudine, usque ad animam & sanguinem. Hug. de Sancto Victor. Sic quantum potes, tantum dilige.

Audeo dicere, Ex tota Antiquitate ne unum testem posse proferri qui dixerit, minimo delectionis gradu satis impleri maximum mandatum.

2. Intensissimos & perfectissimos actus omnium virtutum, non nudè commendari sed & mandari etiam sub pœna prævaricationis novæ, ubi datur major possibilitas; vel inde convincitur, quod in hisce actibus eliciendis, nemo reddit imò nec reddere potest Deo, quæ tenetur. Nemini (inquam) quam diu in hac mortalitate vivitur, quamvis pro virili removeat impedimenta perfectionis, adhibendo instrumenta quæ dicuntur consiliorum, & quantumvis perfectissimis utatur instrumentis, ad acquirendam virtutum perfectionem, Nemini (inquam) attingere datur perfectionem illam, ad quam lege divina & naturali obligatur. Lex enim hæc cum spiritualis sit (ut loquitur Apost.) Cœlestem exigit in anima & ejus potentiis & actibus puritatem, ut nec sensus hauriat, nec intellectus concipiat, nec voluntas eligat, nec appetitus prosequatur, quicquid turpe, impudicum, inhonestum, impium, injustum, sed ut totus homo, eosdem sensus & motus cum Deo habeat (ut Tertul. loquitur) At quis uspiam renatorum, (testor etiam eorum conscientiam) qui in statu perfectionis aut adispiscendæ (ut loquuntur) aut etiam adeptæ, sese positos gloriantur, hanc in sese puritatem uspiam expectus est. Imò quis Sanctorum qui vel unum actum unquam præstiterit, in quo non erat peccatum omissionis? Cui non adhæscit aliquis culpabilis defectus? Imò in quo non extiterit aliqua ἀταξία & obliquitas, à vitiositatis naturæ nostræ reliquiis profecta. Ardentissimæ sanctorum preces, sunt opera Renatorum perfectissima, At (Deus bone!) quam crebræ mentis evagationes, quam varii affectuum impetus, nos inter precandum hac atque illac distrahunt & abripiunt! Quanta in nobis irreverentia erga tantam Majestatem! Quam insensiles sumus nostræ miseriæ! quam parum afficimur gustu suavitatis misericordiarum ejus! quanta in inchoandis precibus detractatio, aversatio, hebetudo! Quantum in perficiendis molestiarum, tædii, acediæ, difficultatis!

Hæc eadem veritas demonstratur ex concupiscentiæ reliquiis, quæ principiis humanorum actuum, Intellectui & voluntati etiam post renascentiam nostram adhærent. Quales sunt in intellectu Ignorantia, non tantum puræ negationis, sed & pravæ dispositionis, in voluntate, præceps ad malum inclinatio, Voluntas (ut notum est) est domina nostrorum actuum, & inclinatio totius suppositi. Cum igitur voluntas nondum renata, habeat propensionem effrænem, & præcipitem, ad omnimoda mala, & renata inditam habeat contrariam propensionem, qua ad bonum fertur, non tamen hoc fit absque aliqua prioris propensionis renitentia. Hinc fit ut licet gratia Spiritus vincat tandem carnis impetum, renitatur tamen caro, & retundat gratiæ efficaciam, & vim ejus, in singulis actibus, aliqua ex parte semper retardet. Quemadmodum enim motus gravium per Aerem vel Aquam, impeditur à medio, ut non possit grave toto impetu ferri, ad Centrum, (quomodo fieret in vacuo) sed aliquatenus retardatur, plus aut minus pro medii diversitate, Ita se habet in negotio Carnis & Spiritus. Cum ergo omni actui nostro, omni operi bono, adhæreseat aliquis culpabilis defectus ubi tandem terrarum sunt opera illa merè consulta indebita supererogatoria? Ubinam erogatur quantum tenemur erogare? imò ubi non subter erogatur? Nullus ergo gradus aut actus virtutum est opus merè consultum, quod primo demonstrandum suscepi.

II. Secundo in loco, ostendendum est. Opera consulta, quæ non sunt actus virtutum, sed adminicula & instrumenta virtutum, ordinari ad perfectionem, non merè consultam, sed præscriptam, consequendam, ac proinde non transcendere Legem.

Hæc

Hæc assertio, ex priore, facillima illatione deducitur, licet enim illa major perfectio, ad quam hæc consilia ordinentur, sit gradus aut actus virtutis, cum nullus tamen gradus aut actus virtutis, sit opus merè consultum, sed etiam mandatum, ut supra vidimus; ergo hæc opera consulta, non sunt adminicula aut instrumenta ullius gradus virtutis, qui non in lege præcipitur. Sint ergo renunciatio facultatum, virginitas, jejunium, vigiliæ, & id genus alia, sint (inquam) opera consulta, sint media, adjumenta, instrumenta majoris perfectionis in vita Christiana, non tamen ullius perfectionis aut gradus virtutum, ad quam non tenetur quilibet aspirare.

Vanissima ergo sunt Jesuitarum placita, consilia longè transcendere præcepta, horumque observationem esse præstantiorem, Deo gratiorem, & magis apud Deum meritoriam quam observationem præceptorum, & ad altiorem gloriæ gradum sublevare. Quæ Commenta ex notissimis regulis Aristot. 3. Topicorum, apertissimè refelluntur.

Nam 1. perfectio Christiana consistit essentialiter in fide, spe & charitate, aliisque virtutibus & earum actibus. At in jejuniis, vigiliis, virginitate, & spontanea abdicatione facultatum, tantum instrumentaliter, est autem causa principalis excellentior instrumentali.

2. Quod propter se expetitur, præstantius est eo quod expetitur propter aliud, Actus virtutum propter se, concilia autem propter aliud, sc. charitatem quæ est finis mandatorum.

3. Quod simpliciter est omnibus bonum, melius est eo quod secundum quid & alicui tantum bonum est, at actus & gradus virtutum sunt simpliciter & omnibus boni, opera autem consulta sunt bona secundum quid, & certis quibusdam hominibus, ergo actus virtutum meliores sunt operibus consultis.

4. Quod per se bonum est, aut causa boni, melius est eo, quod est bonum tantum per accidens.

At opera virtutum sunt bona per se; opera consulta tantum per accidens, ergo opera virtutum sunt præstantiora.

5. Finis est præstantior mediis ad finem: cum ergo consilia ordinentur ut media & adminicula ad consequendum gradum virtutis altiorem; ergo ille virtutis gradus erit longè præstantior utpote ad quem media illa ordinentur.

6. Dico cum Cajetano, animum habere paratum ad usum horum instrumentorum, virginitatis, abstinentiæ, votorum, melius esse & longè majoris perfectionis quam actualiter abstinere à conjugio, & cibis, aut actualiter vovere; cum illud sit inseparabilis comes & effectus essentialis perfectionis; hæc tantum instrumenta separabilia accidentalis perfectionis. Ex hisce constare potest, consilia qua adminicula & organa perfectionis non transcendere legem.

III. Tertium restat Caput. Hæc opera consulta cum sub praxi cadant, sub præcepto etiam aliquo modo cadere: cum enim opera consulta assumantur, ut instrumenta & adminicula, utilia ad removenda prohibentia, vel retardativa majoris perfectionis, ad quam aspirare teneamur atque adeo utilia, ut hic & nunc magis expediat facere, quam omittere.

In tali rerum circumstantia, tale opus rectè dicitur præcipi, indirectè, secundum quid, reductivè, per accidens, ex lege saltem charitatis; atque adeo non merè consultum esse. Ut enim quædam sunt actiones in Thesi indifferentes, quoad essentiam, quæ tamen in Hypothesi & quoad existentiam, semper sunt bonæ vel malæ, ut rectè Thom: Ita res se habet in his operibus consultis, quæ quamvis in Thesi rectè dicantur consulta, atque eo nomine rectè distinguantur ab opere præcepto, prohibito, permisso: Attamen, cum hic & nunc, ordinentur ad consecutionem perfectionis, quæ in lege præcipitur; ipsæ etiam quoad existentiam, suo modo & indirectè, reductivè & per accidens cadunt sub precepto, & sub pœna præcipiuntur alicujus reatus, qui gravior esse potest & levior, pro

pro ratione circumstantiarum ; idque uno aut alio argumento confirmabo.

1. Desumptum erit ex lege charitatis. Qui tenetur ad perfectionem charitatis, ille etiam tenetur sub reatu, vitare quodcunque judicaverit hic & nunc impediturum, aut retardaturum esse, hanc ipsam perfectam charitatem, unde faciendo quæ impediant aut retardent facit directè contra Concilia, & indirectè contra præceptum charitatis atque ita peccat.

Sic Scotus ait, Sub pœna venialis peccati teneri hominem vitare retardativa, & facere maxime expedientia, huic G. Biel & alii astipulantur.

2. Alterum ex lege Fidelitatis & Sedulitatis petitum est. Qui præstat Domino operam tantum necessariam, non itidem utilem, quam judicaverit (omnibus perpensis) multo utiliorem Domino fore quam ejus omissionem; is tenetur reus alicujus (quam debet) omissæ Fidelitatis, Sedulitatis, Studiositatis, etiam apud homines.

At tales sunt omnes, qui opera à Deo & Christo consulta, præstare pro loco & tempore negligunt; ergo qui pro loco & tempore, non præstant opera consulta, aliquo modo peccant in legem Fidelitatis, & Sedulitatis, quam Deo ut Domino idque multiplici jure præstare tenentur. Dixit olim Plato τυράννων δεήσεις ἀναγκαίας εἶναι. Regum petitiones vim coactivam habere, quanto magis consilia Christi habere debent, in idoneo subjecto.

Ipsi Jesuitæ, inclinationem & nutum superioris, sufficere inferiori statuunt, ut obligetur ad obedientiam, neque enim inferiorem perfectè obedientem esse volunt, qui præceptum proprie dictum expectat, sed qui statim cognita propensione superioris, opus aggreditur. Quantò magis consilia Dei & Christi obligant ad obedientiam? præsertim quando αἱρετώτερα judicantur ad legem divinam implendam, quam si omittantur.

Hic esto Finis.

u

pro ratione exspectandam [illegible]; Neque uno [illegible] argumento confirmabo.

1. [illegible] est ex lege charitatis. Qui tenetur ad perfectionem charitatis esse [illegible] tenetur [illegible], vitare [illegible] judicaverit [illegible] impedimentum, aut retardationem esse, hanc [illegible] perfectionis charitatem, unde [illegible] quae impediunt aut retardant facit directe contra [illegible], & indirecte contra praeceptum charitatis atque ita peccat.

Sic Scotus ait, Sub poena venialis peccati teneri hominem vitare retardativa, & facere maxime expedientia, hunc [illegible] alii [illegible].

2. [illegible] ex lege Fidelitatis & Sedulitatis peccatum est. Qui praestat Domino operam tantum [illegible], non eidem [illegible], quam judicavit esse (omnibus [illegible] perpensis) multo utiliorem Domino suo quam [illegible], si tenetur [illegible] alicujus quam debet) omisse Fidelitatis, Sedulitatis, Studiositatis, etiam apud homines.

At [illegible] sunt omnes, qui opera [illegible] & Christo consilia, [illegible] pro loco & tempore negligunt, [illegible] qui pro loco & tempore, non praestant opera [illegible] aliquid multo peccantin legem Fidelitatis, & Sedulitatis, quam [illegible] ut [illegible] [illegible] [illegible] praestare tenentur. Dixit [illegible] [illegible] regnare [illegible] [illegible]. Regum partitiones [illegible] habere, quanto magis consilia Christi habere debent, in idoneo subjecto.

1. Ipsi [illegible], inclinationem & nutum superioris, sufficere inferiori [illegible], ut obligetur ad obedientiam, neque enim inferiorem [illegible] obedientem esse volunt, qui praeceptum proprie dictum expectat, sed qui statim cognita propensione superioris, opus aggreditur. Quanto magis consilia Dei & Christi obligant ad obedientiam? praesertim quando [illegible] judicantur ad legem divinam implendam, quam si omittantur.

Hic est Finis.

II

TRACTATUS
DE FIDE JUSTIFICANTE ET SPECIALI, ITEM DE CERTITUDINE GRATIÆ.

CAPUT I.

Articulus Ecclesiæ Anglicanæ de hominis Justificatione proponitur & breviter exponitur.



Rticulus undecimus Confessionis Ecclesiæ Anglicanæ agit de hominis justificatione. Lutherus in Commentario in Epist. ad Galatas & in Genesin, semel atque iterum inculcat hæc verba; Hæc doctrina de justificatione post mortem nostram prorsus obscurabitur. Utinam hæc tempora prophetiam Lutheri non implerent, in quibus articulus de gratuita hominis justificatione variis adversariis undequaque impetitur & impugnatur; hinc impetum in eum faciunt Romanenses, Synodus Tridentina & ejus propugnatores, Stapletonus, Bellarminus, Gregorius de Valentia & alii Jesuitæ; illinc alii heterodoxi, Sociniani, & eorum asseclæ Remonstrantes, ut mittam And. Hosiandri singularem de Formali justificationis causa heterodoxiar, Nos per essentialem Dei justitiam justificari.

Articuli titulus est de hominis justificatione.

Articulus ipse sic habet. "Tantùm propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, per fidem non propter opera & merita nostra, justi coram Deo "reputamur. Quare solâ fide nos justificari doctrina est saluberrima ac consolatio- "nis plenissima, uti in Homilia de justificatione hominis fusiùs explicatur.

Hæc Articul. ubi exponitur,
1. Meritoria causa Justificationis, Meritum Domini nostri Jesu Christi.
2. Instrumentalis, Fides.
3. Excluduntur à justificatione opera & merita nostra.
Corrollarium inde deducunt conditores Articuli. Sola fide nos justificari.
Conclusiones ex hoc Articulo facilè deducibiles, sunt istæ;
1. Propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, justi coram Deo reputamur.
2. Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi justi coram Deo reputamur.
3. Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem justi coram Deo reputamur.
4. Non propter opera & merita nostra justi coram Deo reputamur.
5. Sola fide nos justificari doctrina est salubeerrima & consolationis plenissima.

Iste Articulus à nostra Ecclesia ponitur tum ad veram de justificatione hominis sententiam asserendam, tum ad falsam Romanensium impugnandam.

Asserit Ecclesia nostra nos, si de meritoria justificationis causa agatur, propter meritum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi justos coram Deo reputari & quidem tantum propter meritum illud Christi, unde rejicit illud Romanensium, Nos propter opera & merita nostra justos coram Deo reputari.

Sin de causa instrumentali quæratur, quæ hoc meritum applicat personæ justificandæ, addit per fidem hoc meritum applicari; & quidem per fidem tantùm unde inferunt Conditores Articuli solâ fide nos justificari doctrinam esse saluberrimam & consolationis plenissimam & ad hujus conclusionis fusiorem explicationem remittit nos ad Homiliam de justificatione.

CAPUT II.

Ordo Disputationis Bellarminianæ de fide justificante & quatenus cum nostrâ conveniat, explicantur termini, Fides, Justificans.

Bellarminus de Justificatione acturus lib. 1. de Justific. c. 2. copiosè explicat causas justificationis; & quidem agit 1. de Fine, 2. de Efficiente, 3. de Materiâ. 4. de Forma. Tandem institutâ collatione sententiarum, subductis rationibus subjicit, ex hisce omnibus solum tria in quæstionem vocantur, Dispositiones, causa formalis intrinseca, & justitia actualis. " Cætera enim omnia (inquit) " vel conceduntur ab omnibus vel sunt à nobis alio loco pro tenuitate ingenii nostri " & virium explicata. Hinc est quod in libris de justificatione exordium sumat à dispositionibus ad justificationem præviis: inde progreditur ad causam formalem intrinsecam; tandem agit de justitia actuali.

De causa formali justificationis & justitia actuali copiosè egerunt contra Bellarminum Reverendissimi ex hac nostra Academia emissi Episcopi, Derensis unus in Tract. de Justicatione linguâ vernaculâ conscripto ante 3. aut 4. annos typis Londini excuso: alter Sarisburiensis hujus nostræ Cathedræ olim insigne decus in lib. de justitia habituali & actuali non ita pridem hîc apud nos in lucem edito ut alios mittam de hisce igitur capitibus agere, perinde esset ac post Homerum Ἰλιάδα conscribere. Mihi satis erit, si harum controversiarum primam, quæ est de dispositionibus ad justificationem, præsertim de fide, & potissimùm de fide justificante, quæ juxta Bellarminum est prima dispositionum, in manus sumpserim, quam Reverendus Antistes

tistes Sarisburiensis penitus intactam reliquit in lib. supra citato. Derensis forsan non adeò explicatè tradidit.

Atque hîc monendum duximus, nos magna ex parte Bellarmini vestigia premere si methodum spectemus, nobiscum decrevisse.

Is igitur l. 1 de Just. c. 3. statum quæstionis de fide justificante explicare aggreditur, ubi hanc controversiam ad 4. capita revocat.

1. Quæ nam sit illa fides, sive quid sit ea fides, quæ ad justificationem requiritur?

2. Dissentimus (inquit) quod ipsi (protestantes) solam fidem justificare contendunt. Nos ei comites adjungimus in hoc officio justificationis, sive ad justitiam disponendi, erit igitur (inquit) altera quæstio, an per modum dispositionis sive instrumenti, sola fides justificet?

3. (Inquit) dissentimus quod ipsi fidem quam dicunt solam justificare, docent nunquam posse esse solam nos contradicimus, non justificare solam, sed tamen posse esse solam.

4. Dissentimus (inquit) de modo quo fides justificat, ipse enim contendunt fidem nullius esse pretii aut meriti & solùm justificare relativè, Nos (inquit) asserimus fidem etiam à charitate disjunctam alicujus esse pretii & vim habere justificationis per modum dispositionis & impetrationis. Brevius dicam,

Quæritur 1 Quid sit fides justificans?
2 An sola justificet?
3 An possit separari à charitate?
4 An sua dignitate, virtute & merito per modum dispositionis justificet primam tract. capp. sequentibus 8. tres alias commiscet à c. 12. ad finem libri. Atque hæc summatim excerpisse è Bellarmino sufficiat.

Primum caput Bellarminus explicare aggreditur cap. 4. *viz.* quæ sit fides justificans ex sententia tum nostrorum (quos hæreticos appellare non dubitat) tum etiam Romanensium: tandem colligit & concludit 3. in rebus ab hæreticis Catholicos dissentire

1. In objecto fidei justificantis, quod Hæretici (inquit) restringunt ad Solam promissionem misericordiæ specialis. Catholici (inquit) tàm latè patere volunt quàm latè patet verbum Dei; quin potiùs certam promissionem specialis misericordiæ, non tam ad fidem quam ad præsumptionem pertinere contendunt.

2. In facultate & potentia animæ quæ sedes est fidei, siquidem illi fidem collocant in voluntate cum fiduciam esse definiunt, ac per hoc, inquit, eam cum spe confundunt; fiducia enim inquit, nihil est aliud quam spes roborata, ut docet Thomas 22. q. 129. a. 6. Catholici (inquit) fidem in intellectu sedem habere docent.

3. In ipso actu intellectus ipsi enim per notitiam fidem definiunt, Nos per assensum, Assentimur enim Deo, quamvis ea nobis credenda proponat, quæ non intelligimus.

R. Ut hisce omnibus commodè occurramus, quia potissimum agitur de fide justificante, præmittenda est explicatio terminorum præcipuè votum,

{ Fidei
{ Justificantis

Quod ad priorem terminum attinet Fidem nimirum, Bellarminus cap. 4. in initio ait sectarios tres fides distinguere solere,

{ Historicam
{ Miraculorum
{ Promissionum,

idque ait intelligi posse ex Calvino & Kemnitio.

R. Nos agnoscimus Fidei varias acceptiones occurrere in sacris literis & in hisce aliam dici posse Historicam, quâ credimus vera esse quæcunque Historicè narrantur in sacris literis veram Historiam continere, imò quæcunq; ibi narrantur verissimè esse.

Hu-

Hujus meminit Augustinus de vera religione cap.50. Non tamen ita inhæremus voci Fidei Historicæ, quin etiam eam, cum ad res fidei referatur, rectè dici posse fidem catholicam cum Cyrillo Hierosolymit. Catech.5, & 9. aut etiam Dogmaticam cum versetur circa dogmata fidei cum Chrysostom.Hom.29. in priorem ad Corinthios ubi πίστεως τῶν δογμάτων meminit.

2. Meminit Scriptura Fidei Miraculorum quam Chrysost. loco citato appellat πίστιν τῶν σημείων fidem signorum, quæ denotat persuasionem de futuro aliquo effectu miraculoso conceptam ex revelatione aut promissione singulari, aut motu extraordinario Sp. Sancti per Dei omnipotentiam totam vim naturæ creatæ superantem, producendo. Hujus fidei meminit Servator, Matth.17.20. Amen quippe dico vobis, si habeatis fidem sicut granum synapis dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis; Luc.17.6. Si habeatis fidem sicut granum sinapis dicetis huic arbori moro eradicare & transplantare in mare & obediet vobis; 1 Cor.13.2. Si habeam omnem fidem ita ut montes transferam & charitatem non habuero, nihil sum.

3. Fides promissionum est illa fides quæ fertur in divinas promissiones de remissione peccatorum, seu quâ assentimur veritati promissionum divinarum præsertim promissioni Evangelicæ: Quicunque crediderit in Christum Redemptorem ei remittuntur peccata & id genus alia. Ac quamvis eâdem fide Catholicâ quâ assentimur omnibus divinitus revelatis, assentiamur & huic promissioni Evangelii; tamen hoc peculiare est fidei promissionis, quod basis sit & fundamentum fidei justificantis & etiam fidei specialis, quâ applicamus nobis in particulari beneficia in fœdere Evangelii promissa ut postea explicabitur; quod dici non potest de assensu præstito aliis propositionibus & veritatibus divinitus revelatis.

Atque hæc fides promissionum est fides generalis; est autem & fides specialis, quâ unusquisque sibi promissionem divinam applicans, firmiter credit sibi peccata omnia esse dimissa, quæ applicatio non verè fit nisi reipsa impletâ conditione fœderis gratuiti, est autem illa conditio, ut credamus in Christum. Qui enim præstat conditionem fœderis credendo in Christum Redemptorem, ille verè & jure inferre potest ad se pertinere remissionem peccatorum; ac proinde applicare sibi ipsi beneficium remissionis peccatorum in dicto fœdere promissum.

Ex dictis tribus fidei speciebus sola tertia, quæ est fides promissionum aliquo modo respicit fidem justificantem, quatenus conditionem continet fœderis novi, quæ conditio est, actus fidei justificantis.

Hoc ipsum commodissimè explicabitur simul & demonstrabitur, si accuratè perpendamus Syllogismum, cujus propositio est ipsa promissio Evangelii, quâ quisque fidelis suam in fœdus gratiæ receptionem infert & concludit, ubi unâ eâdemque operâ variæ fidei species huic negotio explicando inservientes, sese nobis offerunt ex quarum distinctione & collatione magis elucescit fidei justificantis natura & proprietas. Sic enim ratiocinatur fidelis,

Quicunque credit in Christum Redemptorem, illi sunt remissa peccata.
Ego credo in Christum Redemptorem,
ergò
Mihi sunt remissa peccata.

In hoc Syllogismo firmus assensus majori adhibitus exhibet nobis actum fidei Catholicæ.

Minor exprimit, actum fidei justificantis, ut posteà demonstraturi sumus; ubi Quid sit credere in Christum Redemptorem explicabitur.

Assensus adhibitus conclusioni exprimit actum fidei specialis applicantis fideli promissionem generalem seu beneficium promissum.

Cùm autem in majori propositione (quæ expressè habetur in sacris literis, & sit ipsa generalis promissio Evangelii, & fœdus gratiæ contineat; Duo sunt consideranda,

{ 1 Conditio fœderis,
{ 2 Res promissa.

Con-

Conditio Novi Fœderis est Credere in Christum Redemptorem; Res promissa est remissio peccatorum, & reliqua beneficia morte Christi parta. Quicunque autem verè præstiterit conditionem, Credendo in Christum Redemptorem, is verè jus habet ad remissionem peccatorum, & dicta beneficia ejus appendices, unde & veraciter dicere potest, mihi remissa sunt peccata.

Hisce sic explicatis, dicimus, illam verè dici fidem justificantem cujus actus in Minore exprimitur, quâ quis credat in Christum Redemptorem.

Hæc de Termino, Fides.

Explicandus jam alter terminus, quò clarius constet, quare Fides illa dicatur Justificans.

Ubi præmittendum, Certum esse τὸ Justificare in Sacris Literis opponi τῷ Condemnare: Ut patet Deuteron. 25.1. Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint Judices, quem justum esse perspexerint, illum justificabunt; quem impium, condemnabunt impietatis.

Prov. 17.15. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abhominabilis est uterque apud Deum.

Rom. 8. 33. Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus is est, qui justificat. Ver. 34. Quis est qui condemnet? Hebræa item vox הצדיק & Græca etiam δικαιοῦν & δικαιοῦσθαι ferè sumuntur forensi significatione, ut justificare idem sit atque absolvere coram tribunali Judicis à criminibus intentatis. Hoc ex eo liquet, quod coram tribunalibus, de pœnis potissimum agitur, an irrogandæ sint reo, an ab iisdem absolvendus sit.

Sic Rom 8.33. " Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat, v.34. Quis condemnabit? Fides ergo justificans illa dicenda est, quâ Peccator pœnitentiam agens credens in Christum & ejus satisfactionem, à peccatorum reatu coram tribunali Dei absolvitur, & justus pronunciatur.

CAP. U T III.

Quid sentiendum sit de tribus illis, in quibus colligit Bellarminus à Protestantibus Romanenses dissentire.

HAc explicatione terminorum præmissâ, jam dispiciamus de tribus istis, in quibus colligit Bellarminus ab Hæreticis Catholicos dissentire.

Primum est, in objecto fidei justificantis, quod hæretici (inquit) restringunt ad solam promissionem misericordiæ specialis. Catholici (inquit) tàm latè patere volunt quàm latè patet verbum Dei; quin potius certam promissionem specialis misericordiæ non tam ad fidem quàm ad præsumptionem pertinere contendunt.

Sol. Respon. Quod ad hunc dissensum attinet de objecto fidei justificantis inter Protestantes & Romanenses; dicimus minùs veraciter eum à Bellarmino exponi: Non enim Protestantes restringunt objectum fidei justificantis ad promissionem specialis misericordiæ, multo minus ad solam promissionem specialis misericordiæ.

Nos dicimus objectum actus fidei justificantis, esse Christum, Christum Mediatorem, Christum Redemptorem, mortem, passionem, satisfactionem, meritum Chri-

Christi; juxta illud Apostoli Rom.3. 25. Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ejus: Ex eo autem quod credimus in Christum Redemptorem & ejus sanguinem, inde applicamus nobis beneficia parta sanguine Christi, remissionem peccatorum, & reliqua beneficia promissa, & promissionis specialis misericordiæ; quæ propriè loquendo, sunt objecta fidei specialis applicantis nobis res promissas, non fidei justificantis.

Rursus falsam esse postea evincemus Romanensium assertionem, objectum fidei justificantis tàm latè patere, quam verbum Dei; & certam promissionem specialis misericordiæ, non tam ad fidem quam ad presumptionem pertinere: ut contendit Bellarminus.

2. Dissensum ponit Bellarminus in facultate & potentia animæ, quæ sedes est fidei; siquidem illi, inquit, [Protestantes] fidem collocant in voluntate, cùm fiduciam esse definiant, ac per hoc eam cum spe confundant: Fiducia enim nihil aliud est (inquit) quam spes roborata, ut docet Thomas 22.q.129. art.6. Catholici autem fidem in intellectu sedem habere docent.

Sol. R. Protestantes fidem justificantem fiduciam esse definiunt, & eam in voluntate ut in sede, & subjecto proprio collocant; non tamen cùm spe confundunt ut illis imponit Bellarminus, cùm affectus sint reipsâ & realiter distincti; unde nec fiducia illa dicenda est spes roborata, ut posteà videbimus;

Dicimus porro, Romanenses pessimè docere fidem justificantem in intellectu sedem habere. Utcunque enim fides Catholica seu dogmatica sedem habeat in intellectu, utpote quæ non aliud sit quam assensus firmus omnibus divinitùs revelatis: fides tamen justificans cùm sit fiducia ut infra docebimus, sedem, necesse est, ut habeat in voluntate.

3. Dissensus (inquit Bellarminus) est in ipso actu intellectus: ipsi enim [Protestantes] (inquit) per notitiam fidem definiunt: Nos (Romanenses) per assensum. Assentimur enim Deo, quamvis ea nobis credendo proponat quæ non intelligimus.

Sol. Respon. Notitiam prærequiri ad fidem justificantem, ideoque Notitiæ meminit Calvinus in definitione: Sed neque per assensum rectè definitur fides illa quæ appropriato nomine dicitur justificans, sed per fiduciam, ut postea patebit.

CAPUT

CAPUT IV.

Status Quæstionis proponitur de Fide Justificante ubi variis rationibus è Scripturis petitis demonstratur, aliam esse à Fide Catholicâ Romanensium.

JUxta præmissa,

I. Quæritur, inter Protestantes & Romanenses, An Fides justificans sit nudus assensus firmus ac certus ad ea omnia quæ Deus credenda proponit, seu, quod eodem recidit, sit firmus assensus ad omnia divinitus revelata.

Romanenses docent & defendunt fidem illam cui Scriptura toties justificationem tribuit, non aliud esse quàm firmum assensum omnibus divinitus revelatis adhibitum; seu assensum ad omnia, quæ in verbo Dei continentur, seu non aliam quàm ea, quæ dicitur Catholica.

Orthodoxa Ecclesia Protestantium, hanc fidem Catholicam, quâ assentimur omnibus divinitus revelatis in sacris Scripturis, ad justificationem peccatoris requiri ait, & necessario præsupponi: addit etiam eandem quatenus assentitur promissioni Evangelii seu fœderis gratuiti basin & fundamentum esse fidei illius quâ justificamur; sed insuper docet, illam fidem quâ justificamur esse longè aliam à priore, utpote quæ non dicit nudum generalem assensum ad ea, quæ Deus in verbo suo revelavit; sed dicere insuper fiduciam in Christum Mediatorem & Redemptorem ob remissionem peccatorum: Id quod hisce rationibus confirmat.

1. Insignia illa Elogia & effecta quæ Scriptura tribuit fidei justificanti, fidei Catholicæ seu nudo assensui ad ea quæ divinitus revelantur, nullo modo accommodari possunt ut cum 1. ad Roman. 1.17. Apostolus ex Propheta ait, Justus fide vivit: & alibi ad Galat. 2.20. idem Apostolus ait, Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei. At fides Catholica & assensus ille omnibus divinitus revelatis in iis reperitur in quibus nulla est vita Spiritualis, seu vita justitiæ: ut in Simone Mago, qui narrante Lucâ Act. 8.13. ad prædicationem Philippi dicitur credidisse; Tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Simon credebat fide catholicâ, eâ quæ à Catechumenis præexigebatur ad capessendum baptisma: & tamen versu 13. Petrus ait, Cor tuum non est rectum coram Deo. Isti porrò Auditores verbi qui conferuntur cum terrâ petrosâ Luc. 8.13. ad tempus credunt, sed in tempore tentationis abscedunt: quamvis cum gaudio excipiant sermonem, quia tamen radices non habent non vivunt vitâ gratiæ divinæ, quæ tamen requiritur ad vitam Spiritualem animæ & vitam justitiæ.

2. Christus per fidem inhabitat cordibus. Ephes. 3.17. Orat Apostolus pro Ephesiis ut inhabitet Christus per fidem in cordibus eorum.

3. Jus filiorum confert, Joan. 1.12. Quotquot eum acceperunt dedit iis hanc dignitatem, ut filii Dei fierent, his qui credunt in nomen ejus. Et Gal. 3.26. Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.

4. Remissionem peccatorum obtinet, Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

5. Iustificat. Gen. 15.6. & Rom. 4.3. Abraham credidit in Deum & imputatum est ei ad justitiam. Rom. 3.26. Deus justificat eum, qui est ex fide Iesu Christi. Et Rom. 5.1. Iustificati ergo fide, pacem habemus ad Deum.

6. Placat Deum. Rom. 3.25. Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ejus.

7. Accessum dat ad Deum, Ephes. 3.12. In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.

8. Purificat corda, Act. 15.9. Vincit mundum & Sathanam, 1 Joan. 5.4. Hæc est victoria quæ vincit mundum fides vestra, Ephes. 6.16. In omnibus sumentes scutum fidei, quo possitis ignea tela nequissimi extinguere, 1 Pet. 5.9. Cui resistite fortes in fide. Hæc non possunt certè accommodari nudo assensui eorum quæ in verbo revelantur, cùm iste assensus sæpenumerò in iis reperiatur, in quorum cordibus Christus non inhabitat, iis etiam quibus jus filiorum nunquam confertur, nec remissio peccatorum nec pax cum Deo; iis etiam cum quibus Deus non placatur, iis etiam quibus non datur aditus ad Deum, iis etiam quorum corda non purificantur, iis etiam qui non vicerunt mundum & Sathanam. Quæ omnia & Romanenses agnoscunt. Hæc sit prima ratio.

2. Actus fidei justificantis est conditio fœderis gratuiti, at assensus nudus divinitus revelatis non est conditio fœderis gratuiti,

Ergo

Talis assensus non est fides justificans.

Major constat ex iis locis ubi mentio fit fœderis gratuiti, ut Joan. 3.16. Quicunque credit in eum non peribit, sed habebit vitam æternam, Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum quemvis qui crediderit in eum, Act. 16.30. Compellat Paulus Commentariensem, crede in Christum & servaberis.

Idem apertius adhuc patet, Rom. 10. v. 5. cum v. 9. & 11. collato. Nam ibi describitur fœdus legale his verbis; qui præstiterit ea, vivet in iis: fœdus autem Evangelicum hisce; si credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis, corde enim creditur ad justitiam, dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in Illum non confundetur.

Minor autem [At assensus nudus revelatis in verbo non est conditio fœderis gratuiti] apertè constat ex loco ultimo citato: Nam si assensus nudus revelatis à Deo esset conditio fœderis novi seu gratuiti, tum æquè credendo & assentiendo huic propositioni, qui præstiterit, vivit in iis, justificaremur; atque assentiendo huic, Omnis qui credit in eum non confunditur: quæ tamen apertè distinguuntur, imò in negotio justificationis, opponuntur eo in loco, ut patet ex collatione v. 5, 6, 9, 10. Cùm tamen Apostolus disertè dicat in priori fundari justitiam legalem, in alterâ justitiam Evangelicam; quam Paulus justitiam fidei appellat: & discrimen hujus utriusque justitiæ deducit ex duplici promissione Dei, altera legali, altera Evangelica.

3. Objectum fidei Catholicæ, cui est nudus assensus, est omne divinitus revelatum, tàm minæ quàm promissiones, tàm Belial quàm Christus; tàm Tentator quàm Servator, tàm Christus Judex, quàm Christus Redemptor: at fides justificans non nisi ad promissiones novi fœderis respicit, & circa eas versatur; Ejusque objectum proprium est misericordia Dei in Christo promissa, Christus, Christus ut Servator, Christus ut Redemptor, Christi sanguis, mors, meritum, satisfactio, obedientia, ut passim docet Scriptura. Ergo aliud est nudus assensus divinitus revelatis, aliud fides justificans.

4 Fides Catholica est subjectivè in intellectu, & ejus actus assensus nimirum, est actus intellectus; hoc utrinque in confesso est & apud Romanenses & Protestantes.

At fides justificans seu fiducia est subjectivè in voluntate, cùm sit affectus, quo adhæremus alicui medio, ad consecutionem alicujus finis, vel affectus quo voluntas adhæret seu innititur alicui medio, quod judicatur vel solum vel cum aliis sufficiens vel potens ad finem aliquem arduum quem appetimus, possibilem tamen, consequendum: Et ejus actus est credere in aliquem seu aliquid, seu fiduciam collocare in aliquem vel aliquid, qui actus est actus dicti affectus, ac proinde actus est voluntatis: Unde τὸ credere in Christum dicimus idem esse, atque in Christo fiduciam collocare.

CAP.

CAPUT V.

Τὸ *Credere in aliquem in Sacris Literis plerumque idem sonare atque fiduciam in aliquo collocare.*

DEsumitur autem hæc φράσις seu formula loquendi ex V. instrumento; neque enim occurrit in scriptis Gentilium. Ac licet in Sacris literis, Credere in aliquem, & credere alicui interdum promiscuè usurpentur, idemque significent; longè tamen frequentius distinguuntur; Et plerumque idem sonant Credere in aliquem, & fiduciam in aliquo collocare, præsertim quando agitur de conditione fœderis gratuiti.

Hoc evincitur, 1. Ex locis quibusdam, ubi planè confunduntur, τὸ credere in aliquo & confidere in aliquo; ut Job. 39. 11. Ubi Deus agens de Rhinocerote: Nunquid confides in eo? quia multum robur ejus. Ver. 12. Nunquid credes in eo, quod reddet semen tuum!? Ubi in Hebræo, ver. 11. התבטח בו à radice, בטח (*i.*) confidit: LXX vertunt πέποιθας τὸ ἐπ' αὐτῷ; à πείθω.

· 2. Vox in Hebræo est התאמין בו à radice אמן credidit: LXX reddunt πιστεύσεις Hoc ipso in loco aperte confunduntur, confidere in aliquo & credere in aliquo.

Locus alter occurrit Psal. 78. 22. ubi mentio fit iræ Dei accensæ adversus Israelitas cujus ratio ibidem redditur, Quia non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus, לא האמינו באלהים ולא בטחו בישועתו. LXX reddunt, ὅτι οὐκ ἐπίστευσαν ἐν τῷ Θεῷ οὐδὲ ἤλπισαν ἐπὶ τὸ σωτήριον αὐτοῦ.] Ubi rursus לאהאמינו באלהים Græce, οὐκ ἐπίστευσαν ἐν τῷ Θεῷ. Non crediderunt in Deo. בישועתו לא בטחו Græcè οὐδὲ ἤλπισαν ἐπὶ τὸ σωτήριον αὐτοῦ; neque confisi sunt in salute ejus, pro iisdem sumuntur. Hic iterum τὸ credere in Deum, & confidere in salute ejus, promiscuè & pro iisdem usurpantur.

3. Locus occurrit, Mich. 7. 5. Ne credatis in Socium; Ne confidatis in Principem אל תאמינו ברע אל תבטחו באלוף LXX Μὴ καταπιστεύετε ἐν φίλοις, καὶ μὴ ἐλπίζετε ἐπὶ ἡγουμένοις. Pro iisdem sumuntur in Hebræo. אל תאמינו, in membro priori. Et אל־תבטחו. in membro posteriori. Et καταπιστεύειν & ἐλπίζειν. Nec movent quenquam quod אל־תבטחו. Vertunt LXX. μὴ ἐλπίζετε quomodo in loco precedente לא בטחו vertunt LXX. οὐδὲ ἤλπισαν. Nam, ut posteà manifestum faciemus, τὸ ἐλπίζειν ἐν τινι, idem est atque τὸ πιστεύειν εἰς τινά; Cum τὸ sperare in aliquo cùm refertur ad medium sive personam, sive rem, idem sit atque credere in aliquo vel confidere in aliquo; unde LXX τὸ בטח Hebræam vocem quæ propriè significat, confidit, vertunt frequentissime per τὸ ἐλπίζειν.

4. Locus occurrit Ecclus 32. ult. in Edit. Complutent. & Montan. Interlin. ὁ πιστεύων κυρίῳ προσέχει ἐντολῇ, καὶ ὁ πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ οὐκ ἐλαττωθήσεται. Qui credit Domino attendit mandato, & qui confidit in illo, non minorabitur. Mont. in Interlin. Non diminuetur. Vid Not. Hæschil. in Ecclus p. 417.

Ex hisce constat exemplis in V. Instrumento & libro Ecclesiastici scriptoris Apocryphi, pro eodem usurpari, Credere in aliquem, & confidere in aliquo. Unde constat Credere in aliquem denotare actum voluntatis, non intellectus.

2. Quod τὸ credere in Deum, sit τὸ fiduciam in Deum collocare; vel τὸ recumbere in Deum, patet, ex collatione locorum, & versione Interpretum. 1 Paralip. 5. 20. In contextu sic habetur, In manus Reubenitarum traditi sunt Hagareni: Et ratio subjicitur; Nam ad Deum clamaverunt Reubenitæ in prælio, & exoratus fuit ab eis, quia fiduciam collocaverant in eo. Heb. בטחו בו. Quæ verba sic reddit vulgatus Interpres, eo quod credidissent in Deum: Ex quo patet Vulgatum Interpretem pro eodem sumere fiduciam in Deo collocare, & credere in

in Deum. Sic 2 Paralip. 16 8,9. ubi in Hebræo est וּבְהִשָּׁעֶנְךָ עַל־יְהוָה in innitendo te super Domino: à radice שׁען. Vulgatus Interpres reddit, Cùm in Domino credidisses, Ubi inniti Domino, fiduciam in Domino collocare, & credere in Domino, pro eodem sumuntur à dicto interprete.

3. Hoc idem evincitur ex collatione locorum parallelorum V. & N. Test. Quæ enim in V. Testam. Confidentibus & fiduciæ in Deum; ea in N. Testam, sæpe credentibus in Christum, & fidei justificanti tribuuntur. Psalmista pronunciat, Psal. 2. 13. Beatos omnes qui confidunt in eo; חוֹסֵי בוֹ: πεποιθότες in eo. Et Paræmiastes: Prov. 16. 20. Qui sperat in Domino וּבוֹטֵחַ בַּיהוָה beatus est. LXX ὁ πεποιθὼς ἐπὶ κυρίῳ μακάριος. In N. Test. sic redditur Joan. 3. 16. Qui credit in eum, ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, non peribit sed habebit vitam æternam. Et ver. 36. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν habebit vitam æternam. Et certè πεποιθότες ἐν κυρίῳ in V. Test. & πιστεύοντες ἐν κυρίῳ, Psal. 77. 26. Esai. 28. 16. 2 Paralip. 20. 21. Mich. 7. 5. interdum versus 70 Interpretum, & passim in Novo Testamento idem sonant.

Ait Psalmista Psal. 25. 1. בְּךָ בָטַחְתִּי אַל־אֵבוֹשָׁה LXX. ἐπὶ σοὶ πέποιθα, μὴ καταισχυνθείην. In te confisus sum, non confundar. Psal. 31. 1. חָסִיתִי אַל אֵבוֹשָׁה בְּךָ יְהוָה LXX. ἐπὶ σοὶ κύριε ἤλπισα, μὴ καταισχυνθείην. In te Domine speravi, ne confundar. Sic Esaiæ 28. 16. apud LXX ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ. In N. Test. sic, redditur. Rom. 10. 11. ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. Qui credit in eum non confundetur. Et 1 Pet. 2. 6. ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ.

Prov. 3. 5. בְּטַח אֶל יְהוָה בְּכָל־לִבֶּךָ LXX. ἴσθι πεποιθὼς ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ἐπὶ Θεῷ. Confide Domino toto corde. Id Act. 8. 37. sic enunciatur, ubi compellat Philippus Eunuchum Baptismum competentem. εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης καρδίας ἔξεστι. Si credas ex toto corde; licet Esaiæ 26. 3. Custodies pacem, pacem, quia tibi fidit seu in te confisus est. בְּךָ בָּטוּחַ Fidite in Domino in perpetuum, ὅτι ἐπὶ σοὶ ἤλπισαν; Id ita enuntiatur, Rom. 5. Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν. Justificati ex fide, pacem habemus apud Deum.

Illud etiam addendum, 1. Certum esse Hebræos sæpe actum fiduciæ exprimere per verbum אמן Aman: quod verbum semper reddunt LXX Interpretes per τὸ πιστεύειν. Exemp. gratiâ, Psal. 78. 22. כִּי לֹא הֶאֱמִינוּ בֵּאלֹהִים וְלֹא בָטְחוּ בִּישׁוּעָתוֹ Et non crediderunt in Deo nec confisi sunt in salute ejus. Sic Esaiæ 28. 16. Ecce ego fundo, seu pono lapidem in Sion. הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ. Credens non festinabit, ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. Sic reddunt LXX, & Apostolus è LXX; Quomodo in hunc lapidem credi potest? nisi ut quis illo nitatur & ad illum adhærescat.

Esaias ita hebraice, Qui credit non festinabit; quasi diceret, Se in Deum conjiciet, ut ille ipsi subveniat, & patienter expectabit, dum quod pollicitus est, præstet, ut rectè Wottonus. Sensus est, Omnis sive Judæus, sive Gentilis, qui crediderit in illum lapidem (.i.) qui fiduciam collocavit in illum Lapidem, illoque nitatur, ut justitiam & salutem consequatur, haudquaquam pudefiet, (.i.) non frustrabitur expectata justitia & salute, quia illum fiduciæ suæ non pudebit, quin potius voti compos erit.

2. Æquè certum est, Græcos actum fiduciæ exprimere per verbum πιστεύειν. Notum est carmen Phocylidis

Λαῷ μὴ πίστευε πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Ne confide Populo, mutabile est Vulgus. H. Stephanus in Thesaur. p. 3. p. 142. inter alias significationes recenset & hanc πιστεύω, fido, confido, nitor, fretus sum, fiduciam & spem colloco, idem cum θαῤῥῶ; ubi varia exempla adducit ex Thucidide, Demosthene, & Æschine: ubi etiam locum Demosthenes quem petiit è commentariis Doctiss. Budæi p. 98. allegat: ubi τὸ πιστεύειν idem est Demostheni atque ἰσχυρίζεσθαι, (.i.) niti, seu fiduciam collocare, idem etiam atque ἐπισχυρίζεσθαι, (.i.) inniti. Vide locum.

Sed & LXX Interpret. in V. Test, ut actum fiduciæ exprimant, adjiciunt præpositionem ἐπὶ vel ἐν, πιστεύειν ἐπὶ Θεῷ vel ἐν Θεῷ. Ut loco citato e Psal. 77. 26. Καὶ οὐκ ἐπίστευσαν

στευσαν ἐν τῷ Θεῷ, οὐδὲ ἤλπισαν ἐπὶ τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Ubi non crediderunt in Deum, & non confisi sunt in salutari ejus; promiscuè usurpantur. Sic & Esaiæ 28. 16. ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. Qui confidit in illo Lapide (in Sione posito) seu nititur illo lapide, non confundetur; qui locus citatur bis ab Apostolo ubi agit de actu fidei justificantis, Rom. 9. ult. & 10. 11. Et etiam à Petro, 1 Pet. 2. 6. Sic 2 Paralip. 20. 20. Ἐμπιστεύσατε ἐν Κυρίῳ τῷ Θεῷ ὑμῶν. Credite seu confidite in Domino Deo vestro, & roborabimini seu confirmabimini. Sic Mich. 7. 5. Μὴ καταπιστεύετε ἐν φίλοις. Ne credatis (.*i.*) ne confidatis in amicis, ut ex sequenti membro constat. Sic in N. Test. ubi Paulus Rom. 4. 3. adducit illud Gen. 15. 6. ubi in Hebræo habetur והאמן ביהוה. Et credidit in Dominum & imputatum est ei ad justitiam. LXX, & ex iis Apostolus Rom. 4. 3. καὶ ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην: Confisus est Abraham Deo promittenti. Unde ver. 5. sic habetur At non operanti, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ; sed credenti in eum qui justificat impium; reputatur fides ejus ad justitiam.] Credenti in eum seu fiduciam in eum collocanti qui justificat impium, absolvendo à peccatis impium, imputatur fides ejus (.*i.*) fiducia qua nititur Deo promittenti & ejus potentia, fidelitate, bonitate item & misericordia per Christum, imputatur ei ad justitiam. Dominicus à Soto in Rom. 4. 5. Consultò Paulus non dicit credenti ei, sed credenti in eum; quæ phrasis voluntatis affectum designat, comitem fidei. Certè nullâ probabilitate asseritur, nudum assensum, quo Abraham credidit Deum esse justificatorem Impii, esse illam fidem quæ imputata est Abrahæ ad justitiam; & qua justus sistebatur coram Deo: Unde Estius in locum, addit. Per fidem intellige fidem sperantem, diligentem, invocantem & obedientem. Augustinus Tract. 29. in Joan. cum adduceret hanc Apostoli sententiam: Credenti in eum qui justificat impium, &c. Quid est, inquit, credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari] Credendo amare & diligere, Augustino, est credendo amare & diligere Deum invitantem, & allicientem vel hostes ad reconciliationem, quæ dilectio disponit ad reconciliationem, & est justificationi antecedanea: Sed addit Augustinus credendo in Deum ire, (.*i.*) confugere ad Deum misericordem per actum fiduciæ; & ità ire, ut hoc ipso actu membris ejus incorporemur. Sed de hoc loco posteà; & aliis, ex eodem Augustino.

Adde, aliis in locis N. Test. ut Act. 13. 39. Et ab omnibus quibus non potuistis lege Moysis justificari, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται (.*i.*) in hoc, vel per hunc, omnis qui credit justificatur] Et ubi Paulus & Silas Commentariensi sciscitanti, quidnam oportet facere ut salvus fiat, respondent, Πίστευσον ἐπὶ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ σωθήσῃ σὺ, καὶ ὁ οἶκός σου.] Ubi Paulus & Silas sciscitanti Commentariensi de modo & medio quo ad salutem perveniri possit, non alterius meminerunt quam fidei solius, seu fiduciæ in Christum Jesum recumbentis: Non enim intelligi potest hic locus de nudo assensu, quo credo Jesum Christum esse Dominum, nam & hoc crediderunt Dæmones, & multi impii, qui nunquam salutem consecuturi sunt. Sed & eadem formula loquendi crebrò occurrit in N. Testam. ut Act. 22. 19. Rom. 4. 24. & 9. 33. & 10. 11. 1 Tim. 1. 16. 1 Pet. 2. 6.

Denique quid denotat illa nova loquendi formula quæ tam crebrò occurrit in Novo Testamento εἰς τὸν Χριστὸν πιστεύειν in Christum credere? Num illud solummodo, credere vera esse quæ Christus loquitur? At quid opus erat ad hanc notionem exprimendam ut Spirit. Sancti amanuenses tam novam & insolentem loquendi formulam introducerent, imò tam inusitatam, tam obscuram, & à vulgari intelligentia remotam: Quod enim breviter perspicuè & clare dici potuit, Χριστῷ πιστεύετε, cur Evangelistæ & Apostoli novo & inusitato more dicendi, εἰς Χριστὸν πιστεύετε, voluerunt obscurare? Hæc etenim formula loquendi εἰς Χριστὸν πιστεύων quæ toties occurrit in N. Test. imò quæ in Evangelio Johannis trigesies novies, si rectè observavi, habetur; ut alia loca quamplurima mittam; hæc inquam formula tota est Sp. Sancto & illi quidem propria; neque enim ullum è Græcis Scriptoribus Authorem agnoscit; ne illos quidem LXX Interpretes qui Hebræa Biblia græce reddiderunt, à quibus tamen Apostoli & Evangelistæ, multa in scriptis suis, quod ad ipsam φράσιν attinet, crebrò mutuentur: Quare cùm Spiritus Sanctus no-

vâ

vâ loquendi formulâ utatur, quam actum fiduciæ exprimere perspicuum est, aliud quiddam præter communem vocis significationem proponere voluisse credibile est. Ut nihil causæ sit, cur fidem complecti fiduciam, & τὸ πιστεύειν εἰς Χριστὸν, Credere in Christum sit in Christum fiduciam collocare, dubitemus, ut rectè Wottonus. Atque in hunc sensum interpretanda sunt illa loca, ubi exprimitur conditio fœderis gratuiti. Ut Joan. 3.16. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret (in crucem levandum) ut quisquis credit in eum, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν non pereat sed vitam æternam habeat] Christus enim mortem crucis obeundo novum pactum cum toto humano genere ineundum meruit; ut quicunque credat in Christum crucifixum non pereat sed habeat vitam æternam: Credere autem in Christum crucifixum non est nudè assentiri, Christum esse crucifixum; id ipsum enim credunt ipsi Dæmones; id ipsum mali & impii homines credunt, qui tamen in æternum perituri sunt, nec unquam habituri sunt vitam æternam. Et ibid. versus 18. Qui credit in eum ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, non condemnatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei. Et versus 36. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum]. Hic τὸ credere in Christum liberat à condemnatione, & credens in Christum fruitur vitâ æternâ: quæ dici non possunt de iis qui nudè assentiuntur, Christum esse, vel credunt ejus sermonibus. Vid Joan. 6.35. & 40.

Ex hisce constat, non magni faciendum Canonem 43. Cornel. à Lapid. in Epistolas Pauli, ubi ait apud Hebræos & in Scripturis idem significare, Credere Deo, credere in Deo, & credere in Deum: Et verbum האמן (*i.*) credere Hebræis significare contactum quendam mentalem, quo mens quasi tangit suâ credulitate & consensu rem creditam, illique adhærescit.

Explicatio certè impropriè & planè improbabilis; quanto probabilius dicitur, Affectu fiduciæ, animum, Christum & ejus merita in quæ recumbit contingere, eisque adhærescere in negotio reconciliationis & justificationis: quod & ipse alibi ingenuè fatetur.

Quod de formulâ diximus loquendi, τοῦ πιστεύειν εἰς τὸν Χριστὸν, id ipsum pariter dicendum de similibus formulis quæ denotant non nudum assensum, sed fiduciam in Christum & ejus merita: ut cùm Apostolus ait Rom. 3.25. Quem proposuit Deus propitiationem seu placamentum διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι per fidem in sanguinem; Fides in sanguine seu sanguinem Christi est fiducia recumbens in sanguinem Christi ob remissionem peccatorum, vel nitens sanguine Christi. Estius in locum. Hujus propitiationis participes efficimur, per fidem quâ credimus eum pro peccatis nostris expiandis sanguinem suum effudisse. Simulque confidimus, Deum Patrem propter effusum sanguinem filii sui nobis fore propitium. Sic Actorum 20.21. Testificans (*i.*) prædicans conversionem in Deum, conversionem ad Deum & fidem in Dominum nostrum Jesum. πίστις ἡ εἰς τὸν Κύριον; fides quæ fertur in Dominum Jesum Christum est fiducia quâ, ferimur in illum & in eum recumbimus, ut mundi Salvatorem. Ad Gal. 3.26. Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu (*i.*) per fiduciam in Christo Jesu. Quomodo Servator ipse Joan. 1.12. Quotquot eum (Christum) acceperunt dedit iis hanc dignitatem ut filii Dei fierent, nempe iis qui credunt in nomen ejus (*i.*) qui in nomen ejus fiduciam collocant & in illud recumbunt: fides siquidem in sanguine ejus jus filiorum confert.

Sic, Act. 26.18. Ubi Paulus meminit vocationis suæ per vocem cælitùs demissam, & officii impositi, missus est enim ad Gentes, ut aperiat oculos eorum, & remissionem peccatorum accipiant & sortem inter sanctos πίστει τῇ εἰς ἐμὲ per fidem quæ est in me: fides autem quâ remissionem peccatorum accipimus & sortem inter sanctos non est fides, quâ ferimur in Christum solo assensu intellectus, sed quâ ferimur in eum affectu fiduciæ ob remissionem peccatorum. Similia loca occurrunt Coloss. 2.5. 2 Tim. 3.15.

Ex dictis efficitur, Græcos actum fiduciæ exprimere aliquando per vocem τὸ πιστεύειν, aliquando additâ Præpositione ἐν vel ἐπὶ vel εἰς, quæ formula postrema non occurrit

currit nisi in Scriptis Evangelistarum & Apostolorum in N. Testamento. Hæc de Græca voce.

3 Itidem, Certum est τὸ credere apud Latinos, idem sæpe significare quod τὸ fidere vel confidere, ut apud Virgilium, O formose Puer nimium ne crede colori. Ne crede (*i.*) Ne confide, Interprete Servio.

Ovidius, Moribus & vitæ credidit ille meæ, Epist. 16, 35.

Cyprianus de Mortalit. Si justus es & fide vivis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? Liber de duplici Martyrio ascriptus Cypriano, sic habet, Quis non quotidie recitat ore, Credo in Deum Patrem omnipotentem? At non credit in Christum, qui in eo solo non collocat totius fœlicitatis suæ fiduciam.

Credere in Deum (ait Augustinus in Psal. 77) utique plus est, quam credere Deo. Et Tract. 29. in Joan. Non continuo qui credit ei, credit in eum. Nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum.

Idem Augustinus Serm. 61. de Verbis Domini, Multum interest, utrum quisquam credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & Dæmones crediderunt, nec tamen in Christum Dæmones crediderunt: Ille enim credit in Christum qui sperat in Christum & diligit Christum.] Ille (inquit) credit in Christum qui sperat in Christum. Sperare in Christum non aliud est, quàm in Christum fiduciam collocare; quomodo supra observavimus, τὸ ἐλπίζειν ἐν τινὶ, καὶ τὸ πιστεύειν εἰς τινα idem sonare; unde τὸ בטח vox Hebræa quæ propriè significat, confidit, LXX frequentissime vertunt per τὸ ἐλπίζειν. Idem Augustinus Serm. 60. De Verbis Domini in initio, "Medicina animæ omnium vulnerum, & una propitiatio pro delictis " hominum est credere in Christum, nec omnino quisquam mundari potest, sive ab ori" ginali peccato, quod ex Adam traxit, in quo omnes peccaverunt & filii iræ naturaliter " facti sunt; sive à peccatis, quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ sed eam se" quendo, eique serviendo in flagitiis & facinoribus addiderunt; nisi per fidem coadu" nentur & compaginentur corpori ejus, qui sine ullâ illecebrâ carnali & mortifera de" lectatione conceptus est: In eum quippe credentes Filii Dei fiunt, quia ex Deo na" scuntur per adoptionis gratiam quæ est in fide Jesu Christi Domini nostri. Sed de " hisce posteà amplius dispiciemus.

Hoc ipsum confirmatur ex Interrogatoriis quæ solebant proponi agonizantibus, infirmis, jam animum agentibus ex præscripto, ut dicitur Anselmi Cantuariensis: In illa formula quomodo à Cassandro edita est; hæc Interrogatio & responsio extat. Credis te non posse nisi per Christi mortem salvari. Respondet infirmus, etiam tum subjungit Sacerdos: Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue: In nullâ aliâ re fiduciam habe: Huic morti te totum committe; hac solâ te totum contege, totum immisce, te in hac morte totum confige, hac morte te totum involve.] En quam Emphatice proprium actum fidei justificantis exprimit! fiduciam in Christi morte constitue, In nullâ alia re fiduciam habe. Hæ omnes formulæ loquendi exprimunt actus voluntatis, & imprimis actus fiduciam suâ notione includentes.

CAPUT VI.

Id ipsum confirmatur Recentium quorundam Testimoniis.

JOannes Fisherius, Episcopus Roffens. qui primus hanc Cathedram nostram occupavit, ex nostræ Lecturæ Fundatricis assignatione, ut in ipsâ fundatione habetur; lib. de fiducia & misericordiâ Dei, quem edidit Georg. Cassander Coloniæ 1556. (quem Six. Sen. falsò Bucero inscribit, qui liber etiam pessima fide in nupera editione

editione operum Roffensis excluditur) Is (inquam) in dicto libro, inter quædam axiomata, quæ ibidem habentur, duodecimum axioma sic proponit: Fiducia igitur nostra in Christum esse debet, per cujus merita salutem resipiscentibus, Pater daturus est gratis: neque enim ob industriam fidendum est, sed ob unius Jesu Christi merita.]

In explicatione axiomatis hæc subjungit: Prima ratio salutis nostræ, est fides in Christum, sine quâ nihil agitur, & per quam assequimur omnia, modo viva sit: & à malis operibus abstinere; pariter & bonis, quum opportunitas data fuerit, propter Christum insudare, constituerimus: Hæc sola fides est quæ justificat; atque ideo Paulus (Gal.5.6. fidem vocat quæ per dilectionem operatur: Quisquis enim, novâ secum constitutâ vitâ, verè sentit se conversum à peccatis ad Christum, spem suam omnem reponens in ipsum, is verè justificatus est, etsi nondum habuerit opera: quod si quis habuerit opera, non illis fidendum est, sed judicium operum suorum Deo permittat omninò: & pauló post, quare tutissimum est, ut sive adsint (bona opera) sive non adsint, tota nostra spes in Christum feratur, qui gratis unumquemque salvat.]

Hæc ibidem Roffensis, ubi vivam fidem explicat per fiduciam nostram in Christum, & unius Jesu Christi merita: addit etiam ut spem omnem reponamus in ipsum; & rursus, ut tota nostra spes in Christum feratur, & addit hanc solam fidem esse quæ justificat.

Gerson de artic. fidei, Credere in Deum, est credendo in Deum fide & affectione tendere.

Elucidator Roman. Catech. sic cap.9.q.5. cap.10.q.19. Explicans quid sit τὸ credere in Deum; Phrasis, inquit, hæc loquendi, significat nos ita credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ut etiam in iis omnem fiduciam nostram collocemus, quam in Deo solo non autem in creaturis ponere possumus.] Fides igitur justificans quâ credimus in Deum est fiducia voluntatis, non nudus assensus intellectus.

Titlemannus in Psal.2.ult. Explicat τὸ confidere in Dominum per τὸ credere in eum. Credere in Deum, est in Deum piâ affectione tendere, inquit Jacobus Baius.

Cajetanus in Enarrat. dicti Mosaici. Credidit Abraham Deo Genes.15. Moyses non dicit Abrahamum credidisse Deo, sed in Deo, hoc enim plus est; Nam credere Deo est fidem habere illius verbis ut veracibus; credere autem in Deo, adjungit confidentiam in Deo, ita quod non solum credidit verum sibi dici à Deo, sed etiam innixus est Deo, sed etiam jecit se in Deum, adimpleturum quod dixerat.

Erasmus ad Rom.2.17. ait, Sacras literas fidem frequenter usurpare pro fiduciâ erga Deum, ut non multum differat à Spe.

Jansenius cap.19. Concord. Catholic. fidem (inquit) quâ credimus Christum esse Dei filium, promissum, & mundi Salvatorem, consequuntur ferè fiducia in Christum, ejusdemque super omnia dilectio; quæ duo quia consequuntur fidem nostram, quatenus Deum & Christum respicit, atque secundum nostrum loquendi morem, videntur includi in præpositione (in) ob id apud nos ex sententia Augustini & aliorum Patrum obtinuit, ut credere in aliquem solum tribuamus Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto.] Hæc ille.

Illud Christi, Creditis in Deum etiam in me credite, sic explicat Stapletonus, In Deum fiduciam habete, & in me.

Hisce accedat Ecclesiæ nostræ explicatio in Homiliis editis Anno 1547. In Homil. de verâ vivâ & Christianâ fide: ubi distinguit inter credere Deo, & credere in Deum, ubi explicat τὸ credere in Deum per fidem & fiduciam in Deum, p.21. & fidem cum fiduciâ confundit: & hujus veræ & vivæ fidei actum vult esse τὸ fidere, τὸ confidere in Deum, concredere nos totos Deo, pendere à Deo totos; Homilia de salute part.2. Et postea ait, esse fiduciam & confidentiam in Deum ponere. Et ex Jerem.17. docet, Illum esse beatum, qui fidem habet & confidentiam in Deum,

Ibidem etiam docet, in negotio salutis in misericordiam Dei & sacrificium crucis fiduciam nostram unicè reponendam, abdicatis & abrenunciatis nostris virtutibus

&

& actibus quibuscunque, & fiduciam totam in Christum collocandam.

Et in Catechismo edito ex recensione Reverendiss. Præsulis Th. Cranmeri Archiep. Cantuariensis, Primarii Eccl. nostræ Reformatoris, in explicat. Symboli in primo Articulo; Credo in Deum Patrem, (*i.*) fiduciam colloco in Deum Patrem, à quo omnia bona lætus expecto; & mox docet Articulus fiduciam nostram non in ulla creatura ponendam, sed in Deum verum & viventem & postea.--- Debemus in Deum solum confidere, illi adhærescere, ab illo pendere, ab illo omnia bona expectare; illum esse unicam rupem & præsidium, quo si nitamur non confundemur.

Mox docet, nos debere in illum confidere, dedere nos totos illi & ejus protectioni--- & hoc esse summum & præcipuum sacrificium quo Deus colitur & placatur.

Hinc hortatur, ut fiduciam nostram in Deum Dominum nostrum figamus etiam in omnibus tribulationibus & angustiis, etsi nobis videantur prorsus inevitabiles,---Cùm ipse nutu regna evertere possit.

Postea, ubi secundum Articulum explicat, credo in Jesum Christum unigenitum filium Dominum nostrum, &c. (*i.*) fiduciam omnem colloco in Christum Redemptorem Dei justitiæ satisfacientem, & ejus merita ob remissionem peccatorum; nostris meritis quibuscunque abdicatis, & prorsus abrenunciatis in negotio justificationis.]

CAPUT VII.

Solvuntur Objectiones Romanensium è Scripturis.

ADversus hæc quæ à nobis proferuntur, multa adducunt Romanenses ex Sacris Literis testimonia, quibus suam assertionem stabilire nituntur, fidem *sc.* justificantem non aliud esse, quàm assensum ad ea quæ divinitus revelantur.

Objectiones Romanensium.

Object. Fides definitur Hebr. 11.1. ὑπόστασις rerum quæ sperantur; & ἔλεγχος rerum quæ non videntur.] Hæc est definitio fidei justificantis, ut patet ex fine cap. præcedentis: At hæc definitio extenditur non tantum ad Christum, promissiones Dei, & Evangelium, verum ad totum verbum Dei, & omnia quæ verbo Dei continentur, & ad verbum Dei, quod est de mundi creatione, v. 30. item quod sit Deus, v. 6.

Sol. R. 1. Apostolum non accuratam aliquam fidei definitionem exhibendam sibi proposuisse hisce verbis, aut fidei Catholicæ aut justificantis: sed cùm antea cap. 10. postremâ parte hortetur ad patentiam v. 38, docet quomodo fides ad patientiam prosit, & necessaria sit; ubi per fidem intelligit fidem justificantem; fides enim justificans est illa per quam justus vivit: fidem verò hanc ad patientiam prodesse docet, quatenus est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων: (*i.*) substantia seu subsistentia rerum sperandarum; quia enim confido Dei misericordiæ, in eamque fiduciam colloco, hinc illa proprietas fidei, quâ fit ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, quæ facit in animo subsistere modo quodam ea quæ sperantur futura, per certam expectationem, æternam scilicet beatitudinem, licet nondum reipsâ à nobis possideatur: Nam fidendo in Dei misericordia, hæc fides seu fiducia est instar basis aut fundamenti rerum sperandarum, cùm illi innitendo certam spem vel potius expectationem concipimus rerum sperandarum, (*i.*) æternæ beatitudinis promissæ; eadem etiam fides rectè dicitur, ἔλεγχος οὐ βλεπο-

μένων (i.) index seu argumentum rerum non visarum quatenus eam demonstrationis certitudinem præstat adeò ut res illæ quæ nondum cernuntur, jam reipsâ existere & coram cerni videantur. Nam quia confido in Dei misericordiâ inde oritur certitudo de remissione peccatorum, de adoptione in filios de vitâ æternâ.

Sic. cap. 6. 12. Hortatur Apostolus Hebræos, ut non sint segnes, sed imitatores eorum qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hæreditatem, in quorum numero recenset Abrahamum, cui Dominus promisit, certè benedicens benedicam tibi, Gen.2?.17. & multiplicans multiplicabo te; atque ideo (inquit v.15.) quum patienter expectâsset assecutus est promissionem.

Ex hisce intelligitur, hasce proprietates solis viris justis competere: in iis enim solis inest hæc certitudo & certa expectatio æternæ beatitudinis: Ideoque Chrysostomus hunc primum versum cap.11. continuat cum fine cap.10. Unde cum Apostolus dicit c.10.39. ἡμεῖς ἐσμὲν——πίστεως εἰς περιποίησιν ψυχῆς, subjungit, ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις &c. Nos sumus fidei ad animæ salutem, subjungit, est enim fides subsistentia rerum sperandarum, & argumentum rerum non visarum: Posteà, hinc arreptâ occasione, recitare pergit cujuscunque fidei encomia, tàm Catholicæ ac miraculosæ, quàm justificantis; uti satis apparet ex Inductione variorum Exemplorum.

Hugo de S.Vict. & Halensis negant hic explicare Apostolum quid fides sit per genus & differentiam, sed tantum quid efficiat.

Ob. secunda, Rom.4.19,20,21. Non infirmatus [Abraham] est fide, nec consideravit corpus suum jam emortuum — sed confortatus fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.

Ideò reputatum est ei ad justitiam] Ubi Apostolus agit de fide justificante, ut patet ex versu 22: Quænam autem fuerit illa fides explicat & negativè, cùm ait, Non consideravit corpus suum jam emortuum——— Consideratio autem ad intellectum pertinet, ad quem non pertinet fiducia, & affirmativè, cùm ait, Plenissimè sciens quia quodcunque promisit Deus potens est & facere: πληροφορία autem est plena persuasio, quæ intellectus est, non itidem voluntatis.

Sol. R. Apostolum per fidem v. 19. & 20. intelligere fidem in Deum, seu fidem illam cujus actus imputabatur Abrahæ ad justitiam v.22. & v. etiam 3.

Iste autem actus non erat nudus actus fidei Catholicæ, quâ Abraham assentiebatur Dei omnipotentiæ, & illum etiam præstare potuisse quod promiserat, ut vult Bellarminus. Nam & dæmones & mali homines plenè Dei omnipotentiam agnoscunt & firmiter credunt & etiam præstare eum posse quod promisit; & tamen hi actus non imputantur iis ad justitiam. Actus ergò fidei qui imputabatur Abrahæ ad justitiam erat actus, quo Abraham credidit Deo v.3. seu ut est in Hebræo Gen. 15.6. credidit Abraham in Deum (i.) fiduciam in Deum collocabat, seu in Deum recumbebat ob promissionis adimpletionem, quo sensu sumitur τὸ credere in Deum v.5. & 24. & passim alibi, ut supra observavimus.

Per fidem in Epistolis ad Roman. & Galatas intellige fidem in Deum & quidem fidem formatam. *vid.* Menoch. Rom.4. v.3. vel fidem Deo dicenti aut promittenti nitentem, vel ut Cypriani phrasi utamur, fidem in dictis testificantis, loquentis, pollicentis Dei stantem & permanentem.

Sic Cyprian. de Mortalit. post Med. Fides in Deum vel Christum denotat fidem, quæ in Deum vel Christum fertur affectu fiduciæ, sic fides in sanguinem Christi, Rom. 3. 25. *vid.* & Act. 20. 21. & 24.24. & 26. 18. Gal. 3. 26. 2 Tim.3.15.

Ad primam confirmationem, dico sensum loci esse, fidem ejus in Deum seu fiduciam tam validam extitisse, & tam firmiter defixam in potentia, veritate & benevolentia Dei, ut planè sustulerit omnem cogitationem de ineptitudine corporis ad gignendam sobolem, & omnem disceptationem adversus promissionem specialem Dei.

Est enim certitudo de promissionibus ejus adimplendis effectum proprium hujus fidei in Deum seu fiduciæ, ut ubique constat ex Psalmis Davidicis, ut Psal. 25.1. & passim alibi.

Ad

Ad ſecundam confirmationem, R. τὸ πληροφορηθεὶς Ro.4.21. non tantum verti poteſt pleniſſimè ſciens ut vetus interpres vertit, ſed pleniſſimè perſuaſum habens, ſeu confidens. Idque patet ex verſu 18. ubi dicit Apoſtolus Abrahamum contra ſpem ſub ſpe credidiſſe (*i.*) firmam in corde concipit de veritate & potentia Dei fiduciam. Patet hoc idem ex Antitheſi v.20. non hæſitavit diffidentiâ, ut vulgatus interpres vertit. Diffidentia verò eſt cordis & opponitur fiduciæ. Nec ſufficit quod Bellarminus ait diffidentiam poni pro incredulitate, nam incredulitas tàm eſt diffidentiæ quàm hæſitationis mentis. Utraque enim dicitur ἀπιςία. Matth. 17. 20. Marc. 19.24. & tam fiduciæ ſpeciatim, quàm fidei generatim opponitur.

Ob. tertia, 1 Cor.13. ult. Nunc manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc, maxima autem horum eſt charitas.

Hîc (inquit Bellarm. de juſtificat. lib. 1. c. 6.) diſtinguit Apoſtolus fidem à ſpe, & dicit eſſe duo quædam diverſa. Manifeſtum autem eſt fiduciam nihil aliud eſſe quàm ſpem roboratam.

Unde Job 8.13. 14. Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia ejus. Et pro eo quod dixit David Pſal.39. Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus. Dixit Hierem. c.17,7. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.

Itaque fiducia ex fide quidem oritur, ſed non poteſt idem eſſe cum fide, niſi confundere velimus, quæ tam apertè Apoſtolus ipſe diſtinxit.

Sol. R. Nos nihil dubitamus quin fides catholica rectè diſtinguatur à ſpe ſalvifica hoc ipſo in loco & alibi, ſed illud planè negamus quod ubique clamitant Jeſuitæ ſecuti Thomam, fiduciam nihil aliud eſſe quàm ſpem roboratam, & non virtutem eſſe ſed virtutis conditionem, ut habet Thomas 22. q. 129. art.7. ad.3. Quæ quanquam verè dicantur de fiducia ſecundum aliquam acceptionem: tamen propriè loquendo, fiducia eſt virtus diſtincta à fide Catholica & ſpe ſalvifica, ſedem tamen habet in voluntate ut & ſpes.

CAPUT VIII.

Ubi oſtenditur proprie loquendo, fiduciam eſſe virtutem à fide Catholica & ſpe ſalvifica diſtinctam.

Sed & porrò dicimus affectum fiduciæ in quo ſedem habet hæc virtus, æquè diſtingui ab affectu ſpei, atque ab ira aut audacia, qui ſunt diſtincti affectus appetitus iraſcibilis. Sic & hi affectus ſpecifice diſtincti.

Nam 1. diſtinguuntur objectis, ſpes ſiquidem eſt finis, fiducia mediorum ad finem.

2. Spes eſt abſentium & quidem futurorum, ſic Ariſt.l.de Memor. c.1. τῶ δ' μέλλοντος ἐλπίς. Fiducia verò rei præſentis ut (inquit J. Scaliger. exerc.314.3.1.) cùm quis fidit ſuo robori dum gerit ſarcinam, vel velocitati, dum currit, Niſi enim fiderem nervis, dum moveor, non auderem me movere.

3. Diſtinguuntur actibus. Actus enim ſpei eſt ſperare & expectare, quem exprimunt Hebræi per יחל, & . . . Actus autem fiduciæ eſt niti, inniti & confidere quem exprimere ſolent Hebræi per בטח שען

4. Spei opponitur deſperatio, fiduciæ diffidentia.

5. Differunt ratione relationis logicæ. Fiducia enim ſe habet ad ſpem tanquam cauſa efficiens ad ſuum effectum. Nemo enim ſperat bonum aliquod niſi habeat fiduciam in cauſis, quibus illud bonum conſequi poteſt.

6. Differunt integris definitionibus. Spes enim est affectus, quo appetimus bonum aliquod futurum, arduum quidem, sed possibile.

Fiducia autem affectus, quo appetitus adhæret alicui medio, quod judicatur vel solum, vel cum aliis, sufficiens ad finem aliquem arduum, quem appetimus possibilem tamen consequendum.

Ex hisce aliquo modo colligere licet distinctionem quorundam terminorum, qui diligenter distinguendi sunt in negotio justificationis, quales sunt fides catholica, fiducia seu fides justificans, fides specialis, & spes salvifica, qui termini non incommodè distingui possunt juxta partes illius Syllogismi, cujus propositio in Evangelio continetur, quo fideles se receptos esse in fœdus gratiæ concludunt, est autem talis,

1 Quisquis credit in Christum Redemptorem habebit vitam æternam.
2 Ego (inquit fidelis) credo in Christum Redemptorem.
3 Ergò ego habebo vitam æternam
Hinc
4 Ego certò expecto vitam æternam.

Firmus assensus adhibitus primæ propositioni est actus fidei catholicæ.
Secunda propositio exprimit actum fiduciæ seu fidei justificantis.
Assensus adhibitus tertiæ propositioni seu conclusioni est actus fidei specialis applicantis promissionem, seu rem promissam.
Quarta exprimit actum spei salvificæ.

Hi actus licèt reipsa distinguantur, tamen ob subordinationem eorum ad invicem & magnam affinitatem sæpenumero confunduntur in sacris literis, & promiscuè usurpantur, ut & ipse Stapletonus concedit lib.8. de justificat. c.21. Nam τὸ credere interdum significat assentiri, atque sic est actus intellectus, interdum fidere vel confidere & est actus voluntatis. Hinc credere in Christo, vel in Christum plerumque idem est, atque fiduciam in Christo collocare: Sic & τὸ ἐλπίζειν τὸ sperare quando respicit finem, idem denotat atque expectare, & designat actum spei salvificæ: quando autem respicit medium, idem significat atque confidere, & designat actum fiduciæ.

Hinc toties illa phrasis apud Davidem in Psalmis in vulgata editione sperandi in Deum ut Ps.2.12. Beati omnes qui sperant in eum.

Ex hisce facilè occurritur locis à Bellarmino allatis, ut Job 8. 14. Spes hypocritæ peribit, & sicut tela aranearum fiducia ejus.] Hic fiducia non denotat affectum, sed sumitur pro objecto, pro eo in quo fiduciam collocamus.

Subjungit Bellarminus, pro eo quod dixit David Ps.40.5. Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus: dixit Hieremias cap.17. Beatus vir qui confidit in Domino & erit Dominus fiducia ejus. Utcunque vulgatus interpres variè reddat spem in Psalmo & fiduciam in Hieremia, tamen eadem planè vox Mib . . . . . est in Hebræo proinde non inde concludi potest fiduciam esse spem roboratam prout contendit Bellarminus.

CAPUT

CAPUT IX.

Explicatur locus ad Ephesios cap. 3. v. 12. Ubi de Variis Fiduciæ acceptionibus.

OBject. quarta, ex 3 cap. ad Ephes. v. 12. In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.]

Quod si (inquit Bellarminus) habemus accessum ad Deum in confidentia seu fiducia per fidem, rectè sequitur, ut fides non sit fiducia, sed fiduciæ causa, alioqui sensus hujus loci esset, habemus accessum in confidentia per confidentiam, quod absurdum esse non dubium est. Addit etiam distingui fiduciam à fide, Matth. 9.22. confide filia, fides tua te salvam fecit, & 1 Tim. 3. 13. Qui benè ministraverint gradum bonum sibi acquirunt & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

Sol. R. Vocem fiduciæ denotare
1 Affectum fiduciæ propriè sumptæ distinctum à spe,
2 Gradum spei propriè sumptæ, quo sensu dici potest spes roborata,
3 Actum intellectus, plenam persuasionem & sic opponitur dubitationi, vid. Wottonum de Justific. part. 2. l. 2. c. 35. n. 12, 13, 14, &c.

Cùm autem Apostolus ait, in quo [Christo] habemus fiduciam [Græcè *παῤῥησίαν*, Beza rectiùs vertit libertatem] & accessum in confidentia per fidem ejus] sensus est in Christo habemus libertatem & accessum *sc.* ad Deum *ἐν πεποιθήσει* in confidentia seu cum spe roborata; per fidem ejus (*i.*) per fiduciam in Christum Redemptorem. Breviùs, per fiduciam in Christum Redemptorem habemus aditum vel accessum ad Deum cum confidentia (*i.*) cum spe roborata. Unde rectè colligitur nasci confidentiam seu spem firmam & roboratam adeundi Deum ex fiducia in Christum Redemptorem & ejus meritum, utpote quæ nostram cum Deo reconciliationem efficit & operatur. Hic verus est & legitimus sensus hujus loci. Hinc ergò non efficitur, ut fides non sit fiducia, sed fiduciæ causa, ut vult Bellarminus, sed potiùs hinc sequitur confidentiam seu fiduciam quâ denotat spem firmam seu roboratam adeundi Deum nasci ex fide seu fiducia, quâ in Christum Redemptorem & ejus meritum recumbimus, ob remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo. Apostolus vult dicere hunc esse Christum per quem habemus accessum ad patrem, solus est per quem adducamur ad patrem. Ideò ait cap. 2. v. 18. *δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν* —— ad patrem sic Christus ipse Joan. 14. 6. Ego sum via, *sc.* in patrem, & nemo venit ad patrem nisi per me. Et ad Rom. 5. 2. Apostolus docet hunc aditum ad patrem nos habere per fidem in Christum Mediatorem. Hic autem docet Apostolus nos non tantùm per fidem in Christum Mediatorem habere accessum ad Deum, sed accessum *ἐν πεποιθήσει* cum confidentia & spe firma.

Hoc rectè explicat Theophylactus in locum secutus Chrysost. Atque non ut captivi (inquit) adducti sumus, neque velut peccatores, sed libertatem habemus, *παῤῥησίαν*, neque eam simplicem, *ἀλλὰ καὶ τῇ πεποιθήσει καὶ θαῤῥεῖν*, sed cum confidentia seu spe firma. Unde (inquit) hæc nobis bona? per fidem (inquit) quæ peccata solvens libertatem nobis & fiduciam imposuit] Hæc ille.

Fides autem peccata solvens est fides seu fiducia in Christum Redemptionem ob remissionem peccatorum.

Ad alterum locum Matth. 9. 22. confide filia, fides tua te salvam fecit] hoc loco non distinguitur fides à fiducia, sed explicatur fiducia per fidem. Mulier enim non post fidem, sed per fidem jubetur confidere, quia fides (*i.*) fiducia, quàm in Christo ponebat, eam servaverit; alioqui frigidior esset sensus, assensus tuus te servavit.

Ad

Ad tertium locum, 1 Tim. 3.13. eo in loco pollicetur Apostolus Diaconis benè ministerio illo fungentibus, digniorem gradum in Ecclesia, puta Presbyteratum vel Episcopatum, in quo multa cum fiducia prædicare possint fidem (*i.*) doctrinam fidei Jesu Christi: loquitur ergò de fide quæ creditur, seu doctrina fidei, non quâ creditur; Doctrinam autem fidei à fiducia distingui nemo dubitat.

CAPUT X.

Fidei justificantis objectum non esse omne id quod Deus revelavit. Ubi occurritur objectionibus Bellarmini ex Evangeliis.

OBject. quinta, Accedant (inquit) omnia illa loca quæ docent objectum fidei justificantis esse illa omnia quæ Deus revelavit, quæ loca (inquit) c. 8. adferentur. Neque enim fiducia tam latè patere potest, cùm solùm bona & ea ut futura respiciat.

Sol. R. Fidei justificantis objectum non esse omne id quod Deus revelavit; sed illam sive personam sive rem, puta, Deum misericordem, seu Dei misericordiam, Christum item redemptorem seu ejus mortem & merita, quibus nititur pœnitens peccator ad consequendam remissionem peccatorum, & justificationem coram tribunali Dei. Sed nec fiducia, quâ recumbimus in Christum Redemptorem & ejus merita, ea respicit ut futura, sed ut præsentia nobis in Evangelio oblata, & mundo anteà exhibita.

Object. sexta, Accedant etiam (inquit) illa loca ubi actus fidei dicitur esse credere, ut Rom. 4. credidit Abraham Deo—— Nam si (inquit) Scriptura divina per fidem intelligeret fiduciam, actum ejus explicaret per verbum fidere, non per verbum credere; Subjungit, quod si adversarii contendant, ipsum etiam credere usurpari in sacris literis pro eo quod est fidere, aut confidere, cogentur absurdissimè (inquit) atque ineptissimè loca plurima explicare, ut eum, Joan. 14.10.

Sol. R. 1. Non dubium esse, quin in sacris literis τὸ credere usurpetur pro eo quod est fidere aut confidere aliquoties, & ne longiùs abeam in exemplo allato, Rom. 4. credidit Abraham Deo (*i.*) Deo fidebat seu confidebat. Nam in Hebræo Gen. 15.6. unde locus iste desumitur, est, credidit Abraham in Deum (*i.*) in Deum fiduciam collocabat. Sic (ut supra ostendimus,) sumitur τὸ πιστεύειν apud Græcos supr. p. 12, 13. & apud Latinos p. 18.

2. Respondeo, Etsi in sacris literis τὸ credere usurpetur aliquoties pro fidere vel confidere, non tamen semper, quare frustra exempla allata producuntur, cùm certum sit τὸ credere sæpè denotare τὸ assentiri actum *sc.* fidei Catholicæ, ut Joan. 14.10. Non credis quod ego in patre, & pater in me est? —— alioqui propter opera credite mihi, & Act. 8. 37. Credo filium Dei esse Jesum Christum, sic Marc. 1.15. & 13.21.

3. Nos fusè docuimus supra [p. 13. & 14.] τὸ credere cum præpositione Hebræa ב. Græc. ἐπὶ vel εἰς: Latin. in, aliquo vel aliquem denotare actum fiduciæ. Et apud Latinos, Augustinum, Lombardum, & Scholasticos certum est aliud esse

{ credere Deum
{ credere Deo
{ credere in Deum

4. Dicimus plurima loca occurrere, ubi certum est τὸ credere in aliquo vel in aliquem

quem non posse denotare nudum assensum præbere, ut supra innumeris exemplis docuimus p.8.——ut Joan.3.16. Act.10.43. & 16.30.

Obj. 7. Bellarminus, lib.1. de justif. c.8. objectum fidei justificantis esse contendit omnia quæ Deus revelavit, atque adeò fidem justificantem esse assensum omnibus divinitus revelatis; non autem fiduciam, quomodo supra diximus. Sic enim argumentatur,

1. Fides, quam Christus exigebat, & in cujus confirmationem miracula faciebat, erat fides divinitatis & omnipotentiæ divinæ:

At fides illa erat fides justificans. Hujus enim rei causâ fidem prædicabat & confirmabat, ut per eam homines salvarentur.

Minorem probat Luc.19.9. venit quærere & salvum facere quod perierat, 1 Tim. 1.15. Venit in hunc mundum peccatores salvos facere, Joan.3.16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Majorem confirmare nititur ex Evangelio longa exemplorum fidei inductione, Matth.9.28. & 16.18.

Sol. R. ad minorem negando, nam 1. Fides quam Christus prædicabat, denotat objectum fidei; non actum aut habitum fidei.

Prædicabat fidem (*i.*) doctrinam fidei & eam miraculis confirmabat.

Prædicabat dogmata item fidei, fidem suæ divinitatis & omnipotentiæ; sed fides horum dogmatum, seu firmus assensus hisce dogmatibus, etsi fundamentum sit quo nititur fides justificans, non tamen est actus fidei justificantis.

2. Ipsi Dæmones firmiter credebant Christi divinitatem & omnipotentiam & eum Dei filium agnoscebant, Matth.8.29. & Luc.8.28. qui tamen fidei justificantis non erant capaces.

Loca duo priora adducta non meminerunt fidei ullius, doctrinam tamen continent de officio Christi, Christus enim veniebat quærere & salvare quod perierat: veniebat item in mundum ut peccatores salvos faceret: doctrina autem de officio Christi est objectum Catholicæ fidei, certum enim est Christum venisse in mundum ut Salvatorem, Liberatorem, Redemptorem.

Tertius locus non aliud probat quam Deum, Christum filium unigenitum dedisse ut levetur in crucem, ut pactum Evangelicum cum genere humano iniret, ut quicunque crediderit in eum non pereat sed habeat vitam æternam, atque adeò venisse in mundi salvatorem, quæ doctrina est objectum fidei Catholicæ, & fundamentum fidei justificantis. Hæc de Minore.

2. Quod ad exempla quæ afferuntur ad confirmationem Majoris. Primum habetur Matth.9.28. ubi ait Bellarm. Dominus cæcis petentibus lumen. Creditis (inquit) quia hoc possum facere vobis? illis respondentibus, utique Domine; ait, secundum fidem vestram fiat vobis. Quo loco Dominus fidem Omnipotentiæ ac per hoc divinitatis suæ exegit; atque in hujus fidei Catholicæ comprobationem cæcos visioni restituebat. Matthæi item cap.16. ver.16. fidem solius divinitatis Christi profitetur Petrus, quæ tamen Petri fides à Patribus aut perfecta laudibus efferri solet. Vid. Hilarium, Chrysostomum, Augustinum & alios apud Bellarm. lib.1.de Justif. c.8.

Sic Centurio Luc.7.9. non aliud se credere professus est quàm Christi Omnipotentiam & divinitatem, dicens, dic tantum verbum & sanabitur puer meus.

Id ipsum dici potest de fide Nathanaelis quæ fuit sola confessio divinitatis Christi. Joan.1.50,51. sic Joan.6 69. & 11.26,27.

Ex hisce exemplis colligit Bellarminus fidem quam Christus exegit, quam laudavit, ad quam hortatus est, quam denique signis & prodigiis comprobavit, fidem proculdubio justificantem fuisse; ut hanc fuisse fidem duntaxat Omnipotentiæ ac per hoc divinitatis; non autem specialis misericordiæ, dicere debuisset, non autem fidem in Christum Redemptorem.

Sol.

Sol. R. 1. Initio nascentis Ecclesiæ cùm Christus sese primùm mundo in carne nostra exhibuit potissimum dubitationem fuisse, an Jesus Mariæ filius qui in terris egit & inter mortales versatus est, & obnoxius fuit passionibus & infirmitatibus, ut alii homines, fuerit etiam filius Dei, & verus Deus & omnipotens. Nemo siquidem unquam dubitavit an in verum Deum fiducia possit collocari & sit collocanda ob remissionem peccatorum.

Quare Christus in Evangeliis in hoc incumbebat, ut homines adducerentur ad fidem omnipotentiæ ac per hoc divinitatis, agnoscendam & credendam; non quod hæc ipsa fides esset, quæ justificat, sed quòd absque hac, fides justificans haberi non possit, cum sit basis ac fundamentum fidei justificantis, hoc enim jacto fundamento optimè novit quilibet in eum sic agnitum omnem fiduciam reponendam esse ad remissionem peccatorum.

Dico 2. Priùs naturâ fides eorum quibus Christus prædicabat instrui debebat in mysteriis de personæ Messiæ constitutione, de personæ ejus unitate, de naturarum ejus dualitate, de earum hypostatica unione, quàm de ejusdem personæ officiis, v. g. de officio salvandi, redimendi, justificandi instrui potuit. Quare priùs naturâ in prima Evangelii promulgatione, exigenda erat fides divinitatis ac omnipotentiæ à Catechumenis, priùs, (inquam) naturâ quàm fides eorum ferri potuit in Messiam ut Mediatorem, Salvatorem, ac Redemptorem. Et hac de causa Christus in Evangeliis in iis quos miraculosè sanavit & aliis, postulabat fidem divinitatis ejus & omnipotentiæ. Non quòd hæc esset ipsa fides, quâ salvabantur à peccatis & justificabantur; sed quòd ista fides viam ad fidem justificantem muniret & pararet, quo posito fundamento, optimè sequebatur in illum ut Salvatorem à peccatis, & justificatorem fiduciam eorum ferendam esse & ferri debere.

3. Verus Messias quem expectabant Judæi, futurus erat liberator noster, Isa. 59. 20. & Rom. 11. 26 qui nos liberaturus erat ab omnibus malis, à peccatis, ab ira Dei, à mortis imperio: futurus erat Redemptor noster qui ab omni iniquitate redempturus erat. Psal. 130. 7. & captivitate etiam & tyranni de Diaboli. Idem etiam collaturus erat nobis omne bonum, restitutionem imaginis Dei, gratiam, supernaturalem, novam creationem, remissionem peccatorum, jus adoptionis, vitam æternam. At hisce malis liberare & hæc bona conferre, nemo potuit nisi qui verus Deus esset; Priùs ergò fides nostra ferri debuit in Christi divinitatem, quàm aut in horum malorum remotionem aut bonorum collationem, atque adeo priùs quàm in eum ut justificatorem.

4 Nisi Christus fuisset veri nominis Deus, Christi mors & meritum non fuissent omnibus applicabilia; nec passiones & actiones ejus transitoriæ tanti fuissent valoris & pretii, ut omnibus hominibus prodesse potuissent. Quare de Personæ illius dignitate priùs constare oportebat, & in illius divinitatem fides nostra ferri debuit, quàm in merita ejus & meritorum ejus applicationem ad remissionem peccatorum.

Hisce de causis Christus meritò postulabat ab iis, quos sanaturus erat à suis languoribus, fidem omnipotentiæ ac per hoc divinitatis. Sed hinc non sequitur fidem omnipotentiæ ac divinitatis suffecisse ad justificationem. Nam & multi impii tùm homines tùm dæmones credebant omnipotentiam ac divinitatem Christi, hoc ipso tamen non justificabantur.

Fides autem justificans justificat omnes quibus inest. Quod autem fides divinitatis non justificat omnes quibus inest, patet, Matth. 8. 29. Dæmones agnoscunt Christum fuisse filium Dei & filium Altissimi, Luc. 8. 28. & Jacob. 2. 19. Dæmones credunt & contremiscunt, vid. p. 18. & tamen terra hæc manebat petrosa.

Porrò Auditores qui conferuntur cum terra petrosa credunt & proculdubio Christi omnipotentiam & divinitatem credebant, & cum gaudio verbum accipiunt, & tamen terra hæc manebat petrosa: nec tales justificantur, Luc. 8. 13.

Simon Magus credebat & baptizatus est non tamen justificatus Act. 8. 21. Matth. 7. 22, In die judicii multi dicent se in nomine Christi prophetasse, & ejecisse dæmones, & mirabilia fecisse, qui proculdubio credebant Christi omnipotentiam & di-

divinitatem, ii tamen non justificabantur, sed à Christo recensentur inter operarios iniquitatis. De illis etiam Christus ait, nunquam novi vos.

Ipse Bellarminus probabit cap. 15. fidem omnipotentiæ ac divinitatis separari posse à dilectione ac aliis virtutibus, ac proinde non justificare omnes quibus inest, hanc fidem.

2. In loco probare vult Bellarminus hominem justificari absque fiducia specialis misericordiæ, & fidem justificantem non solùm alia objecta respicere, sed etiam esse fidem justificantem quamvis non respiciat misericordiam specialem & non esse fidem justificantem si eam misericordiam fortè respiciat. Hocq; duobus exemplis confirmare nititur leprosi & Publicani.

Sol. R. ut supra p. 27, 28. nos distinguere inter fidem justificantem & fiduciam specialis misericordiæ, seu fidem specialem applicantem res in fœdere promissas, & quidem distinguuntur objectis. Objectum enim fidei justificantis est Christus, Christus ut Redemptor, Christi mors, meritum, obedientia: objectum autem fidei specialis sunt beneficia promissa & parta morte Christi, in quibus sunt remissio peccatorum, justificatio, jus adoptionis, perseverantia, Vita æterna. Nos etiam infra demonstrabimus fidei justificantis objectum propriè loquendo non esse misericordiam specialem.

Ad exempla tamen adducta quod attinet, non probant. Primum est leprosi Marc. 10. ubi leproso dicenti, Domine si vis potes me mundare, Dominus ait volo mundare, leprosus ille de voluntate Domini, ac per hoc de speciali misericordia sine dubio ambigebat; alioqui non dixisset si vis potes, & tamen quia non defuit illi fides omnipotentiæ & divinitatis, impetravit quod petiit. Ex quo intelligimus fidem ejus fuisse talem qualem Dominus exigebat, & in cujus confirmationem miracula faciebat, quamvis deesset illi certitudo de misericordia speciali.

Sol. Respon. Non quia non defuit leproso fides omnipotentiæ & divinitatis impetravit quod petiit, cum quamplurimis non desit fides eorum articulorum, & tamen non impetrant quod petunt. In illis sunt illi operarii iniquitatis, qui audiunt à Christo, Non novi vos, & tamen in nomine Christi prophetârunt & dæmones ejecerunt, & miracula patrârunt, quibus non est credibile defuisse fidem omnipotentiæ & divinitatis Christi.

Non ergò, quia non defuit leproso fides omnipotentiæ & divinitatis, ideò impetravit quod petiit, ut vult Bellarm. sed quia huic fidei adjunxit fiduciam in Christum, ut mundi Salvatorem & Redemptorem, hinc est quòd impetravit quod petiit, specialem misericordiam tum in lepræ sanatione, tum in remissione peccatorum.

2. Inter exempla quæ adducit Bellarmin. est illud, Luc. 18. ubi Pharisæus confidebat se esse justum, & ideo orans dicebat, Gratias tibi ago Domine quia non sum sicut cæteri homines, &c. Contra, Publicanus non audebat oculos ad cœlum levare, sed à longè stans, & pectus percutiens orabat, Deus propitius esto mihi peccatori. Et tamen descendit hic justificatus præ illo] Itaque (inquit Bellarmin.) Pharisæus habuit fidem specialis benevolentiæ & tamen repulsam passus est. Publicanus caruit fiducia illa & cum timore & tremore ad Deum accessit, & justificatus est, quia cum metu & timore salutem suam operatur.] Ex hoc exemplo probare nititur Bellarminus fidem justificantem non solùm respicere alia objecta, quàm misericordiam specialem, sed etiam fidem esse justificantem quamvis non respiciat misericordiam specialem, & non esse fidem justificantem si eam misericordiam fortè respiciat.

Sol. Respon. Ut supra, distinguendum esse inter fidem justificantem & fidem specialis misericordiæ, seu fidem specialem nos non dicimus fidei justificantis objectum esse misericordiam specialem, sed Christum Salvatorem, Christum Redemptorem, Christi Passionem, Mortem, Merita, Obedientiam, & id genus alia. Misericordiam autem specialem esse objectum fidei specialis applicantis res in Evangelio promissas cuivis in particulari:

id quòd posteà demonstraturi sumus. Intereà dicimus malè inferre Bellarminum Publicanum caruisse hac fiduciâ, quia cum timore & tremore ad Deum accessit. Neque enim vel fiducia in Christum ut Redemptorem, vel fiducia de ejus speciali misericordia impedimento ulli erant, quo minus Publicanus operatus est suam salutem cum timore & tremore, ut hic innuit Bellarminus.

Operari siquidem salutem cum timore & tremore ex sensu Apostoli Philip. 2.12. non aliud est quàm operari salutem cum solicitudine & timore offensæ divinæ, sic autem operando salutem nostram, fiduciam optimam & de præsenti justitia & gratia & de salute futura concipimus, quarum neutrius firma fiducia absque solicitudine & metu aut haberi aut sperari potest.

Hinc per Prophetam populo suo quo cum novum fœdus pangit, promittit Deus timorem, Jerem. 32. 41. Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.

Quod quid aliud est (inquit Augustinus de bono persever. c. 2.) quàm talis ac tantus erit timor meus quem dabo in cor eorum, ut mihi perseverantèr adhæreant.

Illud etiam addo, tantum abesse, ut operari salutem cum timore & tremore omnem fiduciam nostræ salutis excludat, ut absque illa, nulla vera fiducia concipi possit; Ità enim comparatum est, Deo sapientissime ordinante, ut pro gradu solicitudinis respondeat gradus fiduciæ, ut ubi major solicitudo sit, ibi major sit fiducia; ubi minor solicitudo, ibi minor fiducia; ubi nulla solicitudo, ibi nulla fiducia.

Malè ergò infert Bellarminus, ex eo quòd Publicanus cum timore & tremore ad Deum accesserit, eum caruisse fiducia specialis misericordiæ. Nam utcunque fides specialis misericordiæ non erat illa fides quâ justificabatur, illa enim erat fiducia in Dei misericordiam propter Christum venturum; ex fiducia tamen in Dei misericordiam per Christum, oritur fiducia specialis misericordiæ (*i.*) remissionis peccatorum & vitæ æternæ.

Tertiam probationem affert Bellarmin. Marci 16. 16. Ubi cum Dominus dixisset, Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur: mox addit, signa autem eos qui crediderint hæc sequentur; In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.] Ubi apertissimè videmus (inquit Bellarmin.) fidem miraculorum unam & eandem esse cum fide justificante & salvante: certum autem est fidem miraculorum non respicere tanquam objectum specialem misericordiam remissionis peccatorum, sed omnipotentiam & divinitatem filii Dei.

Sol. Respondeo. Ex hoc loco non confici fidem miraculorum eandem esse cum fide justificante. Nam etsi quidam tum temporis habuerunt fidem justificantem, & fidem etiam miraculorum. V. G. Apostoli & 70. discipuli, non tamen una eademque ratio erat utriusque fidei; nam isti quâ credebant in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, ea ratione justificabantur per remissionem peccatorum, quâ autem firmam habebant persuasionem de futuro aliquo effectu miraculoso conceptam per illos producendo ex revelatione singulari aut motu Spiritus Sancti, eatenus credebant fide miraculorum. Hujus utriusque fidei prorsus diversa est ratio.

Nam 1. Fides justificans est fiducia, ac proinde sedem habet in voluntate: fides miraculorum est assensus, ac proinde sedem habet in intellectu.

2. Objectum fidei justificantis est Christus & ejus merita: objectum fidei miraculorum est affectus aliquis miraculosus producendus.

3. Fundamentum fidei justificantis quo nititur, est promissio Evangelii, fundamentum fidei miraculorum est revelatio, aut motus Spiritus Sancti singularis & specialis.

4. Fides justificans est donum ordinarium in Ecclesia omnium temporum: fides miraculorum erat extraordinarium donum, quod initio nascentis Ecclesiæ ad tempus vigebat, ad doctrinæ Evangelicæ confirmationem;

con-

constat autem hoc donum post doctrinam Evangelii sufficienter confirmatam & propagatam per orbem terrarum, tandem cessâsse.

5. Fides justificans non inest nisi verè piis, at fides miraculorum etiam in viris impiis, in operariis iniquitatis inesse potest, ut supra ostendimus.

CAPUT XI.

In quo occurritur objectionibus Bellarmini petitis ex Actis & Epistolis Apostolorum.

HActenus ex Evangeliis testimonia produxit Bellarmin. ex quibus asserere conatur, fidem justificantem non esse nisi assensum ad ea quæ divinitùs revelantur. In reliquo capite octavo, id ipsum ex Actis & Epistolis Apostolorum probare satagit.

Et 1. quidem ex Act. 2.4.10.13:17. narrantur (inquit) conciones Petri & Pauli, quibus explicatio & doctrina fidei continetur. In illis autem nullum est verbum de speciali misericordia, sed totæ consumuntur in explicanda & persuadenda resurrectione & divinitate Jesu Christi.

Sol. R. Nos itidem cum Bellarmino dicimus in dictis capitibus narrari conciones Petri & Pauli, in quibus doctrina fidei continetur. At doctrina fidei non est illa fides de quâ jam quæritur; quæritur enim an fides quæ justificat, sit nudus assensus ad ea quæ divinitùs revelantur? an fiducia in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum [ut mittam jam fiduciam de speciali misericordia,] ubi quæritur de actu fidei, quisnam ille sit? At Apostoli in concionibus non tam de actu fidei agere solent, quam de objecto; non tam de fide quâ creditur, quam de fide quæ creditur, qualis est doctrina de resurrectione & divinitate Christi, qualis doctrina solet in concionibus tradi. Fides autem justificans solet præcipi potius; & ad credendum in Christum Redemptorem hortari & persuadere solent ferè concionatores.

2. Adducit ex Actor. 8. illud Philippi, qui ab Eunucho Baptismum postulante cùm quæsivisset, crederetne ex toto corde, respondit ille, credo filium Dei esse Jesum Christum, Atque hoc responso contentus Philippus (inquit Bellarm.) Eunuchum continuò baptizavit. Est igitur fides justificans (infert Bellarminus) non quâ credimus Deum nobis propitium esse (alioqui perperam egisset Philippus, qui sine tali fide Eunuchum baptizavit) sed quâ toto corde (*i.*) sine ulla hæsitatione credimus Jesum esse Christum ac filium Dei, ac per hoc etiam Deum.

Sol.R. 1. ad baptismum capessendum sufficere catechumeno, ut credat doctrinam fidei quæ in Symbolo continetur & inprimis articulum de divinitate Christi, non quòd hæc fides sufficiat ad justificationem, sed quod absque hac fide justificatio haberi non possit, quin & hoc fundamento jacto nemo dubitare aut potest aut debet in hunc unum fiduciam totam cordis collocari & posse & debere ob remissionem peccatorum.

2. R. In Symbolo fidei recitando profitetur Catechumenus se non solum credere Christum Jesum esse unigenitum filium Dei, sed se in illum ut Redemptorem credere, ut se redimat ab omni iniquitate. Nam supra ex Catechismo tridentino accepimus p.20. Phrasin hanc loquendi τὸ credere in Deum significare, nos ita credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ut etiam in iis omnem fiduciam nostram collocemus, quam possumus in Deo solo (non in creaturis) ponere & quidem ob reconciliationem nostram cum Deo.

Quandoquidem ergo Eunuchus profitebatur se credere toto corde, Jesum Christum esse filium Dei, consequenter profitebatur se in ipsum ut Redemptorem fiduciam suam collocare ob remissionem peccatorum. Quod explicatius traditur in Symbolo Nicæno, qui propter nos homines & nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus, pro nobis passus & mortuus, resurrexit propter justitiam nostram, ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei, & intercedit pro nobis, quod repetitur in Symbolo Constantinopolitano. Atque in hanc fidem baptizatus est.

3. Certum est (quod supra non semel diximus) fidem divinitatis Christi non suffecisse Eunucho ad justificationem & remissionem peccatorum, cùm & multi impii fidem divinitatis Christi incunctanter sine ulla hæsitatione credant, eique firmum assensum præbeant, qui tamen nunquam justificantur aut accipiunt remissionem peccatorum.

3. Adducit Apostolum ad Romanos c. 4. qui explicans fidem Abrahæ quæ reputata est illi ad justitiam, eam in eo constituisse vult, quod patrem se futurum multarum gentium credidit, ex filio quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis præter solitum ordinem cursumque naturæ paritura esset. Id enim credere, nihil aliud erat, nisi credere Deum qui promiserat, omnipotentem ac fidelissimum esse. Itaque Abrahæ fides (inquit) ideo tanto præconio ab Apostolis laudatur, & in exemplum omnibus fidelibus ponitur, quia, ut ipse dicit, in repromissione Dei non hæsitavit, neque consideravit corpus suum emortuum, & emortuam vulvam Saræ, sed dedit gloriam Deo, plenissimè persuasus, quoniam quæ promisit Deus potens est & facere.

Sol. R. ut supra p. 24. Apostolus ibidem explicans fidem Abrahæ quæ reputata est ei ad justitiam, ait, Credidit Abraham Deo, seu ut est in Hebræo Gen. 15. 6. credidit Abraham in Deum, & reputatum est ei ad justitiam (*i.*) in Deum promittentem numerosam prolem, in Christum, Gal. 3. 16. quem novit & omnipotentem & fidelem esse, in Deum (inquam) promittentem fiduciam suam collocavit, ob hujus promissionis adimpletionem, atque hæc fides est illa quæ imputata est ei ad justitiam —— non enim operanti (inquit Apostolus v. 5.) sed credenti in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia, idque probat ex Davide Psal. 32. quatenus *sc.* fides impetrat remissionem peccatorum.

Hanc Abrahæ fidem prædicat per totum illud caput, hæc est fides quæ tanto præconio ab Apostolo laudatur, & in exemplum omnibus fidelibus ponitur. Ac quanquam in repromissionem Dei non hæsitavit diffidentia v. 20. neque consideravit corpus suum emortuum neque mortuam vulvam Saræ v. 19. sed plenissimè persuasus est, quoniam quæ promisit Deus potens est & facere, hisce tamen verbis non tota ratio fidei justificantis Abrahæ exprimitur. Quot enim impii in Ecclesia degentes plenè persuasi sunt de omnipotentia Dei & fidelitate in præstandis promissis, qui fidem Abrahæ non attigerunt, nec fide vivâ unquam justificantur; meminit ergo Apostolus fidei omnipotentiæ & fidelitatis Dei, quibus ut fundamentis nixa est fiducia Abrahæ in Deum promittentem, ob promissionis impletionem; non quod hæc fides omnipotentiæ & fidelitatis esset causa formalis illius fidei quâ justificatus est Abraham.

4. Ex capite 10. ad Roman. v. 9. adducit Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dom. Jesum, & in corde tuo credideris quòd Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris] Hic quoque apertissimè videmus objectum fidei justificantis & salvantis esse resurrectionem filii Dei, inquit Bellarm.

Sol. Resp. 1. Certum est verba Apostoli non ita intelligi debere, ac si quicunque confessus fuerit Christum esse Dominum, qui de cœlo descendit ad hoc, ut hominem redimeret, & ipso redemptionis jure Dominus ejus esset, ut ex Hilario & Augustino interpretatur Estius, & simul in corde suo crediderit quod Deus illum suscitavit à mortuis, ex hac fide, illico in statu salutis esset & salvus foret. Nam certum est quàm multos in Ecclesiæ gremio degentes & confiteri Christum esse Dominum & mundi creatorem, & Deum illum à mortuis suscitâsse, qui nec salvi futuri sunt, nec in statu salutis unquam fuerunt, quales sunt illi qui in nomine Christi prophetârunt, dæmonia ejecerunt & miracula patrârunt, Mat. 7. 22. quos à se discedere jubet Christus

stus, utpote quos non novit, & qui operarii iniquitatis essent. Ideò necessariò dicendum est cum Estio in locum, sub hisce articulis incarnationis & resurrectionis Christi reliqua fidei mysteria subintelligenda esse, & illud inprimis hominem justificari per redemptionem quæ est in Christo Jesu, Rom.3.24. & addit Apostolus, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, seu fiduciam recumbentem in sanguinem ejus. Non ergo ut quis sit in statu salutis sufficit fides incarnationis & resurrectionis absque fide in Christi sanguinem recumbente, quod nos asserimus. Idque apertiùs constat ex testimonio Veteris Testamenti quod in hujus suæ sententiæ comprobationem adducit ex Isaia Proph. c. 28.16. dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eum non pudefiet (*i.*) quisquis in eum fiduciam suam reponit non confundetur, qui locus agit de actu fidei justificantis vid. supra p.

Accedit nota etiam Cornelii à Lapide in locum, ut quis (inquit) justificetur, non solùm Christi resurrectionem sed plura alia debet credere de Patre, de S. Sancto & de ipso Christo, scilicet quòd ipse pro nobis sit factus homo, quòd sit crucifixus, quòd descenderit ad inferos, quod sit filius Dei, Redemptor, & id genus alia. Apostolus tamen (inquit) hîc ponit resurrectionis Christi articulum, quia ille quasi terminus cæteros præsupponit & complectitur, & omnium difficillimè à Judæis qui Christum occiderant, credebatur; quem si crederent, factum suum ipsi retractarent, pœniterent, & omnia de Christo credenda crederent. Vides ergo (inquit) Apostolum cum uni rei salutem nostram tribuit, alias res æquè necessarias ad justitiam & salutem non excludere] Hæc ille.

Addo ego, in hisce etiam esse, ut unusquisque in Christum mortuum & suscitatum à mortuis fiduciam suam reponat ob remissionem peccatorum & justificationem, quod Apostolus ex Esaia affert, v.11. Quisquis credit in eum, non pudefiet.

5. Affert illud 1 Cor.13.2. Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum]. Hic (inquit Bellarm.) conjungit fidem quâ montes transferri possunt, quam illi vocant fidem miraculorum cum spe & charitate, ut intelligamus fidem miraculorum non esse aliam quàm fidem quæ cum spe & charitate justificat.]

Sol. R. illam fidem quâ montes transferri possunt, quæ rectè dicitur fides miraculorum, & à Chrysostomo πίστις τῶν σημείων, cujus hic meminit Apostolus v. 2. non esse eandem fidem cum ea quæ conjungitur cum spe & charitate versu ultimo. Nam ista fides quæ conjungitur cum spe & charitate est donum ordinarium, quomodo & spes & charitas, & ideo dicit Apostolus nunc manent fides, spes, & charitas, *sc.* in præsenti vita. At fides illa de qua agitur, v.2. intelligitur de dono extraordinario, de fide miraculorum, ideoque confertur cum dono Prophetiæ. Addit Theophylactus sub hisce duobus donis Apostolum complecti omnia χαρίσματα, omnia dona specialia & extraordinaria. Et certè quod per fidem intelligat Apostolus, speciale donum, fidem miraculorum ex ipso Apostolo satis constat. Non enim dicit Apostolus simpliciter, si habuero πᾶσαν πίστιν omnem seu quamlibet fidem, sed addito articulo, πᾶσαν τὴν πίστιν nempe τὴν τῶν ἐνεργημάτων seu τῶν δυνάμεων; vel potius ita dicendum. Articulus notat certam speciem fidei, ne intelligatur fides in genere: signum igitur quantitatis universale notat complexum individuorum sub illa specie comprehensorum, quasi dicat, Quicquid uspiam fidei est in singulis θαυματέργοις, si illud omne in unum conferatur, & iste non habuerit charitatem nihil illi profuerit.

6. Locum adducit ex 1 ad Corinth.15. Notum (inquit) vobis facio, Evangelium quod prædicavi, in quo statis, per quod & salvamini, nisi forte frustra credidistis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, &c.] Ubi (inquit Jesuita) sine dubio fidei salvantis objectum explicatur, nec tamen dicitur, tradidi vobis, ut unusquisque se certò credat per Christum esse justificatum, sed tradidi vobis credendam passionem, sepulturam & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi:

Sol. R. hoc ipso in loco tradi articulos tres fidei Catholicæ fundamentales, qui necessariò credendi sunt priusquam quis justificari possit; sed isti articuli credi possunt

ab iis qui nunquam justificantur, unde sequitur plus exigi ad justificationem consequendam, *scilicet*, ut in Christum passum, sepultum, à mortuis suscitatum, fiduciam totam cordis collocemus, ob remissionem peccatorum & acceptationem ad vitam æternam unde jure potest unusquisque credere fide speciali se per Christum justificatum esse.

7. Et ultimò affert ex Joan. Epist. 1 c. 5. v. 1. Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et v. 4. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, & v. 5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei?] Ex hisce omnibus locis adductis sic infert Bellarminus. Habemus igitur objectum fidei justificantis tàm perspicuè & tàm copiosè in Sacris Literis explicatum, ut adversarii hæresin suam persuadere non possint, nisi novas Scripturas veteribus abolitis solita temeritate confingant] Hæc ille.

Sol. R. 1. ad primum locum. Ipsi Romanenses aiunt, non statim renasci qui fide Catholica credit Jesum esse Christum; nam volunt fidem hanc posse separari à spe & dilectione, nec esse justificantem nisi accesserint spes & dilectio: At aliter dicendum est de fiducia quâ peccator contritus recumbit in Christum & ejus merita ob remissionem peccatorum; qui enim fiducialiter recumbit in Christum ob remissionem peccatorum in hoc ipso renascitur & filius Dei efficitur. Idque hic ipse Apostolus Johannes docet in suo Evangelio, c. 1. v. 12. ubi de Christo agens. Ad suos (*.i.*) Judæos (inquit) venit, at sui eum non receperunt. Quotquot autem eum acceperunt, iis dedit hanc dignitatem, ut filii Dei fierent, nempe iis, qui credunt in nomen ejus (*i.*) in eum ut Redemptorem fiduciam suam collocant, *sc.* ob remissionem peccatorum. Ex istis patet non sufficere ut quis nascatur à Deo, ut credat fide Catholica Jesum esse Christum, nisi credat in eum ut Salvatorem, qui salvet populum suum de peccatis suis.

Ad alterum locum v. 4. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. Per fidem (inquit Estius in locum) intelligit non qualemcunque, sed vivam & operosam per dilectionem; addo & ego, fidem seu fiduciam quæ fertur in Christum ut Mediatorem, Salvatorem, & Redemptorem, qui redimit nos ab omni iniquitate.

Ultimus locus est v. 5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse filium Dei?

Sol. R. Cum Estio in locum, Declarat quæ sit illa fides quâ mundus vincitur, ea nimirum, quâ quis credit Jesum esse filium Dei; non quasi solus ille articulus fide receptus sufficere possit ad vincendum mundum, sed hoc sermone Mediatorem ostendit, ut patet ex versu sequente, per quem ut Mediatorem ac Salvatorem accedit ad Patrem impetraturus gratiam & fortitudinem quâ superet omnem mundi tentationem] Hæc Estius.

Cum ergo Apostolus dicit illum vincere mundum qui credit Jesum esse filium Dei, intellige, & in eum sic agnitum fiducialiter recumbit ob remissionem peccatorum.

Ferus in Matth. 8. 26. Quid timidi estis? &c. Fides (inquit) & fiducia in Deum omnia adversantia vincit, juxta illud Pf. 91. Quoniam in me speravit, liberabo eum &c: Hinc Joannes dicit, hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. *vid.* sequentia.

CAPUT

CAPUT XII.

Ubi occurritur iis quæ adducit Bellarm. ex traditione Ecclesiastica ut probet objectum fidei justificantis esse omne id, quod in verbo Dei continetur, & quidem primo è Symbolis.

HActenus Bellarminus c. 8. multa ex Scripturis testimonia collegit quibus stabilire conatur suam assertionem, fidem justificantem non aliud esse quam assensum ad ea omnia, quæ in sacris literis revelantur. Cap. 9. Hoc ipsum evincere nititur ex traditione Ecclesiastica.

Atque hic Bellarminus, quid vetus Ecclesia senserit de fide & ad justificationem & salutem necessaria, quid ea sit, & quod objectum habeat, non potest clariùs intelligi (inquit) quàm ex Symbolo fidei, quod Catechumenis initio traditur, ut cum fide recta & sana ad lavacrum regenerationis accedant, hoc est, ut ex fide justificentur & justificati salutem consequantur æternam. Atque hoc totum contineri vult in Symbolo antiquissimo, in Symbolo Apostolorum—— Quo in Symbolo contineri vult totum objectum fidei juxta Augustinum. Serm. 115. de Tempore & 119. Hoc Symbolum (addit) habemus latiùs explicatum in Conciliis Oecumenicis Nicæno, Constantinopolitano, & Athanasiano, quæ non sunt (inquit) 4. Symbola, sed enarrationes quatuor ejusdem Symboli.

In hisce continentur multa quæ necessario credenda sunt, si quis ex fide justificari velit, de Unitate & Trinitate Dei, de Incarnatione, de Passione & Resurrectione Christi, de Ecclesia, de Baptismo, de Vita æterna, de speciali autem misericordia ne verbum quidem] Hæc ille.

Sol. R. Nos libentèr agnoscimus cum Augustino Symbolum quod Apostolorum dicitur, esse breviter complexam regulam fidei, ut mentem instruat nec oneret memoriam, Serm. 119. de Tempore. Agnoscimus etiam hoc ipsum Symbolum latiùs explicari in Conciliorum Oecumenicorum, Nicæni & Constantinopolitani Symbolis, Symbolo item Athanasiano. In hisce etiam Symbolis fatemur contineri multa quæ necessariò credenda sunt ab iis qui fide justificari velint, qualia sunt ea quæ recensentur dogmata de Unitate & Trinitate Dei, de Incarnatione, de Passione & resurrectione Christi, de Ecclesia, de Vita æterna, non quod fides de istis dogmatibus sufficiat ad justificationem, sed quod absq; fide horum dogmatum justificatio haberi nequeat, cum istis dogmatibus fides justificans nitatur, præsertim dogmatibus de incarnatione, passione, & resurrectione Christi. Nam certum est fiduciam in Christum incarnatum, passum, mortuum ob remissionem peccatorum supponere fidem incarnationis, passionis, & mortis Christi, eamque ad impetrandam remissionem peccatorum, dicente Apostolo, Rom. 4:25. Christum traditum fuisse ad mortem propter delicta nostra, & 1 Cor. 15.3. Idem Apostolus compellans Corinthios, Tradidi (inquit) vobis quod & acceperam, Christum *viz.* mortuum esse pro peccatis nostris (*i.*) expiandis, secundum Scripturas. Et rursus Rom. 3.25. Quem Deus proposuit propitiationem per fidem in sanguinem ejus (*i.*) mortem ejus.

Hinc in Symbolo Nicæno Nicæni Patres explicatiùs addunt, Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Sp. Sancto & Maria Virgine & homo factus, crucifixus pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Juxta Nicænos ergo Patres propter nostram salutem *sc.* procurandam Christus incarnatus, crucifixus, passus.] Salutem autem nostram procuravit, quatenus populum suum à peccatis salvum fecit, dicente Angelo Matth. 1.21. Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Hunc ipsum articulum iisdem verbis repetitum dant Patres Constantinopolitani in Symbolo suo.

In Symbolo etiam Athanasiano habetur, Passus est pro salute nostra. Et in Symbolo Chalcedonensi sic, Postremis verò diebus propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine & Dei-para secundum humanitatem. Unum & eundem Jesum Christum Filium Dei——in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter manifestatum] Cum ergo in Symbolo fidei profitemur Christum esse unigenitum Filium Dei, eumque passum fuisse sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & sepultum fuisse, profitemur Christum unigenitum Filium Dei passum fuisse crucifixum & mortuum pro nobis ut à peccatis servemur, per eorum remissionem. Fides ergo justificans quam dicimus esse fiduciam in Christum incarnatum, passum, mortuum ob remissionem peccatorum, supponit fidem incarnationis, passionis & mortis Christi, eamque ad impetrandum remissionem peccatorum. Ergo hi articuli in Symbolo fidei ponuntur, quia necessariò supponuntur ad fidem salutiferam & justificantem.

2. Respondeo, In Symbolo fidei recitando profitetur Catechumenus se non solùm credere Christum Jesum esse unigenitum Filium Dei passum sub Pontio Pilato crucifixum & mortuum, sed se in hunc unigenitum Filium Dei, passum, crucifixum, mortuum credere. Credere autem in Filium Dei, (ut ex Tridentino Catechismo supra ostendimus) est in Filium Dei fiduciam collocare, & credere in Filium Dei passum crucifixum, mortuum, pro peccatis nostris expiandis, est fiduciam in Filium Dei passum, crucifixum, mortuum collocare ob remissionem peccatorum; qui actus est proprius actus fidei justificantis, atque idem est quod credere in Christum, ut salvatorem & redemptorem. Quicunque ergo catechumenus recitat Symbolum fidei cum sistitur baptizandus, hoc ipso profitetur se credere fide catholicâ Christum unigenitum Filium Dei esse passum, crucifixum & mortuum pro peccatorum nostrorum expiatione, & unà in eundem Filium Dei passum, crucifixum, mortuum se credere seu fiduciam collocare ob peccatorum remissionem, quod est credere fide justificante. Unde & potest meritò inferre, si verè præstiterit hunc actum, sibi peccata in particulari esse remissa, juxta verum sensum horum symbolorum. Quamvis igitur in Symbolis istis, quorum meminit Bellarminus, expresè non proponeretur credendum, V. g. Paulo catechumeno cum ad Ananiam accederet, sibi peccata sua remissa esse, tamen idem Paulus si profiteatur se fide catholica credere Christum Filium Dei pro peccatis hominum expiandis passum, crucifixum & mortuum esse, simulque profiteatur se in eundem Christum passum, crucifixum, & mortuum credere seu fiduciam collocare ob remissionem peccatorum, si par fuerit professioni (id quod conscientia Pauli & cujuscunque verè credentis in seriis exercitiis fidei & pœnitentiæ rectissimè dictat) meritò inferre potest, mihi Paulo remissa sunt peccata mea. Quicunque ergo catechumenus par fuerit professioni, quam in Symbolo recitando profitetur, ipse jure verè potest dicere ex supra dictis, sibi in particulari remissa esse peccata.

Objicit Bellarminus illud Philippi in Apolog. Confess. Augustanæ in Articulo de fide, non est omissa remissio peccatorum in Symbolo fidei, atque illa est quam fides justificans propriè intuetur] Et respondet hoc facilè rejici. Primo enim si fides justificans rectè definita esset fiducia misericordiæ propter Christum, deberet magna pars Symboli, si non totum, cum hac definitione congruere, contra autem factum esse videmus, cum ex articulis 12 unus tantùm sit qui utcunque ad fiduciam misericordiæ accommodari posse videatur; nam reliqui undecim neque de misericordia docent aliquid, neque ad fiduciam ulla ratione sed ad solam credulitatem (ut sic loquamur) pertinent. Hæc Bellarm.

Sol. Resp. 1. Si propriè loqui velimus, ut infra ostendemus, fides justificans est fiducia in Christum ut misericordiam consequamur ob remissionem peccatorum. Atque hanc fidem profitetur quilibet catechumenus dum recitat symbolum Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum ubi profitetur se credere in Jesum Christum unigenitum Dei Filium, qui conceptus est de Sp. Sancto, natus de Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus & mortuus—— Cum hac autem definitione fidei justificantis congruit magna pars Symboli, nimirum omnes illi articuli recitati, & illi sequentes, qui respiciunt vel personam vel officium Christi.

Atqui

Atqui omnes isti articuli ut & illi etiam quibus profitemur nos credere in reliquas personas Sacrosanctæ Trinitatis in Deum Patrem & Spiritum Sanctum pertinent ad fiduciam, ut nos ex Catechismo Tridentino supra ostendimus, & non ad solam credulitatem, ut vult hic Bellarm. Ex hâc autem fiducia in Christum passum, crucifixum & mortuum ob remissionem peccatorum nascitur fiducia specialis misericordiæ ob remissionem peccatorum (quam tanto impetu exagitat Bellarminus) ut infra ostendetur.

Objicit 2. Bellarminus Articulum de remissione peccatorum non docere specialem & absolutam benevolentiam, quam adversarii objectum fidei justificantis faciunt, sed benevolentiam generalem, & quæ suis conditionibus non caret, cum ex Baptismi perceptione dependeat. Nam, quod in Symbolo Apostolorum habetur, Credo remissionem peccatorum, in Constantinopolitano explicatur, Cum dicitur, confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.

Quocirca (inquit Bellarm.) Catechumeni etiam ante Baptismum totum fidei Symbolum recitant & credunt, & tamen nondum habent remissionem peccatorum, sed eam obtinendam per lavacrum regenerationis expectant. Itaque (inquit) sensus istius articuli non est, credo aut confido mihi remissa esse peccata, sed credo & confiteor in Ecclesia Catholica esse donum remissionis peccatorum, quod per Baptismum aliaque Sacramenta percipitur. Hæc Bellarm.

Sol. Resp. Cum profitetur Catechumenus se credere in Deum, profitetur se credere in Deum misericordem, in Deum etiam ut Patrem fiduciam suam collocare. Sed quia in Deum ut Patrem nemo fiduciam suam collocare potest ob remissionem peccatornm, nisi prius credat in Filium λύτρον persolventem, ut Dei justitiæ vindicativæ satisfiat (Nemo enim venit ad Patrem, nisi per me; Ego sum via, inquit Christus, Joan. 14.) Ideo profitemur in Symbolo nos credere in Dei Filium unigenitum, incarnatum, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, tertia die suscitatum ex mortuis atque adeo in Christum ut Salvatorem, Mediatorem, & Redemptorem nos fiduciam nostram collocare ob remissionem peccatorum. Atque si huic professioni pares fuerimus, non solùm credere possumus in Ecclesia Catholica absolutè esse donum remissionis peccatorum, sed & credere & confidere possimus nobis etiam in speciali esse remissa peccata.

2. Cum dicit Bellarminus Articulum de remissione non docere specialem & absolutam benevolentiam, sed benevolentiam generalem, & quæ suis conditionibus non caret cum ex Baptismi perceptione dependeat.

Respondeo, Conditionem illam unde propriè dependet remissio peccatorum, esse fiduciam in Christum Salvatorem & Redemptorem & ejus λύτρον mortem & merita ob remissionem peccatorum, ut passim docet scriptura, Joan. 1. 12. & 3. 16. Act. 10. 43. & 13. 39. & 16. 30. Vide p. 7. & 8.

Ubi enim hæc conditio reipsa præstatur, ibi confestim sequitur remissio peccatorum. Hæc tamen conditio non verè nec ritè præstatur, nisi ubi præcesserunt debita cordis contritio, & dolor de offensa Dei. Hoc est ergo quod dicimus; Ubi catechumenus verè contritus fiduciam totam in Christum redemptorem & ejus merita collocaverit ob remissionem peccatorum, ibi confestim & absque mora catechumeno dimissa sunt peccata. Sic Bernardus Sermon. 22. in Cantica. Quisquis pro peccatis compunctis esurit & sititus, justitiam credat in eum qui justificat impium, & per solam fidem justificatus pacem habebit apud Deum.]

Addo tamen in ejusmodi catechumeno inesse debere verum & serium desiderium capessendi Baptismum quàmprimum facultas suscipiendi datur. Huc facit illud Augustini quæst. 33. in lib. Numerorum ubi de Cornelio Catechumeno agit Cornelius (inquit) audiens & credens quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderat, acciperet donum Sp. Sancti. Addit tamen Augustinus, veruntamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua] Hæc Augustinus.

Idem Augustin. de latrone agens de Baptism. contr. Donatist. lib. 4. cap. 22. Baptismi vicem aliquando implere passionem de latrone illo cui non baptizato dictum est: Hodiè mecum eris in Paradiso, non leve documentum

beatus Cyprianus assumit, quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis; si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Quantum igitur valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem in illo latrone declaratum est, sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis sed articulus necessitatis excludit] & cap.23. Sicut autem in latrone quia per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est quia per pietatem spiritaliter affuit: sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus] intelligit per id quod latroni affuit, confessionem oris] Ex hoc loco etiam constat salutem habere posse catechumenum, etiamsi baptismus defuerit, quomodo etiam haberi potest ubi deest confessio oris, si per necessitatem desit.

Dices si per contritionem & fidem in Christum Redemptorem & ejus mortem & merita remittuntur peccata, quorsum catechumeni verè contriti & credentes in Christum Redemptorem & ejus merita baptizantur, aut quomodo rectè ponitur in Symbolo Constantinopolitano iste articulus, credo unum baptisma in remissionem peccatorum?

Sol. Resp. Sacramentum Baptismi non frustra suscipi ab ejusmodi catechumenis verè justificatis, priusquam lavacro regenerationis sistuntur baptizandi.

Nam 1. in verè justificatis auget gratiam inhærentem, atque adeo minuit reliquias concupiscentiæ. Bellarm. lib.2. de pœnit. c.14. explicans illud Act.22: ablue peccata tua, potuit (inquit) Ananias hortari Paulum licet perfectissimè conversum & per hoc justificatum ut amplius peccata sua abluat, juxta illud Ps.51. Amplius lava me ab iniquitate mea—— Nam certè (inquit) non deerant vulnera ex peccato relicta ut propensiones malæ & id genus alia multa, quæ per gratiam Dei curari poterant.

2. Sacramenta sunt sigilla justitiæ fidei, atque adeo obsignant & certiores reddunt suscipientes de accepta remissione peccatorum & de adepta indulgentia securiores.

Illum autem articulum Symboli Constantinopol. Credo unum Baptisma in remissionem peccatorum non ita intellexerunt conditores articuli ac si catechumenus verè contritus & charitate in Deum flagrans, & in Christum Redemptorem credens ob remissionē peccatorum, adhuc reatu peccatorū teneretur, & suspēderetur remissio, donec aquâ Baptismi ablutus esset, ac si externa aquæ ablutione jam primū ex reo fieret justus: Sed quia Sacramentum Baptismi est organum efficax divinitus institutum, tum ad obsignationem & majorem certiorationem suscipientis de remissione peccatorum, tum etiam ad augmentum & corroborationem gratiæ habitualis inhærentis.

Ex Symbolis ergo dictis nihil afferri potest ex quo vel conficiatur, fidem justificantem nihil aliud esse quàm assensum ad ea omnia quæ divinitus revelantur; vel impugnetur nostra assertio de fide justificante, seu potius definitio. Fidem sc. justificantem esse fiduciam ex corde contrito in Christum Mediatorem ob remissionem peccatorum, nitentem promissione Evangelii] Quousque autem fiducia de speciali misericordia Dei propter Christum asserenda sit postea discutietur.

CAPUT

CAPUT XIII.

Ubi occurritur iis quæ adducit Bellarminus ex Patrum testimoniis pro Objecto Fidei Justificantis.

PErgit Bellarm. cap. 9. Præter hoc testimonium totius Ecclesiæ symbolum fidei Catechumenis tradentis, adferri possunt etiam testimonia singulorum Patrum (inquit) qui de fide justificante cum differunt, eam semper intelligunt quæ Catholica dicitur, quæque totum Symbolum respicit. Et adducit primùm testimonia Irenæi, lib.1. c.2.3.4. Explicantis regulam fidei Christianæ, Quod idem facit Tertul. lib. contra Praxeam; uterque autem nihil aliud credendum docet, nisi articulos Symboli Apostolici, quamvis nomen Symboli non habeant. Sanctus quoque Basilius in Oratione de Confess. Fidei, docet fidem ad salutem & justificationem necessariam illam esse, quâ creduntur ea quæ Deus revelavit: neque fidei specialis in tota illa oratione usquam meminit. Hæc Bellarm.

Sol: Respondeo, Quod supra diximus de Symbolis Fidei, idipsum pariter dicendum de singulorum Patrum testimoniis, quæ non confundunt fidem justificantem cum fide Catholica, ut vult Bellarm. Sed omnino distinguunt. Id quod variis indiciis ostendi potest. Nam

1. Patribus aliud est fides quæ habetur { Deo vel Christo, vel de Deô & Christo. / In Deum, vel in Christum.

Patres cùm definiunt fidem solo assensu, intelligendi sunt de fide quæ habetur Deo aut Christo, qua credimus vera esse quæ Christus aut Deus dixit; vel de fide quæ habetur de Deo, de ejus attributis & operibus, ut cum credimus Deum esse, Deum esse Omnipotentem & æternum, Deum esse Creatorem aut gubernatorem Cæli & terræ; vel de fide quæ habetur de Christo & ejus persona, de fide quâ credimus personæ Christi unitatem, naturarum ejus dualitatem, harum hypostaticam unionem, ejus item incarnationem, conceptionem, nativitatem, passionem, crucifixionem, mortem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem in Cœlos, sessionem ad dextram Patris, secundum adventum ad judicandum vivos & mortuos. Ejusmodi fidei assensus est fundamentum fidei justificantis, unde & fides justificans hanc fidem semper supponit, sed hæc fides non est illa quæ κατ' ἐξοχὴν justificans dici solet, cùm hæc fides sæpè reperiatur in non justificatis sed dicenda est Catholica seu dogmatica potiùs, ut appellat Cyrillus Hierosolymit. Fidem cùm agunt de fide in Deum, in Deum Patrem vel Filium vel Spiritum Sanctum, in Christum item incarnatum, passum, crucifixum, mortuum à mortuis suscitatum, &c. non intelligunt nudum assensum divinitus revelatis de Deo de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto sed insuper fiduciam in Deum, in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum Sanctum, in Dei etiam misericordiam mittentem Filium in mundum ob salutem generis humani in Christum item ut Redemptorem, Salvatorem, Mediatorem, Justificatorem ut Supr. diximus ex Symbolo Constantinopolitano, & Athanasiano. Ejusmodi fides seu fiducia justificat credentem siquidem fides justificans illa dicitur quâ verè contritus in Deum misericordem & Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum fiduciam suam collocat.

2: Juxta Patres aliud est fides {Qua / Quæ} Creditur Lomb. 3. dist. 23.

Sic August. lib. 13. de Trinit. cap. 2. Aliud sunt ea quæ creduntur, aliud, fides quâ creditur. Illa in rebus sunt quæ vel esse vel fuisse vel futura esse creduntur, hæc autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cujus est, & tamen nomine fidei censetur utrumque & id quod creditur, & id quo creditur. Per fidem quæ creditur intelligo ipsos articulos Symboli, seu Summam credendorum, de hac fide agit Athanasius in fine Symboli ubi ait, Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque firmiter fideliterque crediderit salvus esse non poterit, fides autem qua creditur est habitus.

vel {Intellectus / Voluntatis.}

Illa quæ est habitus intellectus est ille habitus quo assentimur omnibus divinitus revelatis & dicitur habitus fidei Catholicæ, & de hoc habitu fidei intelligenda sunt nonnulla testimonia quæ affert Bellarminus.

Illa quæ est habitus voluntatis est ille habitus quo credimus in Deum quo credimus in Christum ut Redemptorem & Salvatorem, & est habitus fidei justificantis, & de hac fide intelligenda sunt varia testimonia Patrum, quæ adducta sunt à Bellarmino, c. 9.

CAPUT XIV.

Aliud esse juxta Patres credere Deo, & credere in Deum.

3. PAtres tam Græci quam Latini diligenter distinguunt actus credendi {Deo / In Deum.}

Et quidem actum quo credimus Deo non alium esse volunt, quam credere id esse verum, quod Deus dicit, seu quod eodem recidit, assentiri divinitus revelatis.

Actus alter, cujus meminerunt Patres, est actus credendi in Deum. Quid autem sit credere in Deum non uno modo explicant iidem Patres.

Greg. Nazianz. Orat. 37. quæ est de Sp. Sancto sic Argumentatur agens de Sp. Sancto, εἰ δ' κτίσμα, πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν. Si Sp. Sanctus sit creatura, quomodo in eam credimus? Et subjungit, non enim idem est credere in aliquid & credere de aliquo. Illud enim divinitati convenit, hoc cuilibet rei. Aliud ergo Nazianzeno est credere de aliquo & credere in aliquid, atque hoc ultimum juxta illum est proprium divinitati, cùm in Deum solummodo credendum sit.

Hilarius lib. 9. de Trinit. p. 121. Explicans illud Servatoris dictum, Creditis in Deum, & in me credite. Cum ait (inquit) credite in Deum, & in me credite; uniens (inquit) se fidei Dei & naturæ ejus univit, cùm memorato Deo, in quem credi oporteret, & in te docuerit esse credendum Deum se per id docens cum credendo in eum sit ab his, qui in Deum credant, ei hoc loco Hilarius evincit Christum esse Deum eò quod Christus exigat in se credendum esse.

Idem Hilarius lib. 6. de Trinit. p. 78. in Joan. 9. 35. Tu credis in Filium Dei. Id quod Christo proprium est ad fidem poscitur (.i.) ut credat in Dei Filium, credidisse

diſſe autem in Dei filium quid proficit ſi credatur in creaturam, cum à nobis fides in Chriſto non creaturæ Dei ſed filii Dei poſtuletur.

Cyrillus Alexandr. lib. ad Reginas ſæpius ex eo quod juxta Scripturas fides in Chriſtum fertur & in Chriſtum credendum eſſe legimus, infert Chriſtum eſſe verè Deum.

Explicans illud Joan. 6. Hoc eſt opus Dei ut credatis in illum qui miſit me] Si Dei (inquit) voluntatem perficimus cum in Chriſtum credimus; hunc enim Pater verè miſit in mundum, quando noſtri ſimilis factus eſt homo, quomodo non eſt verus Deus. neque enim in ſimplicem hominem credere Dei opus dici poteſt] Juxta eum ſi Dei voluntas ſit, ut in Chriſtum credamus, ex eo infert eum fuiſſe non nudum hominem, ſed etiam verum Deum.

Explicans idem illud Joan. 3. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.] Sic ſubinfert ſi via ad ſalutem eſt fides in filium quomodo in ipſum credimus, aut quomodo in ipſum credentes condemnationis ſententiam evadamus? nunquid illum fide ut hominem complectimur? nec quidquam niſi humanum de illo concipimus? at quo pacto ſi hoc fecerimus, divinum cultum homini non impendiſſe arguemur? fide ergo in illum ferimur tanquam in Deum? ſanè, quis illum ergo, cujus fides orbem terrarum juſtificet, verum Deum eſſe inficiari audeat?]

Probat Cyrillus Chriſtum eſſe verum Deum,

1. Quia aliter credendo in illum ut purum hominem, divinum cultum homini impendiſſe nos arguemur, quod non eſt admittendum.

2. Quia fides in illum, orbem terrarum juſtificat.

Theophylactus in Joann. 12. 44. Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me] Non dixit qui credit mihi, ſed qui credit in me, quod fidem in Deum ſignificat. Aliud enim eſt (inquit) credere cuipiam & aliud credere in quempiam. Nam is qui credit alicui poteſt intelligi, quod credit ei ut vera dicenti, qui autem credit in quempiam, omnino ut in Deum credit.

Ideo rectè quis crediderit Apoſtolis, at non item in Apoſtolos.] Hic etiam Theophylactus vult ut credere in quempiam, omnino ut in Deum credit, nec rectè dici poſſe, ut quiſquam credat in Apoſtolos.

Auguſt. de Civitat. Dei 18. c. 54. Nos, qui ſumus, vocamurque Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, & Tractat. 29. in Joan. credimus Paulum, non credimus in Paulum.

Et de Verb. Domin. Serm. 61. Multum intereſt utrum quiſque credat ipſum eſſe Chriſtum & utrum credat in Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtum Dæmones crediderunt, nec tamen in Chriſtum Dæmones crediderunt.

Et Serm. 131. de Tempore. Sciendum eſt quod Eccleſiam credere non tamen in Eccleſiam credere debemus, quia Eccleſia non eſt Deus, ſed Domus Dei.

Verantius Fortunatus qui vixit circ. ann. Dom. 570. lib. 11. Ubi ſymbolum explicat, explicans illud credo in Sp. Sanctum, una (inquit) Divinitas in Trinitate, quia dixit Symbolum, credo in Deum Patrem, & in Jeſum Chriſtum, & in S. Sanctum, ergo ubi præpoſitio [in] ponitur, ibi divinitas approbatur.

Ubi eſt credo in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Nam non dicitur in Sancta Eccleſia, non dicitur in remiſſione peccatorum, ſed remiſſionem peccatorum credis]

Hæc ille, ex dictis conſtat aliud eſſe Patribus credere { Deo / in Deum }

Quid autem ſit credere Deo, ex dictis etiam manifeſtum eſt, cum credere Deo ſit credere id eſſe verum, quod Deus dicit, & ex dicto Nazianzeni teſtimonio (interprete, Elia ejus Scholiaſte loco adducto) ex Theophylacto ſupra citato & Auguſtino pluribus in locis manifeſtum eſt. Quid autem ſit credere in Deum non eſt eadem omnium explicatio. Qui dicunt credere in Deum eſſe proprium Dei & ita pro-

proprium ut credere in Deum sit in Deum solummodo credere, in Creatorem, non in creaturam aliquam, plerunq; non tamen explicant vim seu notionem hujus formulæ loquendi, licet ad Deum solum arctent & constringant, non Nazianz. non Hilarius, non Cyrillus, non Theophylactus.

Cyrillus Alexandrinus in dicto libro ad Reginas sæpius hâc formulâ loquendi utens simul docet imitatus Scripturas, omnes in Christum credentes verè justificari.

P.65. Explicans illud ad Roman.5.1. Justificati ex fide pacem habemus ad Deum, &c. Sic subinfert si in Deum credentes verè justificamur, fideque in Christum Jesum tendimus ac per illum ad Patrem tandem pervenimus (Christo namque nos excitante, Deo & Patri conjungemur) quomodo Deus non est?] ex eo colligit in Deum credentes verè justificari, fideque in Jesum Christum tendere ac per illum ad Patrem tandem pervenire, ac proinde Christum verè Deum esse.

P.56. Explicans illud Rom.3. Quem [Christum] proposuit Deus Propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, &c. Si alia ratione (inquit) illos expiare non poterat Christus, qui peccato & maledictioni & mortis supplicio obnoxii tenebantur nisi sanguinem suum in præcedentium peccatorum remissionem profunderet: quomodo ut verbum caro fieret necessarium non erat? nempe quo proprio (.i.) suiipsius carnis sanguine omnes qui in ipsum credituri erant, justificaret.

Eâdem paginâ ex Rom.5.8. Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, &c.

Si Christus (inquit) propter præcedentium delictorum condonationem -- aliter quàm per Christi sanguinem & mortem divinâ dispensatione salutariter susceptam, salvari nequibat, per Christum autem salutem consequemur, quomodo incarnationis modus Dei Patris verbo necessarius non erat? quo illos nimirum qui in ipsum crederent per sanguinem suum justificaret, Patrique per corporis sui mortem reconciliaret, atque ita tandem omnes simul cum ipso vitam adipisceremur.

P.65. Explicans illud ad Roman.10. Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti] Si Christus (inquit) finis legis est idemque est justitia justorum per fidem in ipsum justificandique facultas in solum Deum conveniet tanquam quiddam ipsi peculiare quonam modo Christus non est Deus?]

Probat Christum ex dicto loco Apostoli quia est justificator omnium credentium in se. Similia habet p.59.63:68.69. locis ibi notatis.

Ex istis omnibus locis & multis aliis ibid. colligitur juxta Cyrillum τὸ credere in Deum vel in Christum non denotare nudum assensum mentis quo assentimur ad ea quæ divinitus revelantur, cum is assensus in malis Christianis sæpe reperiatur, at juxta Cyrillum omnes in Christum credentes verè justificantur, morte Christi Patri reconciliantur, vitam æternam adipiscuntur. Aliud ergo est Cyrillo τὸ credere in Christum quam assentiri divinitus revelatis. Aliudque fides justificans quam fides Catholica contra quam habet Bellarm.

Porrò certum est illos ex antiquis qui distinguunt inter τὸ credere { Deo / in Deum }

ita inter utriusque formulæ notionem distinxisse, ut ex eo quod quis credat Deo non illico sequatur ut is credat in Deum; nam credere de aliquo convenire potest cuilibet rei juxta Nazianz. Credere in aliquem solùm divinitati, & Aug. in Psal.77. Credere in Deum (inquit) plus est quàm credere Deo. Nam ut homini cuilibet plerunque credendum est, quamvis in eum credendum non sit & Serm.61. de verb. Domini. Multum interest utrum quis credat ipsum esse Christum & utrum credat in Christum, nam ipsum esse Christum Dæmones crediderunt, non tamen in Christum Dæmones crediderunt] Hæc Aug.

CAPUT

CAPUT XV.

τὸ Credere in Deum apud Patres idem esse atque in Deum spem omnem & fiduciam reponere.

SI ergo quæratur ulterius, quod denotat apud Patres supra nominatos τὸ credere in Deum & τὸ credere in Deum solummodo, non in creaturam.

Respondeo ita intelligendos, ac si apertius dixissent, se in Deum fiduciam ac spem suam omnem reponere & collocare in Deum *sc.* omnipotentem, veracem, misericordem, gratiosum: Idque videtur juxta nostrum loquendi morem includi in præpositione [in] atque hâc de causa (ut rectè Jansen. concord. Evangel. c. 18.p:149.) apud nos ex sententia Patrum obtinuit, ut τὸ credere in aliquem tribuamus soli Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto.

Hoc constat ex Symbolo Apostolorum & aliis Symbolis in quibus occurrit formula, credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; non itidem credo in Ecclesiam, aut credo in remissionem peccatorum.

Quod autem τὸ credere in Deum idem sonet Patribus quod sperare in Deum seu fiduciam in Deum collocare, patet ex ipsorum Patrum testimoniis.

Hieronymus in Jerem. 17.6. Si maledictus (inquit) est omnis homo qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus & Fotinus quamvis Sanctum & cunctis excelsum virtutibus prædicent Salvatorem tamen hominem confitentur. Ergo maledicti erunt spem habentes in homine. Quod si nobis oppositum fuerit quod & nos credamus in eo qui dicit: Num autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum quam audivi à Patre] Hic τὸ confidere in homine & credere in homine Hier. promiscuè usurpantur.

Idem ibid. in versum 7. Benedictus vir qui confidit in Domino & erit Dominus spes (sive fiducia) ejus] Qui confidit in Domino & Dominus est fiducia ejus, etiam in tempore Judaicæ siccitatis non metuit sed semper afferet credens in eum qui semel mortuus est & ultra non moritur, & vivit, Ego sum vita] Hîc itidem idem sunt Hieronymo confidere in Domino atque credere in Dominum qui semel pro nobis mortuus est.

Idem Hieronymus in Mich. 7.5. Secutus contextum confundit τὸ credere in, & τὸ confidere in, & τὸ sperare in] Ubi nolite credere in amicis & ne speretis in Ducibus, & nolite credere in Ducibus confunduntur.

Coll. 300. B.C.D. ibid. distinguit Episcopum { honorare / in eum sperare }

& ait nos posse Episcopum honorare, non tamen in eum sperare & ibid. col. 302. B. credere in Domino & in illo fiduciam habere pro uno & eodem sumuntur.

Hil[illegible] Psal. 2. ult. Beati omnes qui confidunt in eum] Non trepidam spem neque amb[illegible] perfectio beatitudinis exigit confidentiâ id opus est firmæ opinionis *scil.* & inde mutabili voluntate, quia plus est confidere quàm sperare. Confidendum ergo est ne nos à viâ justa exardescens brevi ira Dei dependat. Fidelis enim est qui ait, Qui credit in me non judicabitur, sed transiet de morte ad vitam] Hîc apud Hilarium confidere in Domino & credere in Dominum confunduntur.

Idem

Idem Hilarius in Psal.68. in illa verba: Laboravi clamans raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum] causam (inquit) maximè clamoris & intentionis oculorum hanc esse docuit; quia speraret in Deum idque cum clamat dicens: Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me] ubi Hilarius, sperare in Deum & credere in Christum promiscuè usurpantur.

Idem in Psal.130. In illud speret Israel in Domino ex hoc & usque in seculum seculi] spem nostram nullo fine temporum claudit in immensum expectationis nostræ fidem tendit in seculum seculi sperandum est.] Expectationis nostræ fidem cum spe planè confundit. Sic & in Psal.129.explicans hæc verba sustinuit anima mea in verbum tuum.]

Ambrosius in Psal.45. Deus noster refugium & virtus] Quid est noster? Hoc est eorum qui in te credimus, & alibi in eodem Psal. Dominus refugium factus est nobis. Nobis (inquit) credentibus, non incredulis——— Ille enim hoc potest dicere qui in solius Dei præsidio suæ constituit spem salutis] Idem sonat Ambrosio qui in Deum credit, & qui in solius Dei præsidio constituit spem suæ salutis.

Chrysost. in Psal.117. Spei in Deum vim & efficaciam laudat, & in Psal. 146. in fine, Rectè autem dixit in misericordia ejus, neque enim habebant in factis fiduciam, sed tamen (inquit) etsi vos facta destituerint, speretis autem in ejus misericordia, assequemini providentiam & ejus auxilium.

Eusebius Gallicanus Hom.2. de Symb. Aliud est credere Deum, aliud credere in Deum esse Deum credere & Diabolus invenitur, in Deum verè credere, nisi qui pie in eum speraverit non probatur.

Theodoretus in Psal.5.12. Et lætentur omnes qui sperant in te] Hoc autem vult significare eos qui crediderunt in te implebit lætitiæ & præbebit ipsis voluntatem sempiternam non illorum mors sed tua providentia, credunt enim quod in ipsis habitas & inambulas, ipsosque sacratum Templum efficis] Hic Theodoreto idem sunt sperantes in Dominum & credentes in Dominum.

Ex dictis constare potest, Patres cum τὸ credere in Deum asserunt ita proprium esse Deo, ut τὸ credere in, non sit alicui creaturæ communicabile, eo sensu intellexisse, ac si in Deum solummodo fiducia & spes omnis nostra reponenda est, collocanda non in aliquam creaturam.

Remigius Antissiodor. mediæ ætatis Author circa Ann. 890. (juxta Bellarmin.) in Psal.10. in Dominum confido (.i.) tota fides mea in Christo est, per illum solum credo me justificari & salvari: ille mihi mors est, ille refugium] Illi idem sunt in Dominum confidere & in Christo credere.

CAPUT XVI.

Hoc idem ostenditur ex recentiorum Romanensium testimoniis & aliis.

JOan. Roffensis lib. de fiducia & misericordia Dei, ubi duodecimum axioma sic se habet. Fiducia igitur nostra in Christum esse debet per cujus merita salutem resipiscentibus Pater daturus est gratis. Neque enim ob industriam nostram fidendum est, sed ob unius Jesu Christi merita]

In explicatione axiomatis, hæc subjungit. Prima ratio salutis nostræ fides est in Christum, sine qua nihil agitur & per quam assequimur omnia, modo viva sit, & à malis operibus abstinere, pariter & bonis, quum opportunitas data fuerit propter Christum insudare constituerimus: Hæc sola fides est quæ justificat. Atque ideo Paulus

Paulus fidem vocat quæ per dilectionem operatur.] Ex hoc loco apertissimè constat,

1. Per fidem in Christum eum non aliud intelligere quam fiduciam in Christum & ejus merita.

2. Hanc esse solam fidem quæ justificat, & hanc esse fidem quam Paulus dicit per dilectionem operari: & addit, quisquis novâ secum constitutâ vitâ, verè sentit se conversum à peccatis ad Christum, spem suam omnem reponens in ipsum is verè justificatus est etsi nondum habuerit opera.] Nihil disertius dici potest ad nostram assertionem firmandam.

Ibid. in explicatione ejusdem 12. axiomatis explicans illud ad Rom. 4. Ei qui non non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam. Ecce (inquit) fides licet adhuc opera non habeat, propter eum tamen in quem fertur nempe Christum qui justificat impium imputatur fides ad justitiam. Fides scil. quâ quis totus nititur Christo, & postea se explicat quæ non aliud est illi quam fiducia innitens Christum.

Idem Roffensis in egregio illo tractatu de fiducia & misericordia Dei sæpius explicans actum fidei quo credimus in Christum aut Deum hisce fere formulis explicat in Christum fidendo, in Christum constanter fidendo, per fidem Christo innitendo, in ejus misericordiam nos projiciendo, fiduciam suam in Deum collocando & similibus.

Joan. Redmannus Archidiaconus quondam Tauntoniensis, Prædecessor noster & primus Præfectus Collegii apud nos quod gaudet titulo Sanctæ & individuæ Trinitatis, in libello de justificatione quem edidit post mortem Cuthbertus Tunstallus Episcopus Dunelmensis, sic habet, sententia hæc sola fides justificat potest intelligi vera esse, si fidem pro fiduciâ sumas & per sola excludas nihil aliud quam omnem aliam fidem sive fiduciam præter illam, quæ in Christum est (*.i.*) omnem superbam opinionem propriæ dignitatis.

Atque in hoc sensu ait Basilium hac exclusivâ usum fuisse in concione de humilitate. Hom. 22. p. 549. Ea demum perfecta est & omnimoda gloriatio, quando neque propter suam ipsius quis justitiam extollitur sed agnoscit se quidem vera destitui justitiâ, μόνῃ τῇ πίστει τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιώμενον.]

Fide verò solâ, quæ est in Christum justificari] Quo loco (inquit Redmannus de justific. p. 38.) quid excludatur manifestum est ex articulo repetito, nihil aliud viz. quàm omnis alia præterquam in Christum solum & ejus misericordiam fiducia] ex quo loco constat Redmannum non solum agnoscere, per solam fiduciam in Christum Redemptorem & ejus merita nos justificari, sed & hoc sensu Basilium in Sermone de humilitate, agnoscere nos sola fiduciâ in Christum justificari, id quod constat ex loco Basilici inspecto, si sequentia ritè perpendantur.

Idem Redmannus ibid. citato loco Basilii, & hæc subjicit, Vera enim (inquit) humilitas in sola Dei misericordia per Dominum nostrum Jesum Christum oculos defigit, atque in illius bonitate fiduciam omnem reponens se despicit & Christo omnem ascribens justitiam sibi non nisi opprobrium & confusionem faciei prædicat.]

Rursus, non igitur in nobis nec in nostris operibus vel optimis fiduciam nostram constituendam dicimus —— sed fiduciam ipsam & spem salutis haud quaquam in nobis ipsis aut nostra dignitate collocamus, sed in misericordia Dei & gratia Domini nostri Jesu Christi, per quam & fiunt & consummantur omnia opera bona & Deo accepta sunt.

Idem Author p. 40. agnoscit fidem justificantem, quæ sic passim in Scripturis & ex qua justus vivere dicitur, fiduciam includere & continere —— Et magnos aliquando Authores fidei vocabulum per fiduciam exponere, addit tamen non semper usurpari in Scripturis pro plena illa Christiana fiduciâ, nec τὸ credere omnino idem quod τὸ confidere esse, id quod nos non diffitemur, similia habet idem Redmannus in Foxi Martyrolog. in Colloquio cum Doctore Wilks: & Alexand: Nowello tum præfecto Scholæ Westmonasterienf. Cajetanus in Psalmo 2. ultim. in illa verba.

" Beati omnes qui confidunt in eo] sic habet. Et sic ante oculos Regum ac prin-
" cipum ac mundi proposuit & pœnas & præmia futuræ vitæ, nihil aliud appo-
" nens ad assequendam beatitudinem nisi spem seu fiduciam in Christo, hæc enim so-
" la & sufficit, & exigitur ad evitationem gehennæ & ad assequendam beatitudinem
" quoniam non nostris meritis sed spe salvi facti sumus. Hæc Cajetanus ad quem lo-
" cum sic Lorinus Jesuita in Comment: in dictum Psalmum. Nihil laboris exigere
" nisi spem seu fiduciam in Christo, hanc asserere solam exigi & sufficere profecto ni-
" hil aliud videtur esse quam necessitatem operum & meritorum negare, quod etiam
" positis his quæ dixit, cum subdit rationem quoniam non nostris meritis (quod ve-
" rissimum est de operibus nostris factis absque gratia) sed spe salvi facti sumus] Hic Lorinus tacite perstringit Cajetanum ut in Castra Protestantium transeuntem, quod beatos asserat omnes fiduciam in Christo collocantes & hanc fiduciam solam exigi & sufficere ad beatitudinem, at æquè Davidem perstringere potuisset, ex quo hanc ipsam doctrinam hausit Cajetanus cum dicat [Beati omnes qui confidunt in Christo] Iste locus pessimâ fide expungitur in nupera Lugdunensi edit. Cajetani, τὸ credere in Jesum quâ voluntatis actus juxta Cajetanum est confidere & tendere in Jesum.

Idem in Joan. 6.29. in illa verba " [Hoc est opus Dei ut credatis in illum quem
" misit ille] credere siquidem in Jesum continet in se & id quod est intellectûs (scil.
" credere Jesum quod commune est voluntariis & invitis nam & Dæmones credunt
" inviti mysterium Incarnationis & Trinitatis ex evidentia factorum) & id quod est voluntatis scil. confidere, tendere in Jesum, hoc enim præpositio [in] adjungit.

Credere siquidem Deum aut Deo, actus est solius intellectus, sed credere in Deum est, credendo confidere seu tendere in Deum quod continet in se actum intellectus & voluntatis actus fidei, spei, & charitatis——— & significanter (inquit) complectitur mysterium Trinitatis & incarnationis dicendo in eum quem misit ille, scil. Deus.

Ubi adverte quod credere in verbum incarnatum appellatur opus Dei, non solum quia est donum Dei in opere nostro; sed quia est opus primum exactum à Deo & uniens hominem Deo.

In hoc enim opere consistit substantialiter unio hominis ad Deum in hac vita & est illud per quod præbet vitam æternam.] Hæc Cajetanus.

Ubi 1. Disertè ait credere in Christum denotare & in sua notione includere actum voluntatis, confidere in Christum & tendere in Christum, ut credere in Christum, sit credendo confidere seu tendere in Christum.

2: τὸ credere in Christum esse opus tum exactum à Deo & uniens hominem Deo.

Idem in Joan. 12.42. τὸ credere in Deum significat plusquam credere verbis illius, quoniam significant credere confidendo in ipso scil. quod ipse esset Salvator Israel. Et in vers. 44. Qui credit in me (.i.) ita credit quod etiam confidit in me non credit in me ut terminum fidei suæ sed in eum qui misit me (.i.) in Deum ut terminum fidei suæ.

Genebrard. Notat. in Psal. 2. ult. notatum semel esto, hoc in opere passim beatitudinem & cætera dona tribui spei quæ in Pauli Epistolis fidei, alibi charitati assignentur. Nempe David extollit spem, quoniam ei res erat cum fidelibus quibus jam spes est maximè necessaria in his mundi casibus ad acquirendam beatitudinem & cæteras promissiones. Paulus fidem urget, quia verba faciebat apud infideles vel etiam fideles recens conversos, qui erant alliciendi ad fidem tanquam cæterarum virtutum januam: interim quoniam utrique eadem attribuuntur, argumentum est, fidem nudam non beare, neque sine spe & charitate tanta bona sibi applicare: Item spem esse necessariam quæ nec fide nec charitate orbetur:

Denique tria esse συναίτια ac ad eundem beatitudinis justitiæ gratiæ effectum concurrere: verum nunc unam, nunc alteram urgeri pro instituti ratione.

Ferus

Ferus in Matth.8. Summa fides quam Scriptura commendat non aliud est quam fidere gratuitæ Dei misericordiæ.

Joan. Dried. de captivit. & redempt. generis hum. p. 299. ait non quamlibet fidem justificare hominem, sed eam quæ est per dilectionem operans, & hæc semper continet fiduciam quandam, qua credens innititur gratiæ & misericordiæ Dei ut Redemptoris & Salvatoris sui.]

Idem Driedonius ibid. p.277. Verum quidem est Christianum quemque valentem assequi remissionem peccatorum certissimo fidere in sanguine Christi & illum statuere sibi firmissimam atque certissimam spem veniæ & indulgentiæ sed motus iste fiduciæ est motus spei, non fidei catholicæ.]

Et mox hæc fides, quæ vincit mundum, fides non est otiosa, quâ quis credit in eum qui justificat impium, quæ & socias habet certam fiduciam spei, motum dilectionis, displicentiam impietatis seu veteris vitæ.

Ferus in Joan.6.29. Hoc est opus Dei ut credatis in illum] Aliud est credere Deum, credere Deo & credere in Deum. Priora duo possunt etiam impii; ultimum autem, solum pii homines. Credere enim in Christum non est res gestas ejus nôsse; hoc enim & Satan novit; nec est meminisse aut secum cogitare Christum passum esse & resurrexisse, nam & impii harum rerum meminerunt & de his cogitant in nullo tamen meliores effecti. Sed est certâ, firmâ & stabili fiducia Christum omniaque ejus bona complecti, eique toto corde, tota animâ, totisque viribus inhærere: sic enim Paulus ait, Hebr. 11. Fides est substantia sperandarum rerum, &c.] Hæc Ferus.

Idem in Matth.8.2. Habes hic (inquit) naturam fidei quæ divinæ gratiæ innititur non propriæ munditiæ aut meritis. Fiducia enim sola operum & meritorum fidem extinguit gratiamque aufert idque patet in Pharisæo qui de propria munditiâ confisus, prope altare accedebat quasi dignus meritaque sua commemorabat propter quod à Deo rejectus est: è contra autem Publicanus propriè infirmitatis sibi conscius retrò stabat, non audebat oculos levare, non commemorabat merita sed peccata sua, Deique misericordiam implorabat, sic fides vera quamvis omnia bona faciat, semper tamen dicit servus inutilis sum, solique Dei misericordiæ nitatur] Hæc ille.

Gropperus in Symbolum explicans credo in Deum. In ipsum quoque Deum credo, hoc est omnem fiduciam & spem meam ex affectu dilectionis quo in eum tendo) in eum repono & colloco.

Petrus Ramus de fide cap.2. p.11. Credo in Deum. Phrasis (inquit) est Hebraica pro in Deum spem fiduciamque colloco, & hoc verbum Christianæ fidei hic est proprium] Vult hanc formulam non usurpari apud Gentiles Scriptores, sed ex Scripturis petitam esse, & fidei Christianæ propriam esse.

Alph. à Castro advers. Hæreses lib.7. titul. fiduciæ. Fiducia oritur (inquit) ex firma opinione quæ de re aliqua habetur. Nam si quis credat Petrum V. G. esse veracem & potentem ad aliquid faciendum statim habet fiduciam in promissionibus illius & quo magis persuasus est de veritate, de potentia & bonitate Petri, eo magis sperat habiturum quod ille promisit & firmius confidit in illo, & hinc apertè deducit Alphonsus nos omnes obligari ad habendam majorem fiduciam in promissionibus Dei, quam in promissionibus cujuscunque hominis quantumlibet veracis potentis & boni. Quoniam teneor credere Deum esse magis veracem & bonum atque potentem quam quivis purus homo. Ideo (inquit) Propheta Regius Psal. 144. dixit nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Non enim sunt usque adeo veraces neque sunt adeo potentes, ut possint omnia, quæ voluerint, facere. Deinde fiducia quæ in homine collocatur provenit ex opinione habita de homine, quæ semper habet formidinem admixtam. Fiducia autem quæ habetur de Deo oritur à fide quâ credimus Deum esse veracem, & bonum, & omnipotentem. At persuasio de veritate & bonitate & potentia Dei, quæ habetur per fidem, quoniam est sine ulla dubitatione & sine ulla formidine multo firmior est opinione, quæ semper habet formidinem admixtam. Ideo Paulus dixit fidem esse fundamentum, cui innititur spes. Fides (inquit ille) est sperandarum rerum substantia.

Interpres dixit substantia, pro eo quod Græcè dicitur ὑπόστασις, ac si diceret esse id quod substat alteri rei ut sustentet illam, quomodo fundamentum substat toti ædificio. Ideo enim (inquit) speramus carnis resurrectionem, quia credimus Deum veracem qui dixit illam esse futuram, & credimus Deum esse adeo potentem, ut possit mortuos revocare ad vitam.

His itaque præsuppositis (inquit) dicimus nos fiduciam habendi gratiam & gloriam debere collocari in Christo quatenus Deus est quid, ea sola ratione potens est nobis dare gratiam & gloriam juxta id quod Propheta ait Psal.83. Gratiam & gloriam dabit Dominus.

Hæc autem fiducia inde oritur quod Christus dixit Matth. 4. Agite pœnitentiam appropinquavit enim regnum cœlorum. Credimus autem Deum esse veracem, qui mentiri non potest, & potentem ad faciendum id quod promisit. In Christo autem quatenus homo est, habemus fiduciam consequendi gratiam & gloriam, tanquam in eo per cujus merita hæc nobis reddenda est: Hic est enim qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus.

Nec enim (ut ait Petrus Act. 4.) aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Per hunc (ut ait Paulus Roman 5.) habemus accessum ad Patrem: Hic est verus Pastor qui ovem centesimam errantem imposuit supra humeros suos & sic reduxit ad caulas, Joan.20. Hic est vitis vera sine qua palmites fructum facere non possunt, Joan.15. In hoc (ut Paulus Ephes. 1. ait) habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus: Et ideò in illo (ut idem Paulus iterum ait) habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.

Et propter hæc omnia dicimus cum Paulo, Quod fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Jesus, 1 Cor. 3.] Ex hoc Alphonsi testimonio quod ad verbum descripsimus ex Martin. Eisingrenio in Tractat. Apologet. de certitudine gratiæ, p.280,281. Varia annotanda occurrunt ad negotium quod in manibus habemus spectantia.

Nam 1. docet, fiduciæ, quam asserimus, fundamentum esse fidem, quam habemus in divinis promissionibus.

2. Docet, fiduciam habendi gratiam & gloriam debere collocari in Christo quâ Deus est, quia ea sola ratione potens est nobis dare gratiam & gloriam, quod probat è Psal. 84. In Christo item qua homo est tanquam in eo per cujus merita hæc nobis reddenda sunt, in causa *sc.* meritoria gratiæ & gloriæ: & addit ex Paulo, in illo nos habere fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus (*i.*) ut supra exposuimus —— per fiduciam in Christum Redemptorem: & insuper addit hanc semper fuisse omnium Theologorum Scholasticorum sententiam, unde & excandescit in Philippum Melancthonem ut calumniatorem contrariam sententiam Romanensibus affingentem.

Cornel. Jansen. Concord. Evangel. c. 18. p. 149. hanc rationem reddit cur τὸ credere in aliquem solum tribuant Patres Deo Patri, Filio, & Sp. Sancto, quod fidem illam qua credimus Deum esse omnipotentem, veracem, misericordem, gratiosum, Christum esse Dei Filium promissum, & Messiam prædictum, & mundi Salvatorem, ferè sequitur fiducia in Deum vel Christum, ejusdemque super omnia dilectio: atque secundum nostrum loquendi morem videtur includi in præpositione [in.] Et addit ob id, apud nos ex sententia Augustini & aliorum Patrum obtinuit, ut credere in aliquem solum tribuamus Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto]

Ex sententia ergo Jansenii, idcirco Patres dicere solent τὸ credere in aliquem dici de solo Deo Patre, Filio, Sp. Sancto; eo quod ad fidem qua credimus Deum esse omnipotentem, veracem, misericordem, gratiosum; ad fidem etiam qua credimus, Christum esse filium Dei promissum & Messiam prædictum & mundi Salvatorem ferè sequitur fiducia in Deum vel Christum, ejusdemque super omnia dilectio, idque denotari præpositione [in]

Idem Jansen. cap. 66. concord. Evang. p. 456. col. 1.D. quamvis dicat, Non omnino idem esse τὸ credere in Christum & confidere illi; tamen verum esse ait fidem

dem in Christum non salvare nisi eam quæ includit, aut potius adjunctam habet fiduciam in Christum & dilectionem: oportet tamen (inquit) hæc inter se benè separare propter hujus temporis hæreses] ubi ingenuè fatetur fidem in Christum non salvare & justificare nisi eam quæ includit aut saltem comitem habet fiduciam in Christum.

Idem Jansen. eodem opere, cap.134. p. 931. Explicans illa verba Johan.14. Ne turbetur cor vestrum, creditis in Deum & in me credite] Sic habet: Exigit autem Dominus cum fide in Deum, etiam fidem in se, tum ut sequentibus suis promissionibus, quibus eos consolari studet, fidem habeant; tanquam ejus qui mentiri nequit, tum ut fiduciam suam in ipso collocent, sicut in Deo collocant, quâ fiduciâ & fide omnem facilè animi perturbationem, omniaque mala superare possent, & participes fieri promissionum ipsius. Non enim cùm fidem in se exigit, simpliciter eam fidem requirit, quâ credatur esse filius Dei, & verax in suis sermonibus, sed & quâ fiducia in se collocetur, tanquam eo qui etsi secundum corpus eos esset deserturus, sua tamen divinitate nunquam esset derelicturus.

Hæc est enim fides de qua Joannes, hæc est (inquit) victoria quæ vincit mundum, fides nostra: hæc est fides quæ timorem & turbationem pellit à corde; juxta illud Psalmistæ, Psal.24. Dominus illuminatio & salus mea quem timebo: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo :] Hæc ibi Jansenius ubi fidentiùs pronunciat quod ante timidiùs confitebatur τὸ credere in Christum non solum includere in sua notione, ut fidem habeant discipuli suis promissionibus, quibus eos consolari studet, sed ut fiduciam suam in ipso collocent, quomodo in Deo collocant. Et hanc fidem esse victoriam quæ vincit mundum, de qua Apost. Joan. Epist.1.c.3.

Archiepiscop. Spalatens. lib.7. de Repub. Eccl.c.11.n.1.211. agens de dispositionibus ad justificationem, & nominatim de spe, post recitata loca quædam Scripturæ & Patrum, sic subjungit: atque huc reducitur fiducia illa Modernorum.

Hæc enim supposità jam fide catholicâ & aliis necessariis dispositionibus illa esse videtur quæ formaliter & proximè sola Christum apprehendit, Christique justitiam sibi applicat: ita ut apprehensio formalis Christi, ejusque justitiæ, tota proximè & formaliter debeatur huic actui certæ ac firmæ confidentiæ in Christi misericordiam ejusque merita, licet apprehensio hæc non possit fieri nisi præcedentibus illis dispositionibus ad justificationem necessariis.] Hæc Spalatens. ubi vult per actum confidentiæ seu fiduciæ solius, nos formaliter ac proximè apprehendere Christum, ejusque justitiam & merita nobis applicare, licet apprehensio & applicatio non fit, nisi suppositis præcedentibus dispositionibus ad justificationem necessariis: nemo clariùs, luculentiùs, magis propriè & emphaticè vim fidei quâ justificat explicavit: licet in eo fallatur, quòd non distinguat inter spem, quæ præparat ad justificationem, spem scil. veniæ, & fiduciam quæ in Christum & ejus satisfactionem ob remissionem peccatorum recumbit.

Hisce accedant explicatio Ecclesiæ nostræ sup.p.--

Alb. Pighius controver. 2: p.48. (.i.) illud ad Roman.3.25. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem (.i.) fiduciam aut confidentiam in sanguine ipsius: & p.61.6. Quod autem in Apostolo passim recurrit, justificari nos fide, aut per fidem in Christo atque ejus sanguine, ejusmodi est—— ut nobis semper inculcet, non in nobis aut operibus nostris, sed in Christo justitiam nostram quærere—— doceretque in uno Christo nostram justificationem esse: In ejus sanguine non in operibus justitiæ quæ fecimus nos fidere nos oportere: proinde fidem illic confidentiam intelligit: justificamur ergo nos fiduciâ illâ in Christo & ejus sanguine.

Ex dictis testimoniis Patrum & recentiorum, & præsertim ex nostræ Ecclesiæ publicis monumentis docuimus, quid sit τὸ credere in Deum & τὸ credere in Christum; in explicatione Articulorum fidei: nimirum in suâ notione includere τὸ confidere in Deum, & in Deum seu Christum fiduciam collocare: Quâ in re mirè consentiunt plerique è recentioribus in explicatione Symboli: in hac consentiunt Roffensis, Redmannus, Cajetanus, ut supra vidimus, & Catechismus Tridentinus, Driedonius, Erasmus & alii, & nostræ Ecclesiæ instauratores in tot monumentis publicis supra commemoratis.

Quid

Quid? quod ipse Bellarminus licet in lib. 1. de Justificat. c 9. afferat Symbola, Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum, ut probet fidem justificantem non aliam esse quàm nudum assensum ad ea omnia quæ Deus in verbo suo revelavit: tamen in posteriori explicatione Symboli, quam edidit, ad usum Pastorum suæ Diæceseos; explicans quid sit credo in Deum; Non significat (inquit) solùm credere Deum esse; sed significat credere nos in Deum, qui est primum Principium, & ultimus finis noster, in quo super omnia confidimus, & quem rebus omnibus anteponimus.

Jansenius vult ad fidem Catholicam sequi fiduciam & dilectionem Dei supra omnia; sed in loco ultimo ex eo citato planè vult fidem quæ ad justificationem exigitur, includere in suâ notione, ut fiduciam suam in Christum collocent, quomodo in Deum collocant.

CAPUT XIII.

Quid sit Augustino τὸ *credere in Deum.*

DIces, Augustinum videri posse aliter, interpretari τὸ credere in Deum; cum enim pro certo supponatur, fidem catholicam reperiri posse in malis Christianis; posse enim eos credere Deum (*.i.*) Deum esse, & credere Deo, (*.i.*) verum esse quod Deus dicit; tamen solos bonos Christianos vult in Christum credere: unde de verb. Domini Serm. 61. Multum (inquit) interest, utrum quis credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum; Nam ipsum esse Christum Dæmones crediderunt, nec tamen in Christum Dæmones crediderunt.

Et in Psalm. 77. Credere in Deum——plus est quam credere Deo; nam & homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergo credere in Deum, credendo adhærere ad benè cooperandum benè cooperanti Deo. Et mox——Generatio illa cujus exemplum cavendum est——etsi aliqua credidit Deo, non credidit in Deum; non enim fide adhæsit Deo.] Hic τὸ credere in Deum, juxta Augustinum, est fide adhærere Deo.

Idem in Psalm. 130. Hoc est credere in Christum, diligere Christum, & infra --Omnes ergo qui sic credunt, lapides sunt vivi.

Et Tractat. 29. in Joan. Quid est ergo credere in eum? credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, & membris ejus incorporari.

Et fidem, quâ in Deum credimus, sæpius exponens, dicit, non eam esse qualemcunque fidem, sed quæ per dilectionem operatur.

Cùm ergo Augustinus dicat τὸ credere in Deum esse credendo amare, & credendo diligere, & credendo in Deum ire, meritò quæritur, quo sensu Augustinus intelligit τὸ credere in Deum esse credendo amare, & credendo diligere præsertim cùm consequenter videri possit asserere, eundem actum esse fidei & charitatis; cum tamen ipsi sint diversi habitus; diversorum habituum autem non sunt iidem actus.

Estius in 3. dist. 23.8.6--- vult Augustinum ideo actum credendi Deum per dilectionem explicare, quia voluntas fidem imperans intellectui, in Deum tanquam in finem movetur: id quod etiam in malis Christianis locum habere vult: cùm enim (inquit) vera sit in iis fides, voluntatem habent ex nonnulla obedientia & humilitate propensam in id quod credunt, licet concupiscentia superante non instituant suas actio-

actiones secundum id quod credunt; Atque hanc piam voluntatis propensionem in ea quæ creduntur Augustinus generaliter dilectionem appellavit, quia est initium quoddam ad charitatem, quæ Filios Dei constituit.] Hæc Estius.

Bellarm. lib. 1. de Justific. c. 13. Agens de præviis ad Justificationem dispositionibus, vult, dilectionem hanc cujus meminit Augustinus, ex spe veniæ proficisci: Statim enim (inquit) ac incipit aliquis sperare ab alio beneficium, incipit etiam eundem diligere, ut benefactorem, atque authorem ejus beneficii quod sperat: Itaque qui sperat (inquit) à Deo veniam peccatorum, incipit eum diligere, ut veniæ largitorem.] Hæc ille.

Dici porrò potest ex alio capite, τὸ credere in Deum, esse, credendo diligere; quia Deus nos peccatores nondum illi reconciliatos, imò adhuc hostes gratiosè vocat & invitat ad reconciliationem juxta illud Mat. 11. venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & Ego reficiam vos. ' Et 2 Cor. 4. 20. Pro Deo (inquit Apostolus) legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ejusmodi gratiosæ invitationes & hortationes Dei & Christi, necesse est ut ad dilectionem Dei & Christi incitent atque impellant.

Sed hæ interpretationes non videntur ad mentem Augustini: Nam, ut suprà diximus, Augustinus vult credere in Christum esse credendo amare & credendo diligere: Quibus verbis designare vult, talem actum dilectionis intelligi, qui bonorum proprius est, & in bonis tantùm reperitur: unde in Tract. isto. 29. in Joan. addit, credere in Deum—— esse credendo in Deum ire, & credendo Membris ejus incorporari, & alibi, credendo ei adhærere, quæ non possunt intelligi nisi de iis, qui uniuntur Deo & Christo, ut Membra capiti. Et in Psal. 130. ubi dixisset: Hoc est credere in Christum, diligere Christum, posteà subjungit.——Omnes qui sic credunt, Lapides sunt vivi.

De Trin. lib. 15. c. 18. Solum hoc donum est, charitatis sc. quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Et tract. 5. in Epist. Joan. Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli.

Et de verbis Domini Serm. 61. Qui in Christum credit, credendo in Christum, veniet in eum Christus, & quoquo modo unitur, & membrum in corpore ejus efficitur: Quod fieri non potest nisi & spes accidat & charitas.]

Prosp. in sent. August. 7. Dilectio Dei & Proximi, propria & specialis est virtus piorum & sanctorum. Et 327. Quanta est Charitas? quæ si desit frustra habentur cætera, si adsit, habentur omnia.]

Et ubique per fidem quæ per dilectionem operatur, intelligit veram, vivam & justificantem fidem. At juxta Estium, Pia illa voluntatis propensio in ea quæ creduntur, quam vult, Augustinum per dilectionem intelligere etiam in malis Christianis reperiri, qui nunquam fidem justificantem attingant.

Sed neque ad mentem Augustini accedit interpretatio Bellarmini; Non enim omnis qui sperat a Deo veniam peccatorum, atque inde incipit eum diligere ut veniæ largitorem ad statum Justificationis promovetur: Sed neque quicunque diligit Deum & Christum gratiosè invitantem ad reconciliationem, hoc ipso justus evadit & justificatus, licet hi omnes actus præparent & disponant ad justificationem.

Cum ergò Augustinus Tract. 29. in Joan. quærens quid sit credere in Christum, respondet, credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, & ejus membris incorporari. Et dicit Tract. 26. in Joan. Quòd qui credit in me, it in me, & qui it in me, habet me. Et in Psal. 77. Hoc est credere in Deum, credendo adhærere ad bene co-operandum bona operanti Deo—— & addit, Generatio illa cujus Exemplum cavendum est—— Etsi aliqua credidit Deo, non tamen credidit in Deum; non enim adhæsit Deo. Et de verb. Dom. Serm. 61. Ille credit in Christum qui & sperat in christum & diligit Christum. Certè, si sub nomine & notione τοῦ credendi in Christum complectatur Augustinus τὸ ire in Christum, τὸ adhærere Christo, τὸ sperare in Christum, complectitur quicquid nos fiduciæ nomine exigimus.

Idem Augustinus in Tract. De non Cogitando in crastinum. Quid est (inquit) credere in Deum? Hoc est, promissionem dedisti, spem tuam in Deo posuisti, vitam tuam Deo commisisti qui in Deum credidisti.]

Ille ergo credit in Deum, qui suppositâ promissione Divinâ, spem suam in Deo posuit, & vitam suam Deo commisit.

Et Serm. 7. de Tempor. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei, quando sic pænitet, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita.

CAPUT XVIII.

Quod ordine cohæreant in negotio Justificationis, Dilectio Dei supra omnia; Contritio Cordis, & Fiducia in Christum Redemptorem.

ET certe hæc omnia suo loco & ordine exigit merito Augustinus; ut recte credamus in Deum & Christum Redemptorem; credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, credendo ei adhærere, credendo in Christum sperare, & membris ejus incorporari, credendo pænitere vitæ anteactæ, & vitam tuam totam Deo committendo. Siquidem (juxta nostram sententiam supra positam) veri nominis contritio cordis (*.i.*) dolor de offensa, cum proposito de cætero non peccandi, nascitur ex dilectione Dei sincera, eamque comitem individuam habet: qui enim sincero cordis affectu Deum super omnia diligit; necesse est serio doleat de offensa Dei, & peccatum omne detestetur: Effectus siquidem naturalissimus sinceræ & germanæ dilectionis est, dolere de offensa & læsione personæ dilectæ. Ac quamvis interna cordis contritio non attingat effectivè, & operetur immediatè remissionem peccati; per contritionem tamen seriam peccator præparatur & idoneus fit, ut particeps fiat Divinæ misericordiæ, sine quâ ipse sibi obicem ponit, quò minùs Deus illi peccata condonet: Neque enim congruum est, nec divinæ aut justitiæ aut etiam sapientiæ consentaneum; ut ei peccata condonentur, qui aut peccatis securè indulget, aut de peccatis, quibus Dei Justitiam graviter læsit, non seriò dolet, simulque non seriò proposuit ab iisdem peccatis in posterum sedulo abstinere. Atque hinc est ob hanc videlicet dispositionum istarum concomitantiam, quòd Scholastici, nunc, dilectionem Dei supra omnia, ultimam dispositionem ad Justificationem faciant; nunc, seriam cordis contritionem; Licet propriè loquendo contritio cordis nascitur ex sincera dilectione Dei supra omnia: Siquidem contritio non aliud est, quàm dolere de peccatis propter Deum summe dilectum, cum proposito absoluto de cætero non peccandi. Vid. Eising. de certit. gratiæ. p.492.

Videtis quo ordine cohæreant in negotio Justificationis, & quo ordine collocanda sint,

1 Dilectio Dei supra omnia,
2 Contritio cordis seu dolor de offensa Dei;
3 Fiducia in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum.

Nam 1. Dilectio Dei supra omnia operatur in peccatore seriam cordis contritionem & dolorem de offensa tam gratiosi Dei, cum peccati omnis detestatione, & propositio absoluto de cætero non peccandi.

2. Cordis contritio incitat & impellit peccatorem ut confugiat ad sacram anchoram misericordiæ divinæ, & Christi Redemptoris passionem & satisfactionem; atque in hac sola confidat & fiduciam omnem collocet, ut coram Tribunali divino

ab

ab intentatis omnibus criminibus absolvatur, & Peccata omnia remittantur. Vid. Eisingr. de cert. gratiæ p. 492, 493, 494. Dilectio Dei & cordis contritio ultimatim disponunt subjectum. Fiducia ex parte peccatoris applicat objectum, satisfactionem, λύτρον, Mortem, & Meritum Christi ad peccatorum omnium expiationem.

CAPUT XIX.

Series & Ordo dispositionum ad Justificationem.

COlligamus tandem & ob oculos ponamus seriem & ordinem, quo Sp. Sanctus peccatoris justificationem efficit & operatur.

1. Primum locum in hac serie meritò sibi vendicat fides Catholica, nemo enim idoneus esse potest ad gratiam justificationis consequendam, qui non firmiter assentiatur ad ea omnia quæ in sacris literis divinitùs revelantur; inter quæ hoc unum est, posse in Ecclesia haberi remissionem peccatorum, & justificationem; idque per Christum Mediatorem: Nisi enim hoc primitus credatur, frustra quærimus, quo ordine & quibus gradibus justificatio acquiratur; Nam, ut rectè Augustinus, Domus Dei credendo fundatur.

2. Secundum opus præparatorium est timor pœnæ: Timor Domini est initium sapientiæ Psal. 111. & Pro. 1. Nascitur iste timor, suppositâ justitiâ Divinâ, ex fide comminationum divinarum; qui enim firmiter credit comminationibus divinis, necesse est ut timeat pœnam, ubi Deum offenderit: Est enim ejusmodi timor actus imperatus fidei comminationum divinarum.

3. Tertium est spes veniæ: Nascitur autem spes veniæ ex fide promissionum divinarum, seu ex firmo assensu, promissionibus Divinis adhibito; ex fide etiam bonitatis, clementiæ & misericordiæ Dei, denique ex fide mysteriorum, incarnationis, mortis, passionis, ac resurrectionis Christi. Ambros. lib. 1 de pœnit. c. 1. Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. Et August. Serm. 22. de verb. Apost. Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur.

4. Quarta dispositio est dilectio Dei invitantis vel hostes ad reconciliationem. Nascitur iste motus animi ex promissione salutis omnibus in Christum unigenitum Dei Filium credentibus. Joan. 3. 16. Deus ita dilexit mundum, ut dederit Filium unigenitum ut omnis qui credat in illum non pereat:

5. Quinta dispositio est dilectio Christi nostri Redemptoris, liberatoris & salvatoris qui propter nos pretium redemptionis persolvit, qui tam dira passus est, ut nos a peccatis nostris salvaret & ab omni iniquitate liberaret, & in libertatem filiorum Dei vendicaret: Nascitur ista dilectio ex horum beneficiorum seria meditatione. Item ex gratiosis invitationibus; in quibus est ista; Venite ad me omnes qui fatigati—— estis, & requiem invenietis animabus vestris.

6. Sexta Dispositio sit dilectio Dei obedientialis, qua homo ob paratam a Deo & partam redemptionem proponit firmiter Deo in omnibus placere propter ipsummet Deum.

7. Ex hac dilectione Dei nascitur displicentia veteris vitæ, dolor de offensa tam gratiosi Dei, & propositum de cætero non peccandi.

8. Homo sic dispositus confugit ad Dei misericordiam, ad Christum Redemptorem, & ejus meritum ob remissionem peccatorum, hisce firmiter confidit, & in istis totam fiduciam collocat ob remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo. Nam ut rectè Augustinus in Psal. 41. Nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui displicet sibi, nisi qui se confitetur peccatorem, & humiliando se Deo.

Atque habetis seriem & ordinem dispositionum quibus præparat Sp. sanctus peccatorem ad remissionem peccatorum, & justificationem, & eandem operatur.

CAPUT XX.

Sententia antiquorum Patrum de Justificatione per Fidem.

BEllarminus lib. 1. c. 9. De Justificat. multa collegit è Patribus testimonia quibus persuadere vult, fidem Justificantem non aliam esse atque Catholicam, qua assentimur omnibus divinitus revelatis.

1. At Patres dicti aliquando sese explicant, se nimirum de fide loqui, qua in Deum seu in Christum credimus; quæ fides includit in sua notione fiduciam in Deum seu Christum vid. sup. p.—

2. Cum agunt de fide Catholica, quæ dicit nudum assensum ad ea quæ divinitus revelantur, non dicunt eam esse fidem qua justificamur, nec sufficere hanc fidem ad Justificationem.

3. Certum est, juxta Patres exigi ad justificationem præter fidem Catholicam seu Dogmaticam, alias prævias dispositiones, quales sunt spes veniæ, timor pœnæ, & aliæ, quarum meminimus supra p.——

Certum est, præter dispositiones dictas requiri justificationem peccatoris, applicationem Christi & ejus meritorum, ad remissionem peccatorum; siquidem, aliud est disponere subjectum, personam justificandam, aliud, applicare objectum, Christum, & ejus satisfactionem & merita ad remittenda peccata.

5. Certum est, Actum dilectionis quomodo explicatur ab Estio & Bellarm. & aliis, supra p.——Non applicare satisfactionem seu meritum Christi ob remissionem peccatorum: Non enim, qui piâ voluntatis propensione (quæ est Estii explicatio) feror in ea quæ creduntur, dilectione scil. quæ est initium charitatis, puta, in Christum & ejus merita, illico applicantur mihi Christus & ejus satisfactio. Neque quia spero à Deo veniam peccatorum & incipio eum diligere, ut veniæ largitorem (quæ est interpretatio Bellarmini) ideò nihil continuò applicatur Christus & ejus merita ad remissionem peccatorum.

Certum est juxta Patres exigi ad justificationem peccatoris fiduciam in Dei misericordiam, & in Christum Redemptorem, & in ejus satisfactionem & merita. Vid. supra p.——

7. Certum est juxta Patres, in Deum misericordem, & Christum Redemptorem, & ejus mortem & merita solummodo omnem fiduciam nostram ponendam esse ob remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, abdicatis & abrenunciatis omnibus nostris meritis quibuscunque.

8. Hinc certum est, id quod proxime & formaliter applicat peccatori rite disposito, Christum & merita & satisfactionem Christi ad remissionem peccatorum, & primò nos unit Christo, ut membra capiti, esse actum fiduciæ quo recumbimus in Dei misericordiam per Christum, seu quo recumbimus fiducialiter in Dei misericordiam & Christum Redemptorem & ejus merita ob remissionem peccatorum. Hoc duplici ratione confirmari potest.

Hisce in antecessum præmissis. Accedamus jam ad testimonia Patrum quæ diligenter collegit Bellar. ut probet Fidem quâ justificamur, non esse nisi nudum assensum ad ea omnia, quæ Divinitus revelantur.

CAP.

CAPUT XXI.

Responsio ad Patrum testimonia quæ affert Bellarminus, ut probet Fidem Justificantem juxta eos non aliam esse quam Fidem Catholicam.

1 ADducit Bellarminus Irenæum lib.1. cap.2.3. & 4. Ubi explicat regulam fidei Christianæ, quod idem (inquit) facit Tertullianus in lib. adversus Praxeam: uterque autem (inquit) nihil credendum docet, nisi Articulos symboli Apostolici, quamvis nomen symboli non habeant: Sanctus quoque Basilius (inquit) in oratione de confessione fidei, docet fidem ad salutem & Justificationem necessariam illam esse, quâ creduntur ea quæ Deus revelavit; neque fidei specialis in tota illa oratione usquam meminit.] Hæc Bell.

Sol. Omissâ fide speciali de qua nos litem non movemus, cum agitur, de fide qua justificamur.

Resp. 1. Quod supra respondebamus p.56. Hosce Patres non confundere fidem justificantem cum fide Catholicâ, ut vult Bellarm. sed omnino distinguere.

Ad Irenæum lib.1.cap.2.3.& 4. Ecclesia (inquit) per Universum Orbem usque ad extremos terræ fines disseminata, & ab Apostolis & a Discipulis eorem accepit eam fidem quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & in unum Jesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute; & in Sp. sanctum] Ubi per fidem in unum Deum—— & in unum Jesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute, & in Sp. sanctum, intelligit Irenæus fidem, quâ credimus non solum unum esse Deum, & unum Jesum Christum filium Dei incarnatum esse pro nostra salute,—— & Sp. sanctum esse, sed etiam quâ credimus in Deum Patrem—— in filium Dei pro nostra salute incarnatum,—— & in Sp. sanctum: (*.i.*) Fiduciam omnem in eis collocamus. Hæc enim denotat πίστις ἡ εἰς ἕνα θεὸν, ϗ εἰς ἕνα χριστὸν, ϗ ἡ εἰς πνεῦμα ἅγιον, Ut supr. ex Redman. in testim. Basilii observabamus, p.63. Idem responsum plane esto Tertullian. sic enim ille lib. de velandis virginibus c.2. Regula quidem una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi sc. in unicum Deum Omnipotentem, mundi conditorem; & filium ejus Jesum Christum] ad regulam fidei juxta Tertul. immobilem & irreformabilem spectat non solum credere esse unum Omnipotentem, Mundi item conditorem, & filium ejus Jesum Christum, sed etiam ut credamus in unicum Deum Omnipotentem, Mundi conditorem & in filium ejus Jesum Christum (*.i.*) ut in eis in negotio justificationis & salutis fiduciam collocemus.

Idem dicendum de loco quem Bellarminus adducit ex lib. adversus Praxeam. cap.2. Ibidem enim post recensitos articulos quæ de fide Dei habentur in regula fidei, (*.i.*) in symbolo. Qui exinde [de cœlis] miserat secundum promissionem suam a Patre Sp. sanctum Paracletum sanctificatorem fidei eorum qui credunt in Patrem filium & Spiritum sanctum: Ubi ad veram fidem exigit, ut credamus in Patrem, filium, & Sp. sanctum.

Idem contra Marcionem lib.1. c.21. stabit igitur fides semper in Creatore & Christo ejus.] Fides igitur est non solum de Deo Creatore & Christo ejus, sed & in Creatore & Christo ejus, juxta Tertul.

Idem etiam in Apologetico, c.23. compellans gentes: Hæc denique (inquit) testimonia Deorum vestrorum Christianos fac. consueverunt, quia plurimum illis credendo, in Christo Domino credimus, ipsi [Dii vestri] literarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant] In quem locum Pamelius Scholiastes; non dubito (inquit Pamelius) jam tum eam formulam usitatam fuisse quâ profitemur nos credere in Deo, sive ut Ruffinus, in Symbola, & Augustinus in Deum, non vero credere Deo, seu Deum.

Ex dictis conficitur, Tertullianum juxta regulam fidei, exigere ut credamus non tantum Deum esse, & Deum veracem esse, sed etiam ut in Deum credamus (.i.) in Deum fiduciam nostram collocemus; ut suprà fuse demonstravimus.

Ad illud quod affert Bellarm. è Sancto Basilio in orationem de confess. fidei. [Tom.2. p. 249] Fatemur Basilium in illa oratione agere tantum de iis quæ ad fidem Catholicam spectant; eaque (ut recte docet) ad salutem & justificationem necessaria esse, cum necessarium sit ut credamus ea omnia quæ Deus nobis revelavit; sed non ait hæc sufficere ad justificationem & salutem. Imò ut quis veram beatitudinem consequatur, exigit alibi Basilius, ut spem & fiduciam omnem in Deo collocemus.

Basilius in Psal.7. 138. A. Quemadmodum nec quicquam aliud præter Deum colere oportet, sic nec in alio sperare quam in Deo omnium Domino fas est; spes mea (inquit David) & cantatio mea Dominus] Et in Psal.32. p. 211. A. Quomodo in illius misericordia sperant? Is viz. qui non his nititur quæ præclare ac fortiter gessit, neque item se sperat ex operibus justificatum iri, sed tantum in Dei misericordia spem collocat.] Ubi ostendit, in negotio reconciliationis, non in operibus nostris, sed in Dei misericordiâ, Spem & fiduciam collocandum esse. Vid. & in Psal. 37. p.245. D. In Psal. item 45. p.266. C. & 274. B.

Idem Basilius Tom.3 seu Append. Concion. 1. de virtute & vitio, p. 6 A.B. Beatus ille qui spe omni a rebus hujus seculi depositâ eam in Deo solo reponit: Nam ut maledictus ille est qui in homines, sic benedictus qui in Deo spem omnem collocat. Non enim spes in Deum alternas vices admittit: [οὐκ ἐπιδέχεται ἐπαμφοτερισμόν] Neque solet iis plenam adferre opem, qui modo divitiis, modo hominum gloriæ, modo hujus Mundi potentiæ confisi, aliquando eum ut spem sibi proponunt, sed vere in ejus auxilio conquiescendum est.

Pergit Bellarm. Pari ratione Cyrillus Hierosolymit. catech.5 scribit Fidem justificantem esse fidem dogmaticam, quâ credimus Jesum esse Christum, & a mortuis resurrexisse, atque alia id genus dogmata. Idem quoque, Catechesi 18. explicans, quid sit credendum catechumenis, ut Baptizari possint, totum symbolum tradit & exponit, neque usquam meminit fiduciæ specialis misericordiæ.

Sol. R. Cyrillum nusquam in illa Catechesi 5. affirmare aut expresse, aut etiam consequenter quæ ei affingit Bellarm. Nusquam dicit Fidem justificantem esse fidem Dogmaticam: Meminit revera in illa Catechesi duplicis fidei; fidei dogmatum, & fidei illius operatricis quæ 1 Cor. 12. v. 9. inter χαρίσματα recensetur. [Alii datur fides per eundem spiritum] Quo modo Chrysostomus distinguit inter fidem,

πίστιν { δογμάτων / σημείων. } Fidem { Dogmatum & Miraculorum } Homil. 29. in 2 Cor. in c. 12

Sed neutra harum est illa fides quæ justificat peccatorem, & a peccatis absolvit. Sæpius in istis Catechesibus docet Cyrillus, Catechumenum debere credere vera esse quæ de Deo & Christo narrantur: sed & in Deum & in Filium ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum credendum esse docet: Catech.4. p.75.

Ad alterum locum Catech. 18. ubi, ait Bellarm. explicans, quid sit credendum catechumeno, ut baptizari possit, eum totum symbolum tradere & exponere, neque unquam meminisse fiduciæ specialis misericordiæ.

Sol. R. 1. Nec nos dicimus, nos justificatos iri per fiduciam specialis misericordiæ, passim imponit nobis Bellarminus, sed per fiduciam in Dei misericordiam, & Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum; quæ est constans sententia Patrum: Hæc enim diligenter distinguenda, ut posteà, Deo dante, fusiùs ostendemus.

2. R. Ipsum Symbolum exigere à Catechumeno, ut baptizari possit, non nudum assensum ad ea quæ divinitus revelantur, & in articulis fidei exponuntur de Deo, de Christo, de Sp. Sancto, sed etiam ut credamus in Deum Patrem, in Filium ejus unigenitum,

nitum, nostrum Redemptorem, & in Sp. Sanctum (.i.) ut fiduciam omnem in iis reponamus ob remissionem peccatorum & salutem.

Pergit Bellarm: Idem faciunt Greg. Nazianz. oratione in S. Lavacrum extrema & in Tract de fide Nicena; Chrysost. in duobus homiliis de Symbolis. Euseb: Emesenus in homiliis item duobus de Symbolis. Ruffini in explicatione Symboli. Augustinus lib. de fide & Symbolo: in lib. de Genes. imperfect. c. 1. & in Enchirid. per multa capita. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum: & author lib. de Ecclesiast. dogmatibus: Qui omnes cum Symbolum explicant, tum profitentur ea omnia se docere, quæ ad fidem Christianam pertinent; & tamen nemo est eorum qui vel semel specialis istius fidei Lutheranorum meminerunt] Hæc Bellarminus.

Sol. R. Hosce omnes Patres exigere à veris Christianis non solum nudum assensum ad articulos qui in Symbolo recitantur de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto: sed ut in Deum Patrem, in Christum filium, mundi Redemptorem; & in Sp. Sanctum credamus, & fiduciam nostram ponamus ad remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo. Atque hoc modo credentes posse consequenter credere sibi peccata esse remissa. vid. sup.p.4. ut postea cum Deo, ostensuri sumus.

Progreditur Bellarm. Sed placet ex Augustino, & qui eum secuti sunt, Prospero, Leone, atque Fulgentio, verba ipsa proferre.

" Igitur S. August. in Enchirid. c. 2. dicit, Deum fide, spe, & charitate coli, " & c. 5. dicit, mentem imbui debere fide, ut bene vivendo tendat ad speciem & " c.7. Dicit, salutem in his tribus acquiri, fide, spe, & charitate: nam quicunque " invocaverit nomen Domini salvus erit: sed non potest invocari nomen Domini ni- " si prius credatur, ideo fides credit, spes & charitas orant.]

" Ex quibus locis (inquit) manifestè colligimus, eum loqui de fide justificante & " salvante: De hac igitur fide justificante mox cap 8. docet eam distingui à spe, ac " per hoc etiam à fiducia, non solum nomine sed etiam objecto, unde sumitur ratio " propria essentiaque virtutum.]

" Est (inquit) fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & ma- " la; & hoc fide bona non mala: est etiam fides & præteritarum rerum & præsen- " tium & futurarum: credimus enim mortuum Christum quod jam præteriit; credi- " mus sedere ad dextram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad judicandum, " quod futurum est. Item fides & suarum rerum est & alienarum; nam & se quis- " que credit aliquando cœpisse, nec fuisse utique sempiternum, & alia atque alia; " nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verum etiam " de Angelis credimus: spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, " & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur: quæ cum ita sint, " propter has causas distinguenda erit fides à spe; sicut vocabulo, ita & rationabili " differentia.] Hæc Bellarm. ex Augustino.

Sol. R. Primo, Augustinum hisce locis agere de fide dogmatica (.i.) assensu nudo ad ea quæ divinitus revelantur, non de fide justificante: nam agit de fide, quæ contra-distinguitur spei & charitati; talis enim fides non est illa quæ appropriato nomine dicitur justificans, licet sit necessaria ad justificationem, utpote quæ sit fundamentum fidei (justificantis: Domus enim Dei, ut rectè Augustinus Sermone 22. de verbis Apostoli, credendo fundatur.

2. In locis citatis agit August. de illa fide quâ creditur Deo: at aliud Augustino est credere Deo, & credere in Deum ut supra demonstravimus cap. 17. & sæpe alibi; ille enim credit in Christum qui & sperat in Christum, & diligit Christum; teste August de verbis Dom. 61. Rursus idem quærens, quid sit credere in Christum Tractatu 29. in Joannem, respondet, credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari; atque adeo credere in Deum includit vel potius supponit spem & charitatem.

3. Ubi ait Bellarm: ex August: fidem justificantem distingui à spe ac per hoc etiam à fiducia, non solum nomine, sed etiam objecto.

Resp. Fidem de quâ agit capite illo 8. non esse illam quam nos Justificantem indigitamus, sed merè dogmaticam, quam nos fatemur distingui a spe ac proinde a fiducia, non solum nomine, sed etiam objecto. Nam fides dogmatica est & malarum

larum rerum & bonarum---est etiam & præteritarum rerum & præsentium & futurarum; est & suarum rerum & alienarum: spes autem non nisi bonarum, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur; ac proinde propter has causas distinguendam fidem [dogmaticam] à spe, sicut vocabulo ita & rationabili differentia; quæ quidem differentiæ verè assignantur, si per fidem intelligamus fidem catholicam & dogmaticam, & per spem intelligamus spem præmii, æternæ scilicet beatitudinis: quanquam, quæ Augustinus dicat de spe, possunt etiam accommodari ad spem veniæ, quæ ad justificationem præparat, quæ est rei bonæ & futuræ, & ad eum pertinentis qui veniam sperat: Addo & illud, ubi Bellarm. ait fidem justificantem distingui à spe, ac per hoc etiam à fiducia; rectè hoc asseritur, si per fiduciam intelligat spem roboratam quæ non nisi gradus est spei, ut alibi sese explicat, vid. supr. p. 26, 27. Sin per fiduciam, omnem acceptionem fiduciæ intelligat, falso dicitur, nam fides justificans non est spes propriè dicta, est tamen fiducia proprii nominis, quâ denotat actum affectus fiduciæ, & distinguitur ab affectu spei, ut supra observavimus cap. 9.

Pergit Bellarminus. Idem Augustinus in libro 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 5. Nostra (inquit) fides (*i.*) catholica fides, justos ab injustis, non operum sed ipsa fidei lege discernit; quia justus ex fide vivit: ubi S. Augustinus loquitur de fide justificante quæ discernit justum ab injusto, & dicit eam fidem esse Catholicam (*i.*) fidem dogmaticam, communem toti Ecclesiæ, non specialem illam, quæ ejus tantum est qui credit, vel confidit sibi remissa esse peccata.

Et dicit infra, hanc fidem esse fidem rectam, quæ hæresi opponitur, & ratione cujus, melior est mulier bis nupta catholica, quàm virgo hæretica: ubi sine dubio per fidem justificantem intelligit fidem qua creduntur articuli, & dogmata omnia sine ulla permixtione perfidiæ.] Hæc Bellarminus.

Sol. Resp. Augustinum eo in loco per nostram fidem, & Catholicam fidem intelligere fidem illam quæ est communis toti Ecclesiæ, fidem nimirum integram, quæ proponitur credenda in Symbolis fidei catechumenis, & ab iis reddenda, cum baptizantur, vid. supra cap. 12.

Exigit autem hoc Symbolum, non solum ut assensum firmum præbeamus dogmatibus fidei, quæ credenda sunt de Deo Patre, de Dei Filio unigenito Christo, Redemptore nostro, & Spiritu Sancto: sed ut in Deum Patrem, Christum Redemptorem, & Spiritum Sanctum credamus (*i.*) totam fiduciam collocemus ob remissionem peccatorum, & salutis consecutionem; atque hæc est illa fides quæ justificat, quæ discernit justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege, hæc est fides quâ justus vivit, hæc est fides quæ per dilectionem operatur——.

Et postea, per fidem intelligit rectam fidem quæ est in Deum, ex qua justus vivit, & secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat: Quare? nisi propter fidem quæ licet sine operibus neminem solvat, ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia justus per fidem vivit: sine ipsa verò etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur; omne enim quod non est ex fide peccatum est, & fit propter hanc maximam differentiam, ut cum dubitante nullo, perseverans virginalis integritas conjugali castitate sit potior; tamen mulier bis nupta catholica, professæ virgini hæreticæ præferatur.]

Hæc Augustinus, ubi explicat quænam sit illa fides, quam nostram & catholicam appellat; quæ justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit, illa nimirum quæ per dilectionem operatur: — secundum quam in omnibus delictis suis se accusat justus, in omnibus bonis operibus Deum laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat; idque non nisi propter fidem quæ licet sine operibus neminem salvat—— tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia justus ex fide vivit.] Quæ

omnia

omnia intelligenda sunt ex sensu Augustini non de fide merè dogmatica seu n..do assensu ad articulos fidei adhibito, qui in malis catholicis reperitur sæpe, qui nunquam fide vivunt nec justificantur, sed de ea fide quâ qui credunt, non solum fide dogmaticâ credunt articulos fidei, sed insuper in Deum misericordem, & Christum Redemptorem incarnatum, natum, crucifixum, mortuum credunt, (*i.*) interpretante Catechismo Tridentino, ita credunt in Deum Patrem, Filium & Sp. Sanctum, ut etiam in iis omnem fiduciam suam collocent, in negotio scilicet justificationis & salutis.

Proximus post Augustinum est Leo M. S. Leo (inquit Bellarm.) Sermone 4. de Epiphan. Hoc est (inquit) quod justificat impios (.*i.*) quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, & vera Deitas & vera credatur humanitas.]

Sol. Resp. 1. Certum est nunquam venisse in mentem Leonis fidem etiam rectam de persona Christi, & de duabus naturis in una eademque persona subsistentibus, ipsa fidei credulitate justificare impios, & ex peccatoribus facere sanctos: Nam idem Leo Sermon. 7. de Quadrages. fuse docet, fidem etiam veram & rectam, ex Apostolo, non valere absque dilectione: ad Galat. 5. unde sic scribit, Charitas robur fidei, & fides est fortitudo charitatis; & tunc verum nomen ac verus est fructus ambarum, cum insolubilis utriusque manet connexio; ubi enim non simul fuerint, simul desunt, quia invicem sibi & juvamen & lumen sunt; donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis; & incommutabiliter videatur & ametur, quod nunc & sine fide non diligitur, & sine dilectione non creditur.]

Hæc Leo, ubi explicat, qualis sit illa fides quæ justificat impios, & ex peccatoribus facit sanctos; Fides (inquam) talis, non quæ nuda sit credulitas, quâ assentimur fidei dogmatis, sed quæ adjunctam habeat dilectionem & alias virtutes.

2. Ipse Bellarm. lib. 1. de justific. c. 15. per totum caput probare contendit, fidem veram posse reipsa à dilectione aliisque virtutibus separari, ac proinde fidem rectam & veram reperiri posse in malis Christianis: intellige ergo verba Leonis: Hoc est quod justificat impios, (*i.*) quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, & vera Deitas & vera credatur humanitas; simulque etiam in eundem Jesum Christum *Θεάνθρωπον credamus*, (.*i.*) fiduciam collocemus ob remissionem peccatorum: cum certum sit etiam ex mente Leonis, multos qui non justificantur nec ex peccatoribus fiant sancti, fide catholicâ credere, veram Deitatem & veram humanitatem inesse Christo Domino.

Succedat jam, Prosper: lib. 1. de vita contempl. c. 18. enumerat (inquit Bellarm.) breviter Summam fidei de Trinit. & Incarn. Deinde c. 19. Hanc ipsam dicit esse fidem justificantem, qui non crediderit (inquit) habendo fidem nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem] Hæc Bellarm.

Sol. R. Rectissime Prosper: Qui non crediderit habendo fidem, nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem: nam recta fides necessaria est ad justitiam cordis & salutem; cum fundamentum sit ædificii spiritualis; fides autem si sit merè dogmatica, non justificat sola, nec ad salutem sufficit.

Succedat Fulgentius: Is (inquit Bellarm.) lib. de fide ad Petrum, in ipso Prologo, loquens de fide catholicâ & dogmaticâ, quam in toto illo libro exponit: Gaudeo (inquit) quod pro fide verâ sine ullo perfidiæ vitio custodienda, solicitudinem geris; sine quâ, nulla potest prodesse, imo nec esse conversio: Apostolica quippe dicit authoritas, quia sine fide, impossibile est placere Deo: Fides namque est bonorum omnium fundamentum, fides est humanæ salutis initium; sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum potest provenire, quia sine ipsâ, nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam.

Sol. Resp. Hoc testimonium, dogmaticæ & catholicæ fidei necessitatem in negotio justificationis & salutis evincit, id quod nos minime inficiamur: Domus siquidem Dei credendo fundatur.

Fides Catholica itidem Clementi est prima ad salutem inclinatio: Euseb. Emeseno dicitur ostium vitæ, fundamentum salutis. Chrysostomo, Origo justitiæ, Cy-

rillo

rillo Alexand. est janua ad vitam. Prospero, justitiæ fundamentum, & virtutum omnium fundamentum. Hæc tamen Catholica fides non sufficit ad justificationem, non enim justificat: hæc igitur elogia non competunt fidei quâ justificat, cum in non-justificatis & malis catholicis sæpe reperiatur.

Ultimus Bellarm. testis est S. Bernardus. Sanctus Bernardus (inquit) multis in locis hoc docet, sed unum (inquit) in præsentiâ nobis citâsse sufficiet: serm. 6. de Vigil. Nativit. cum loqueretur de fide incarnationis & aliorum mysteriorum: Beati (inquit) qui non viderunt & crediderunt: Pars nostra hæc in verbo vitæ, nec sanè contemptibilis ex qua nimirum vivitur, & quâ vincitur mundus, quoniam justus ex fide vivit, & hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra: hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar præterita simul ac præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit.]

Ubi (inquit Bellarmin.) fidem justificantem dicit complecti præterita, præsentia & futura quia credimus omnes articulos à Deo revelatos quorum alii sunt de rebus præteritis alii de præsentibus alii de futuris] Hæc Bellarm.

Sol. R. Bernardum in loco citato nihil minus agere quam quod ei affingit Bellarminus. Dicit Bernardus fidem velut quoddam ætetnitatis exemplar præterita simul & præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendere ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil quia scilicet fides in Christum efficaciam suam exerit omnibus temporibus, quod probat ex loco Hebr. 13. Jesus Christus filius Dei heri hodie & in æternum tempore scil. Adæ Abrahæ, Davidis & Patriarcharum quia efficax erat eorum fides in Christum venturum ad vincendum mundum. Efficax etiam eadem fides ad justificandos & beandos ipsos Apostolos: hinc adducit Bernardus illud Christi Matth. 13. Beati oculi qui vident quæ vos videtis efficacia ergo fidei se exerebat in illis Apostolis qui vixerunt Christo ipso in terris existente.

Postremo (inquit Bernardus) nobis quoque Sercatum est fidelibus compellans Christianos qui ejus temporibus vixerunt ipso Christo æquè dicente Joan. Beati qui non viderunt & crediderunt & tum subjungit Bernardus pars nostra hæc in verbo vitæ nec sane contemptibilis ex qua nimirum vivitur & qua vincitur mundus, quoniam justus ex fide vivit, & hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.

Hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar præterita simul & præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit] ubi docet Bernardus fidem veram vivam & justificantem, qualis est illa qua vivitur & qua vincitur mundus non minus vim & efficaciam suam e xerere quoad justificationem & salutem credentium hisce ultimis temporibus atque olim.

Iste quem diximus est germanus Bernardi sensus hoc ipso in loco non agit Bernardus de illa fide quâ nudus assensus præbetur articulis fidei à Deo revelatis, quorum alii sunt de rebus præteritis, alii de præsentibus alii de futuris, quæ etiam in malis catholicis reperitur sed de illa quæ tantum cadit in bonos & qua vivitur & vincitur mundus ubique locorum & omnibus temporibus.

Atque ita habetis copias Bellarmini non parva industria è Patrum monumentis collectas, fusas simul ac dissipatas, quibus astruere conatur fidem justificantem juxta Patres non aliam esse à fide catholica, qua quis assensum firmum præbet ad ea omnia quæ divinitus revelantur. Proximo in loco hanc suam assertionem astruere conatur rationibus lib. 1. c. 10. de justificatione.

CAPUT

CAPUT XXII.

Ubi fusè ostenditur Bellarminum malâ fide instituisse statum quæstionis, quæ agit de fide justificante.

Hisce ut rectiùs occurratur, illud fusius explicandum quod sæpius supra, Bellarminum malâ fide statum quæstionis instituisse, ubi agitur dè fide justificante. In hoc enim lib. 1. de justificatione acriter contendit fidem justificantem non aliam esse, quàm illam quâ assentimur ad ea omnia, quæ divinitus revelantur in sacris literis, nec aliter justificare, quam disponendo ad justificationem.

Rursus communem sententiam protestantium esse statuit, fidem justificantem esse illam, qua unusquisque fidelium statuit, credit aut confidit sibi peccata esse remissa seu quâ fiduciam habet specialis misericordiæ & de remissione peccatorum, ut patet ex lib. 1. de justific. c. 8.

Quamvis autem nostræ confessionis Theologi cum contra Romanenses disputent, qui totis viribus fidem specialem impugnare conantur, rectè asserant posse credentes veraciter sibi applicare in particulari generales propositiones evangelii, & certo credere & confidere posse sibi in particulari peccata remissa esse, tamen fatendum est minus cautè ac distinctè interdum loqui, confundentes fidem justificantem quâ credo in Christum Mediatorem seu Redemptorem, cum illa fide quâ in particulari applico mihi generalem promissionem Evangelii, quâque credo mihi peccata esse remisa.

Id quod rectius & distinctius explicari potest si accurate perpendamus syllogismum, cujus supra meminimus juxta quem rectissimè distinguuntur Fides Catholica, Fides justificans, & specialis.

Hinc satis patet rectè distingui fidem justificantem à fide speciali licet posterior hæc ex priori rectissimè deducitur unde & rectè asseritur hanc fidem specialem, licet non justificet, non tamen explodendam esse, ut contendit Bellarminus.

Dari autem fidem specialem ordinariam, seu fiduciam de remissione peccatorum in particulari, v. g. Petro aut Paulo, variis rationibus evincitur de quibus agitur in altera quæstione, ubi agitur, an quis certitudine fidei divinæ, certus esse possit de remissione peccatorum, de qua postea agit Bellarm. lib. 3. de justificat & nos itidem postea.

CAPUT XXIII.

Ubi ostenditur fidem justificantem non esse fiduciam de peccatis remissis.

Hisce ita præmissis ut rectius occurratur rationibus, quas adducit Bellarminus lib. 1. c. 10. de justificat. ut explodat hanc fidem specialem, operæ prætium duximus eorum opinionem sive potius inadvertentiam impugnare, qui fiduciam de peccatorum remissione, esse ipsam fidem justificantem contendunt, quæ ferè est assertio Lutheranorum, Mart. Kemnitii & aliorum. Duo ergo hic sunt demonstranda.

1. Fidem justificantem non esse fiduciam de peccatis remissis.

2. Dandam esse fidem specialem quâ verè fidelis potest veraciter applicare sibi in particulari generalem promissionem Evangelii; ac proinde ejusmodi fidem non esse explodendam ut vult Bellarm, sed asserendam.

Ut autem demonstremus fiduciam de remissione peccatorum seu de peccatis remissis non esse fidem justificantem in antecessum expediendam duximus æquivocationem vocis fiduciæ, cujus aut ignoratio aut potius non animadversio facilè in errorem inducat,

Vox fiduciæ bifariam accipi potest vel enim denotat
1. Affectum illum quo voluntas recumbit in Christum Redemptorem ejusque satisfactionem, & λυτρὸν ob remissionem peccatorum & justificationem.
2. Spem roboratam vel potiùs firmum assensum seu persuasionem in qua ejusmodi spes fundatur, de peccatis remissis.

Fiducia autem hic sumitur significatione posteriori & denotat spem roboratam qua plane confido & persuasus sum de remissione peccatorum, seu quod mihi remissa sunt peccata, qui actus fiduciæ fides etiam specialis promissionum appellari solet à nostris Theologis. Porro cum dicimus fiduciam de peccatorum remissione non esse fidem justificantem, per fidem justificantem intelligimus eam fidem cui & quidem soli vis justificandi sine operibus passim in Scripturis tribuitur, fidem illam ex qua justus vivit, ex qua pacem habemus cum Deo, ex quâ & quidem solâ remittuntur peccata, ut alia hujus fidei elogia missa faciam quæ passim in Scripturis fidei tribuuntur; est autem illa fides non aliud quàm actus affectus fiduciæ, quo voluntas peccatoris contriti recumbit in Christum Redemptorem, ejusque λυτρὸν & obedientiam ob remissionem peccatorum & acceptationem ad vitam.

Hac distinctione præmissa, dicimus fiduciam seu spem roboratam seu firmum assensum in quo talis fiducia aut spes fundatur de remissis peccatis non esse illam fidem; cui ut causæ instrumentali justificatio & remissio peccatorum in Scripturis tribuitur.

Id variis rationibus evinci potest & quidem primo accuratè perpendendo syllogismum cujus propositio in Evangelio sæpe inculcatur quo fideles suam in fœdus gratiosum receptionem inferunt & concludunt. Sic enim ratiocinatur fidelis.

Quisquis credit in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, ei remissa sunt peccata.

Ego (inquit fidelis) credo in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum. Ergo, mihi sunt remissa peccata.

Major habetur in Evangelio Joan. 3.16. Act. 10.43. & passim alibi. Assensus autem huic majori est actus fidei Catholicæ quâ universali promissioni assentimur.

Minor exprimit conditionem fœderis gratuiti seu actum fidei justificantis seu fiduciam qua recumbit fidelis in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum. Assensus conclusioni adhibitus exprimit actum fidei specialis quâ fidelis applicat sibi in particulari promissionem universalem Mihi sunt remissa peccata. Hujus autem conclusionis veritas supposita veritate & certitudine majoris pendet ex veritate & certitudine minoris. Quia enim credo in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, quæ est conditio fœderis novi, ideo mihi remissa sunt peccata. Quæ est res promissa in fœdere novo. Et quia certus sum me præstare conditionem credendo in Christum Redemptorem, ideo certus sum mihi remissa esse peccata fide speciali applicante mihi rem promissam in fœdere.

Jam nemo potest fiduciam seu spem roboratam habere de remissis peccatis nisi cui prius naturâ remissa sunt peccata. Neq; fiduciam vere concipere potest quis, peccata sibi esse remissa, nisi prius naturâ reis sa remittantur, fiducia enim mea non facit rem veram, sed veram esse præsupponit. Nec fiducia mea de veritate hujus propositionis, mihi sunt remissa peccata, facit ut emittantur, sed remissa esse præsupponit, alioqui non vera sed falsa erit fiducia.

Ergo

Ergo hæc fiducia de remissis peccatis non potest esse fides justificans qua remittuntur peccata, cum illa semper ordine naturæ ut causa instrumentalis, præcedat justificationem.

2. Fides justificans potest esse absque fiducia de remissis peccatis; nam potest quis recumbere fide justificante in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, qui tamen non habet spem roboratam de remissis peccatis, ut in tempore tentationis & in initio conversionis cum luctatur cum diffidentia. Multi pii fiduciam suam in Christum & ejus merita reponunt ob reconciliationem cum Deo, qui tamen jactati tentationum procellis non possunt fiducialiter & firmiter statuere sibi remissa esse peccata.

3. Differunt objectis fides justificans & fides specialis; fidei enim justificantis objecta sunt Christus ipse, Christi persona, Christi satisfactio, mors Christi, justitia Christi, merita Christi. Objectum autem fiduciæ seu fidei specialis applicantis promissionem sunt res promissæ in fœdere novo, seu beneficia fœderis, qualia sunt justificatio, remissio peccatorum, unio cum Christo, adoptio, regeneratio & id genus alia.

4. Constat fiduciam remissis peccatis non esse fidem justificantem ex natura fœderis;

Cum enim in fœdere novo 2. contineantur, { 1 Conditio fœderis / 2 Res promissa

Certum est neminem jus habere, aut habere posse, ad rem promissam nisi qui præstiterit conditionem. Cum ergo conditio fœderis novi sit credere in Christum Redemptorem, res promissa, remissio peccatorum, & jus ad vitam æternam; ergo juxta tenorem fœderis, 1. Prius credendum est peccatori in Christum Redemptorem. 2. In loco applicatio fit rei promissæ (,*i.*) remissionis peccatorum ad consequendam vitam æternam. Non ergo fides justificans qua præstatur conditio (.*i.*) qua fiduciam in Christum Redemptorem ponimus ob remissionem peccatorum potest esse fiducia de peccatis remissis quæ est ipsissima applicatio specialis promissionis nisi confundere velimus ipsam conditionem fœderis cum beneficio in fœdere promisso quod non est admittendum.

5. Fides justificans præcedere debet justificationem cum ejus sit causa instrumentalis; omnis siquidem causa est prior naturâ suo effectu. At fiducia de peccatis remissis sequitur justificationem. Si enim fiducia hæc specialis non sequatur justificationem falsa esse convincitur.

Quomodo enim vera fides est aut fiducia, qua mihi credo remissa esse peccata si dum ita credo vel confido, nondum sunt remissa peccata, sed sunt per hunc ipsum actum postea remittenda. Deinde si objectum hujus fidei vel fiduciæ sit illa propositio, mihi sunt per Christum remissa peccata, certè prior esse debet remissio quam fides cum omnis actus pendeat ab objecto non contrà objectum ab actu, adeo nec intelligi posse quomodo objectum fiat per illum ipsum actum cujus est objectum, scilicet. Mihi sunt remissa peccata, credendo mihi esse peccata remissa. Cum objectum det essentiam actui, non actus objecto. Impossibile est ergo, fidem illam justificare quæ justificationem seu remissionem ipsam specialem pro objecto habet. Est ferè argum. Bellar. lib. 1. de justif. c. 10 secunda ratio.

6. Fiduciam hanc de peccatis specialiter remissis esse fidem justificantem implicat: Impossibile est enim ut quis justificetur primò eo actu quo planè confidit se prius justificatum esse, credendo scilicet peccata sibi tum fore remittenda, cùm jam priùs confidat planè esse remissa, simil. est ratio Gr. de Valent. in 12. q. 125. rat. 8.

7. Nusquam habetur in Scripturis, quicunque credit aut confidit sibi esse remissa peccata, ei remittuntur peccata; nec uspiam Scriptum est, statue tibi peccata esse remissa & remittentur; sed qui credit in Filium habet vitam æternam, Act. 16. 31. & crede in D. Jesum & salvaberis tu & domus tua, credere autem in filium, non est credere peccata mihi esse remissa.

8. Prius naturâ remissa sunt peccata quam quis credere aut confidere potest peccata sibi esse remissa. Siquidem veritas prius natura est in rebus quam vel in oratione vel in mentis conceptu sic Jul. Scalig. exercit. 2. veritas enim in conceptu mentis, item veritas in oratione oritur ex veritate in rebus ipsis.

Vera enim propositio est illa quæ pronuntiat uti res est, vera etiam illa mentis notio quæ adæquata est & conformis ipsi rei, impossibile ergo est ut peccata hoc ipso actu remittantur, quo quis credit aut confidit peccata sibi remitti, nisi quis velit peccata vere remitti per creditionem aut confidentiam falsam.

9. Omnes tenentur credere in Christum fide justificante, at omnes non tenentur credere aut confidere peccata sibi esse remissa nisi prius credat in Christum quis, ex corde contrito ob remissionem peccatorum nec potest credere aut confidere; nec tenetur credere aut confidere sibi remissa esse peccata. Ergo fiducia de remissis peccatis non est fides justificans.

10. Nemo cuiquam assentitur nisi quod verum esse judicârit etiam priusquam assentiatur ut enim propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re: ita nec propter nostrum assensum vel dissensum. Hujus rei judicium est quod ex naturali amore veritatis & odio falsitatis antequam alicui assentiamur, explorare solemus num quod nobis quis refert verum sit; & ubi id sic se habere deprehenderimus, tum demum assensum præbemus. Non ergo quia homo credit peccata sibi esse remissa hoc ipso remissa sunt, nec remitti possunt sed prius naturâ peccata remissa sunt, antequam quis vere credere potest peccata esse remissa, fides siquidem remissionis peccatorum necesse est ut posterior sit ipsa remissione. Non ergo potest quis justificari hoc ipsa remissiones. Non ergo potest quis justificari hoc ipso quod credat sibi esse remissa peccata.

CAPUT XXIV.

Ostenditur dandam esse fidem specialem.

ALterum quod demonstrandum suscepimus, est concedendum esse fidem specialem quâ verè fidelis fide justificante præditus potest veraciter sibi applicare in particulari generalem promissionem Evangelii ac proinde ejusmodi fidem non esse explodendam, ut vult Bellarminus, sed seriò asserendam, ex eo enim quod quis verè credat in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum & certò noverit, se credere in Christum & fiduciam suam collocare in ejus satisfactionem & merita ob remissionem peccatorum experimentali cognitione, hinc vi promissionis divinæ remittuntur peccata ejusmodi peccatori, & certò & verè novit aut saltem nôsse & potest & debet sibi esse remissa peccata.

Ut autem quod hac de re sentiendum sit fusiùs, & distinctius explicemus hanc certitudinem quam habent & habere solent peccatores pœnitentes de remissione peccatorum & gratia divina præmittendum est certitudinem aliam esse

1 Fidei divinæ immediatè ex revelatione divina.
2 Fidei divinæ mediatè, mediante discursu qui nititur uno principio de fide certo & alio evidente vel naturaliter vel experimento evidentissimo & certissimo secundum ordinem naturalem.
3 Fidei humanæ, quam moralem appellant.

1. Certitudo fidei divinæ immediatè est illa quæ innititur revelationi divinæ immediatæ absque omni discursu.

2 Cer-

2. Certitudo fidei divinæ mediatè, mediante discursu qui nititur uno principio de fide certo, & alio evidenti vel naturaliter in lumine naturali; vel experimento evidentissimo & certissimo, secundum ordinem naturalem. Exemplum esto primi; ubi in concilio vi. Oecum. Concludunt Patres in hunc modum contra Monothelitas.

Quicunque est verus Deus & verus homo ille habet geminam voluntatem.

At Christus erat verus Deus, & verus homo

Ergo

Christus habuit geminam voluntatem, divinam nempe & humanam.

In hoc syllogismo major est vera & certa in lumine naturali, minor est vera & certa in lumine fidei:

Conclusio est vera & certa idque in lumine fidei unde & dicenda est conclusio de fide, idque hac ratione quod conclusio semper sequitur deteriorem partem. Talis autem debilitas est inevidentia quæ in minori propositione cernitur: nam licet propositiones de fide lectiores sunt quam scientificæ, tamen obscuriores & minùs evidentes sunt, atque eo nomine deteriores, qua ratione in hoc syllogismo conclusio erit inevidentior Majore, ac proinde potiùs denominanda a Minore, quæ cum sit propositio de fide, itidem & conclusio erit propositio de fide.

Exemplum secundi generis esto.

Quicunque credit in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, illi peccata sunt remissa.

At Ego (inquit Petrus & quilibet fidelis) credo in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum.

Ergo

Mihi sunt remissa peccata.

Major hujus Syllogismi certa & in lumine fidei Act. 10.43. Minor evidens erat Petro & evidens est fidelibus experimento certissimo & evidentissimo. Evidenter enim experitur fidelis se abrenunciatis omnibus operibus & meritis, fiduciam totam suam collocare in Christum & ejus merita & satisfactionem ob remissionem peccatorum.

Conclusio tamen, Mihi remissa sunt peccata, non est evidens eo modo quo minor fideli cum propositio denominanda sit fidei, atque adeò sit inevidens fideli ob inevidentiam majoris quæ est propositio certa in solo lumine fidei.

Ejusmodi conclusionum certitudinem appellat Suarez Theologicam, quæ infertur ex propositione una de fide, altera ex evidente experimento lib. 9. de Grat. caput 9. n. 4.

3. Est certitudo moralis seu fidei humanæ; sunt autem triplicia fide humana credibilia ut annotavit Andr. Vega. lib. 9. c. 4.

1. Quædam, quanquam authoritate humana constant, sic passim ab omnibus & certa & indubitata recipiuntur ut ne dubitare de iis possimus qualia sunt illa quæ authoritate omnium constant & ab universis hominibus——Ex enim sexu, ordine, natione, religione citra omne dubium asseruntur, ut Constantinopolim esse, Indos esse, Turcas esse, Arabes esse—— parentes diligere filios & id genus alia.

2. Alia sunt quæ quamvis non tanta sint authoritate tamen tanto consensu absque ulla cunctatione recipiuntur ut stultus & fatuus habeatur qui non iis certo assentitur qualia sunt, Episcopos, cum ordinant Presbyteros aut diaconos, sacerdotes, dum baptizant dum absolvunt, intentionem habere ordinandi, baptizandi, absolvendi.

3. Alia licèt non æquali jure & ratione credenda sunt, cum multa accipimus beneficia ab aliquo, certò credimus nos ab eo deligi—— & rectissimò argumenta amoris communiter habentur beneficia.

Hac distinctione præmissâ dicimus certitudinem quam habere possunt vere fideles de remissione peccatorum & gratia divina, non nude conjecturalem esse aut eam quæ excludit solùm anxietatem sed in seriis exercitiis fidei & pœnitentiæ sæpe excludit formidinem contrarii, estque certitudo secundi generis, quam alii certitudinem secun-

dam

dam seu mediatam fidei, seu certitudinem fidei specialis quia ejus objectum est propositio seu conclusio specialis, ut mihi peccata sunt remissa, quæ rectè etiam Theologica dici potest.

Conclusio autem talis infertur ex una propositione verâ & certâ in lumine fidei qualis est illa,

Quicunque credit in Christum, Redemptorem ob remissionem peccatorum illi peccata sunt remissa:

Altera ex propositione certa & evidenti certitudine experientiæ quæ soli ipsi credenti seu fideli nota est, qualis est illa,

Ego credo in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum

Ergo

Hinc infertur conclusio specialis fidei, Mihi peccata sunt remissa; sed & eadem ratio est minoris prædictæ & aliarum, quarum aliæ præcedaneæ sunt ad actum fidei justificantis, & dispositionis illius quâ quis experitur se seriò dolere de peccatis ob offensam Dei, aut qua sibi seriò proponit quis in posterum derelinquere sua peccata, & novam vitam inchoare aut serium desiderium habet reconciliationis. Aliæ succedaneæ, ut pax conscientiæ & dilectio Dei ut Patris, proximi & suipsius, gaudium sub spe gloriæ, gaudium Sp. sancti & id genus alia.

Hîc tota lis est de Minore an evidenter certa esse possit fideli; nos dicimus certam esse posse & certam esse verè fideli licet non semper cum in primordiis conversionis & urgente tentatione aliquando, occurrant dubitationes, vid. Catherin. de certitud. Grat. Assert.9. Conscientia siquidem perhibet testimonium certum ordinariè omnium actuum qui cadunt sub hominis notitia conscientia testatur de actibus tam internis qam externis: Experior certè me videre, audire, gustare, imaginari, reminisci, Intelligere item, deliberare, judicare; velle item amare & odisse, timere, gaudere, sperare, confidere; & certitudo de hisce actibus elicitis non solum ordinariè excludit omnem anxietatem sed & omnem formidinem contrarii testibus omnium hominum sensu & experientia.

Conscientia videt & considerat hominis cogitationes, intentiones & consilia; actiones & commercia. Vix ullum hominis propositum sive bonum hoc sit, sive malum testem hunc latere potest unde & nomen habet apud Latinos Conscientia, apud Grecos συνείδησις, quippe quod actionum & omissionum, sensus & cogitationum conscia sit, ac testimonium de illis præbere queat; Quinimo nullis testium dictis non exactissimis, severissimisque quæstionibus usque adeo evidenter quis de re quapiam convinci potest quam suâ ipsius conscientiâ, ut recte M. Eisingrenius. Huc spectat illud Halensis 3.p q.71. in 3 Act.1. Anima inquit nihil certius cognoscit quam suam scientiam quam suum odium, quam suam dilectionem; addo ego quàm suam contritionem & dolorem de offensa Dei, quam suam fiduciam, quam suam confidentiam. Durandus item 3 Dist.23.q.7. Habens fidem ita certus est se habere fidem, sicut certus est de quocunque alio. Credens enim experitur se credere] sic verè contritus experitur se contritum esse, & vere confidens experitur se confidere.

Thomas 1. part.q.79.art.13.& 14. Ubi agit de synteresi & conscientia ait eam testari quatenus recognoscit aliquod nos fecisse, aut non fecisse, & quatenus judicamus aliquid esse faciendum vel non faciendum, ligare vel instigare, & quatenus per conscientiam judicamus quod aliquid quod est factum sit bene factum, vel non bene factum, excusare vel accusare.

CAPUT

CAPUT XXV.

Conscientiis fidelium optimè & certò innotescere eorum actus bonos & virtuosos ex communi sensu omnium fidelium atque speciali revelatione.

UT hoc certius demonstretur dicendum est certum esse conscientiam vere fidelis, certum perhibere testimonium de actionibus virtutum verè & sincerè præstitis, atque adeò ut de hisce actibus præstitis certitudinem eam habeat quæ non solum omnem anxietatem excludat, sed etiam formidinem contrarii. Ejusmodi certitudinem habet vere fidelis de actibus fidei, fiduciæ, spei, charitatis, patientiæ & id genus alia. Id primò constat exemplis Davidis, Hezekiæ, Pauli & aliorum Sanctorum. Davides Psal. 25.2. Domine Deus meus, in te confido non erubescam, ver. 3. etiam omnes expectantes te non afficientur pudore & 57. Miserere mei Deus quoniam in te confidit anima mea. David certus erat experimentali certitudine eâque excludente omnem formidinem contrarii se in Deo confidere unde certitudinaliter infert non erubescam, certus etiam erat animam suam confidere in Domino experimentali certitudine unde indubitatò colligit Deum erga se misericordem fore, certus itidem erat pariter se sperare in Domino, unde Categoricè pronunciat, non confundar in æternum, Psa 26.1. Judica me Domine quoniam ego in innocentia mea ingressus sum v. 3. Complacui in veritate tua. Certe non est existimandum ausum fuisse Davidem protestari toties de integritate suâ, provocando ad judicium Dei, si non certus fuisset de integritate suâ, certitudine indubitatâ, & excludente omnem formidinem contrarii. Sic passim in Psalmis pronunciat, se certum fuisse de suis actibus, Psal. 11.1. In Domino confido, Et 7.1. Domine Deus meus in te speravi, & 13.6. Ego autem in misericordia tua speravi: Et 26.1. Judica me Domine, quoniam in integritate ambulavi, & in Domino sperans non Vacillabo. Psa. 28.7. Dominus Adjutor meus, & Protector meus, in ipso speravit Cor meum, & adjutus sum: Et 30.1 In Te Domine speravi, non confundar in eternum: Et Psal. 7. Ego autem in Domino speravi, exultabo & lætabor in misericordia tua: Et ver. 15. Ego autem speravi in Domino. Et 38.16. Quoniam in te speravi Domine, Tu exaudies me Domine Deus meus. Psal. 33.21. In eo lætabitur Cor nostrum, quoniam in nomine sanctitatis ejus speravimus] Lætitia illa, aut nulla aut irrita certè necesse est, ubi nemo certus esse potest, an speret in Deo necne. Psal. 116.1. Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Et 116.10. Credidi, propter quod locutus sum] Hosce actus sperandi, confidendi, diligendi, credendi præstabat & exercebat David, & novit se exercere absque omni formidine contrarii: Et ex hac experimentali notitiâ pronunciat & infert Categorice, Deum erga se propitium fore, exauditurum preces, se non confundi, Deum illi adjutorem futurum, absque omni non solùm animi anxietate, sed etiam formidine contrarii. Neque dici potest hasce asseverationes Davidis profectas fuisse ex speciali aliqua revelatione Davidi facta, qua specialiter certiorabatur de horum actuum exercitio & præstatione, ut solent Jesuitæ respondere, cum actus speciales sanctorum producere soleamus, quorum meminerunt sacræ literæ ad asserendum certitudinem indubitatam quam habent alii sancti de suis actibus; Dici (inquam) hoc non potest, hasce peremptorias asseverationes profectas fuisse ex speciali aliqua revelatione Davidi factâ, sed ex communi & ordinaria experientia, et sensu fidelium, qui indubitatè certi sunt se ejusmodi actus exercere, nec falli in hac sua assertione seu asseveratione; Idque docet optime Athanasius in Epistola ad Marcellinum de

usu

usu Psalmorum, ubi ait se multa preclare didicisse de usu Psalmorum ex sene quodam industrio, in quibus sunt illa; Ita agere Psalmistam, ut fidelis quispiam merito existimet, ibidem de rebus ipsius, non alienis sermonem fieri: Et is (inquit) qui audit, & ille qui legit compungitur, & ita afficitur odarum istarum verbis, ac si sua ipsius propria essent[p.745.B.]Rursus paulo ante ibid: At ubique invenies sacras illius odas secundum nos nostrosque motus motuumque sedationes sese habere. Ibid. lit. E. In Psalmis illud miri est, quod qui eos legit, exceptis de Christo Gentibusque vaticiniis, sua se verba in re sua legere opinatur. Et quilibet ita psallit, quasi de se ea ipsa quæ psallit, conscripta essent; non tanquam alius ea diceret, aut de alio dicerentur, ita accipit, & perlegit, sed tanquam de seipso sermo fieret, ita mentem suam ad Deum dirigit. Et p.746.C. In summa (inquit) quilibet Psalmorum ea forma verborum conceptus est à Spiritu Sancto, & ita temperatus, ut in illis, motus affectuum nostrorum animadvertamus, omniaque illa putemus de nobis referri, ac nostramet ipsorum esse verba, unde & memores nostrum affectuum, nostra in melius commutemus. Quæ enim (inquit) in Psalmis canuntur, ea formulæ nostræ, & exemplaria esse possunt.] Hæc Athanasius ut & multa alia ibidem huc spectantia. Ex quibus constare possit, asseverationes ejusmodi quæ tam frequentes occurrunt apud Davidem, non ab eo profectas fuisse ex speciali aliquo instinctu, revelatione afflatuque Divino; sed ex communi sensu fidelium & ordinariâ inspiratione Spiritus Sancti, quam in sese experiuntur omnes fideles. Sed non Davidis exemplum solummodo occurrit, sed & aliorum; Ezekias, 2 Regum. 20.3. & Isai. 38.3,4. Invocans Deum cum ægrotaret fidenter alleget suam integritatem in ambulando coram Domino, quam certè non allegaret, nisi certo constitisset illi de sua integritate, in cultu Dei, absque omni formidine contrarii, tam de modo cultus, quam de actu colendi.

"Obsecro Domine (inquit) Memento quæso, quomodo ambulaverim coram Te "in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Veritatis autem hujus indicium erat, quando in alleganda sua integritate flevit Hezekias fletu magno] quæ verbatim recitantur Isaiæ 38. 3,4. Accedat exemplum D. Pauli 2 Cor. 4.13. Habentes eundem Spiritum fidei, sicut Scriptum est, credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur] David. Psal. 116. in mediis doloribus non vacillabat, sed fide intuebatur promissiones Divinas, quas quia statuebat esse veras, loquebar (inquit) [*i.*] fiducia in hisce promissionibus, me in mediis doloribus sustentabam, ut testarer me non vinci ab illis doloribus. Paulus hoc ipsum testimonium Davidis sibi & omnibus fidelibus accommodari posse docuit, cum profiteatur se nomine omnium fidelium pariter credere in mediis doloribus seseque sustentare nitendo promissionibus Divinis, 2 Tim. 1.12. Scio, cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum Diem. Hujus item rei testes sunt fidelium voces omnium temporum: Inspiciantur Meditationes, soliloquia, Manuale, Confessiones Augustini, ubi ejusmodi asseverationes, protestationes, allegationes, tanquam in conspectu Dei frequenter occurrunt: Consulantur item Meditationes Anselmi, Bernardi contemplationes Idiotæ: Tauleri etiam exercitia de vita & passione Christi, & alia ejus opera; Thomæ etiam a Kempis de Imitatione Christi libri quatuor: Precationes etiam Roffenses Psalmis Davidis excerptæ, & ab eo accommodatæ omnibus fidelibus; Preces item publicæ omnium temporum tum in Græcâ tum etiam Latina Ecclesiâ, quæ extant in Liturgiis Veterum, Cujusmodi etiam extant in Cassandri precibus Ecclesiasticis; Quæ omnia huic rei fidem faciunt, & uberrimè attestantur, & supponunt conscentiis fidelium certo innotescere actus bonos & pios ex communi sensu & experientia fidelium, absque speciali aliqua revelatione.

2. Potest vere fidelis certo dignoscere an præstet conditionem fœderis gratiæ; Ergo potest certo dignoscere, an sibi in particulari remittantur peccata: Consequentia patet, qui enim certo dignoscit, se conditiones fœderis præstare, hoc ipso novit ad se pertinere beneficia in fœdere promissa.

Antecedens probatur: Potest enim quis certo dignoscere, an seriò doleat de offensa Dei cum proposito de cætero non peccandi. 2. Potest certo dignoscere, an omnem fiduciam reponat in Deum misericordem & Christum Redemptorem, &

ejus merita & satisfactionem, ob remissionem peccatorum, abdicatis omnibus suis operibus in negotio justificationis cum sese sistat coram Tribunali Divino.

Quod autem fidelis potest certo dignoscere an serio doleat de offensa Dei, & an fiduciam omnem in negotio reconciliationis collocet in Dei misericordiam & Christi mortem & merita, ex dictis patet; si enim certò novit David attestante conscientia se in Domino confidere, sperare, Quidni in Christum & ejus merita confidere ob reconciliationem cum Deo; quidni dignoscat se serio dolere ob offensam Dei; & id genus alios actus pios elicere.

3. In Evangeliis legimus, multos interrogatos fuisse an in Christum crederent, qui sanari à morbis Christum obnixe orabant; frustra autem interrogabantur, an vere crederent necne, si non certo & indubitato scire potuissent an crederent necne: Sic Mat. 9. 27. Duo cæci interrogati a Christo, an crederent eum potuisse visum restituere? Respondent, Etiam Domine; tum tetigit eorum oculos dicens, secundum fidem vestrum fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum.] 1. Quorsum interrogat Christus cæcos istos de fide omnipotentiæ & an crederent eum potuisse eis visum restituere, si non absque omni formidine contrarii respondere potuissent, etiam, vel non? 2. Quomodo respondent ambo huic quæsito, Etiam Domine, si non certi fuissent se credere, & non opinari tantum? 3. Et quomodo fidei horum tum veritatem, tum certitudinem miraculosa oculorum apertione confirmare voluisse Christum existimabimus, si non & vere credidissent, penes eum fuisse authoritativam restituendi visum potestatem, & de hoc sui actu eliciti certi fuissent?

Sic Marc. 9. 23. Christum exoravit Pater Dæmoniaci, ut sanaret filium; Jesus dixit ei, si potes hoc credere, Omnia possibilia sunt credenti; & continuò exclamans pater pueri cum lachrymis, aiebat, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam: Quorsum interrogat Christus patrem, an potuisset credere, si non potuisset Pater credere, nisi opinando, aut non potuisset Categorice respondisse, se credere, nec ne, absque ulla dubitatione? Aut quomodo potuit iste Pater Dæmoniaci categorice respondere, Credo, si non & vere eliciebat actum credendi, & de hoc suo actu elicito certus esset. Aut quomodo testimonium perhibere voluisse Christum existimabimus veritati fidei ejus, ejiciendo Dæmonem & puero illius, si non reipsâ verè credidisse, & de actu Credendi certus fuisset. Similia Exempla passim occurrunt in Evangelio: Ut Joan. 9. 38. Et Caput 11. ver. 27.

Hoc idem evincitur ex aliis Interrogatoriis quæ ex usu & praxi Ecclesiæ recepta sunt, & solebant olim proponi agonizantibus, quæ plane supponunt, posse infirmum certò, indubitatò, & absque omni formidine contrarii discernere & dignoscere, se hosce actus de quibus interrogat Sacerdos, elicere & exercere.

Anselmus Arch. Cantuariensis quasdam interrogationes parochis præscripsit, quæ filiis suis spiritualibus in extremis constitutis proponerent; inter ea hoc est novissimum, Credis, te non posse nisi per ipsius Christi mortem salvari?

Resp. Etiam: Age ergo (inquit D. Ansel.) Dum superest in te anima, in hac solùm morte fiduciam tuam constitue, in nullâ alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, totum confige, hac morte te totum involve; Et si Dominus Deus voluerit te judicare, Dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium, aliter tecum non contendo: Et si tibi dixerit, quia peccator es; Dic, Domine, mortem Domini nostri pono inter te & peccata mea: Et quæ sequuntur.

Frustra aut certe imprudenter proponerentur hæc Interrogatoria morituris, si ipsi non potuissent absque hæsitatione, certò, indubitatò, & absque formidine contrarii respondere, an tales actus exercêre, nec ne.

Frustra hortaretur Sacerdos, ut in sola morte Christi fiduciam constituerent, ut in nulla alia re fiduciam haberent, huic morti se totos committerent, hac solâ se totos contegerent, totos se immiscerent, se in hac morte totos configerent, hac morte se totos involverent: Frustra instruerentur ub objicerent mortem Domini nostri Jesu Christi inter se & judicia Dei, inter se & peccata sua; & simili-

ter in reliquis, inter se & mala merita sua, inter se & iram suam. Frustra (inquam) instruerentur, ut sic occurrerent his tentationibus, nisi absque formidine contrarii certo scirent, se potuisse in hunc modum objicere mortem Domini nostri Jesu Christi inter se & judicium Dei.

Ejusmodi Interrogatoria & plura habentur in Hortulo Animæ (Vid. p. 154.) quorum meminerit Mart. Eisingr. in Tractat. de Certitudine Gratiæ, p. 480, 481, 482. Meminit idem Author aliarum quæstionum quæ solebant proponi ægrotantibus, è Joan. Heroldo qui author fuit Serm. Discipul. Serm. 135. Supra 24. Dominicam post Trinitatem. Meminit etiam quæstionum similium è libello reperto in cœnobio quodam Ordinis Augustin. Cui nomen Rhamse. p. 484.

Ex Interrogatoriis etiam propositis Catechumenis, quibus interrogantur de fide, & an Articulis fidei assentiantur; Sponsori item & fidejussoribus, qui pro parvulis spondent in Baptismo, de abrenunciando Diabolo & operibus ejus, & inani pompæ & gloriæ hujus mundi, temerè proponerentur & ad ea assensus firmus temere exigeretur a sponsoribus nomine Infantum, nisi constiterit iis indubitatò se illis renunciaturos; temere etiam & imprudenter ab iis exigeret Ecclesia ut credant in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; & ut credant omnes articulos symboli Apostolici: Frustra etiam responsio illa redderetur: Hæc omnia firmiter Credo; si non nisi conjecturali certitudine hisce assentiri potuissent. Eunucho, cùm videret aquam in itinere, sciscitanti a Philippo, Act. 8. 37. Quid impedit quo minus baptizer? respondet Philippus, si credas toto corde potes baptizari. Resp. Eunuchus, Credo Jesum Christum esse Filium Dei; Frustra respondebat Philippus, si credas toto corde potes baptizari; frustra hanc conditionem (inquam) exigit Philippus, si non certo & absque formidine contrarii supponeret & Eunuchum scire potuisse & se credere & toto corde credere: Et ad sensum Philippi non recte responderet Eunuchus, nisi sciret certo, & se credere Jesum Christum esse Filium Dei, & toto corde credere.

Frustra ante absolutionem interrogat peccatorem Sacerdos, an vere & serio doleat de peccatis quæ confitetur, an ea detestetur, si non certo & absque omni formidine contrarii scire, experiri & sentire, se intus & in corde suo dolere de peccatis admissis: Hinc Roffensis adversus Lutherum Art. 14. Compellans Lutherum, Num aliquot opinaris peccatores qui ad Sacramentum absolutionis accedunt, cum vero dolore accedere? Num eos usque adeo stupidos arbitraris ut non sentiant an vere an sciè doleant? Quod si conscientia fuerit eis Judex, quod vere doleant; Cur (te quæso) respondere non licet, se vere dolere?

Similiter Mart. Eisingr. de certitudine gratiæ p. 349. Is qui vel sensu communi pollet, facile scire potest, quid velit aut non velit, quæ sibi placeant, & quæ displiceant, an velit se designasse, vel non designasse peccatum: Quis enim hominum scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? Inquit Apostolus, 1 Cor. 2. Et mox, Quid si quis pœnitentiam agens, scire non posset, pænitet ipsum nec ne, Cur ex veteri Ecclesiæ instituto, illum de hoc interrogabat Sacerdos? Nonne erit absurdum confitentem respondere debere duci se pænitentia si id ipsum scire non possit? Imo vero satis exactam ejus notitiam habere potest. Hæc ille. Vid. & Andr. Vegan. l. 9. c. 39. p. 201.

4. In iisdem Evangeliis legimus, Christum cum sanaret ægrotos, paralyticum Mat. 9. 2. Et profluvio sanguinis laborantem mulierem, ibid. ver. 22. simul remisisse eorum peccata, & jussisse iis, ut confidunt sibi remissa esse peccata: Confide (inquit Paralytico remissa sunt tibi peccata tua ver. 2. & alteri Mulieri, Confide Filia, fides tua te servavit. Non autem credibile est, Christum jubendo eos confidere peccata sibi remissa fore; occasionem dare voluisse iis aut temeritatis aut superbiæ, aut omnes privare eo quod aut utile aut meritum foret: Quæ Dominici Soto assertio fuit, ut Author historiæ Conc. Trident. refert. l. 2. p. 162. Edit. Lat.

5. Promissiones quæ passim occurrunt in Sacris Literis factæ credentibus in Deum & Christum, confidentibus, sperantibus in Deum, vere contritis, Deum sincerè diligentibus; & id genus pios actus elicientibus, & exercentibus infructuosæ plane essent, &

& inutiles quoad solatium fidelium sub Cruce laborantium, nec consolationem afferrent ullam, si non fideles certo & indubitato experiri potuissent, an vere & sincerè ejusmodi actus exercerent nec ne; sed res tota conjecturis & opinatione incertâ niteretur.

Joan. 3.16. Deus (inquit servator) sic dilexit mundum, ut dederit filium, ut quicunque crediderit. Act. 10.43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturos omnes qui credunt in eum inquit Sanctus Petrus Act. 16.30. Paulus & Silas promittunt Commentariensi tremefacto & procidenti ad pedes eorum, & serio sciscitanti ab iis; Quid me oportet facere ut salvus fiam, respondent illi, certe promissio illa salutaris parum solatii afferre potuit Commentariensi, si de actu Credendi in Jesum Christum certus esse non potuit, sed res tota conjecturis niteretur.

Quam tenues, exiles & frigidæ forent istæ magnificæ promissiones, si an credamus in Christum aliquando nemo fidelis certus esse potuit, sed res tota redigeretur ad nudas conjecturas, & incertas opinationes, quæ sæpe fallunt, & quibus sæpe subest falsum, & semper subesse potest.

Psalm. 7. 12. Adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde & 32. ult. Lætamini in Domino & exultate justi, & gloriamini Omnes recti corde.

Quomodo potest quis a Domino adjutorium expectare, & salutem, cui de cordis sui rectitudine constare non potest? Aut qualis erit hæc lætitia & exultatio justi, qualis etiam erit gloriatio eorum qui recti corde sunt, si de sui cordis rectitudine penduli & incerti plane essent.

Psal. 119. v. 10. In toto corde exquisivi te, ne errare facias me a Mandatis tuis: Nisi Propheta indubitatò certus fuisset de hoc actu exquirendi Deum toto corde, quomodo non temerarie hoc profitebatur, aut quomodo tam confidenter pronuntiare hoc ipsum non veritus est coram Deo? Promissiones dictæ ideo factæ sunt, ut firmam & solidam consolationem habeant, qui hasce conditiones præstiterint, & actus ejusmodi elicerent, & exercerent. Ipse enim finis promissionum Divinarum est, consolationem habeamus firmam; teste Apostolo, ad Heb. 6.18.

At nisi certi essemus certissimâ experientia nos hasce conditiones & hos actus præstare & elicere, nemo certus esse potuit de gratia Evangelicâ, & beneficiis in fœdere gratiæ promissis, qualia sunt Remissio peccatorum, Reconciliatio, & Adoptio, & id genus alia beneficia: Certitudo enim Collationis beneficiorum fœderis pendet ex certitudine experimentali præstationis conditionum fœderis, nec certus esse potest quis de collato beneficio promisso, nisi prius certioretur de conditione præstitâ.

Id ipsum pariter dici potest de horum actuum præceptione, non enim actus hi, credendi, confidendi, sperandi, diligendi, nobis præciperentur, nec contrarii prohiberentur, nisi nobis evidenter constaret, nos ejusmodi actus elicere posse, & elicere actu tùm cùm eliciuntur.

Non ad hosce actus eliciendos & exercendos hortarentur sacræ literæ, nec suaderent, nisi constaret nobis evidenter, & nos ejusmodi actus & elicere posse, & actu elicere tum cùm eliciuntur & exercentur. Dictæ promissiones factæ sunt fidelibus, ut excitentur & incitentur ad actus virtutis, ad pietatem & bona opera; ad alacriter ambulandum in viis Domini. Id ipsum dicendum de hortationibus & suasionibus quibus utuntur Sacræ Literæ ut adducamur ad ejusmodi actus eliciendos & producendos. At quomodo hisce promissionibus, præceptionibus, hortationibus excitabitur in animis fidelium fervor, Zelus, studium, alacritas ad hosce actus exercendos, ubi nemo certus esse potest indubitatò de actibus suis, an pii, boni, virtuosi fuerint, nisi certitudine morali, & non nisi conjecturali, quæ sæpe fallit, semper fallere potest.

Dubitabat Pyrrho & sectatores ejus Philosophi dicti Pyrrhonii, an quicquam plane viderent, an quicquam audirent nec ne unde σκεπτικοὶ Consideratores ἀπορρητικοὶ καὶ ἐφεκτικοὶ, dicebantur. Romanenses dubitant & dubitandum esse docent, an quisquam credat in Deum, an credat in Christum, an speret, an confidat, aut fiduciam in Deum vere collocet, an Deum sincere diligat, an in innocentia & integritate cordis

coram Deo ambulet, an toto corde exquiret Dominum, nec ne; de hisce actibus a se elicitis, neminem certum esse posse indubitato, sed certitudine tantum conjecturali, quæ licet forsan anxietatem excludat, non tamen omnem formidinem Contrarii.

Dices, non dubitare Romanenses de ipsis Actibus, an eliciantur, nec ne, sed de modo agendi, an eliciantur ut oportet?

Resp. 1. Nec Pyrrhonii, dubitabant de actibus videndi aut audiendi, sed an verè distinctè, certè, absque errore & hallucinatione, viderent & audirent, nec ne.

2. Utcunque alii nondum ad fidem conversi, sed in incredulitate permanentes, de hisce actibus & modo agendi dubitare possint; tamen fideles qui per gratiam Dei in ipsis operantem, hosce actus eliciunt, & motus & affectus pios in sese sentiunt, & experiuntur; norunt sese hosce actus elicere, & recto & sincero corde, absque fuco & fallaciis; hoc inquam, sufficit quoad modum agendi, ut actus præstentur vere & sincerè, non simulate; neque enim gradum tam exigit Deus, quàm rem, ut sincere præstentur hi actus.

6. Eadem certitudo inde evincitur, quod teneatur fidelis gratias agere ob acceptam remissionem peccatorum; Ergo certus esse potest, de Accepta remissione peccatorum.

Antecedens constat Exemplo Davidis, Ille Psal.103. sese excitat ad prædicationem beneficiorum Dei; Benedic (inquit) anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto ejus; Benedic anima mea Domino, & ne obliviscaris omnium munerum ejus, qui propitius est omni iniquitati tuæ, qui sanat omnes infirmitates tuas. Ineptissime certè Davides sese tam crebrò & tam confidenter excitaret ad celebrandum nomen ob acceptam remissionem peccatorum, si de hoc beneficio accepto non habuisset nisi conjecturalem certitudinem, vel si huic tam solenni Divini nominis prædicationi, aliquando potuit subesse falsum.

August. Conf.2. c.7. gratias etiam agit Deo pro remissione peccatorum: Diligam Te Domine (inquit) & gratias agam, & confitear nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala & nefaria opera mea; Gratiæ tuæ (inquit) deputo, & misericordiæ tuæ, quâ peccata mea tanquam glacie solvisti, gratiæ etiam tuæ deputo, quæcunque non feci mala Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ, Te Duce, non feci,] Certe, nunquam Augustinus gratias agere voluisset pro remissione peccatorum, si de accepta remissione peccatorum certus non fuisset; stultum siquidem est, & ridiculum de re incerta gratias agere.

Idem August. Serm.28. de verbis Domini. Omnia tibi peccata dimissa sunt; ideo præsume non de operatione tuâ, sed de Christi gratiâ; non ergo arrogantia est sed fides prædicare quod accipis, non est superbia sed devotio] Juxta Augustinum, prædicare remissionem peccatorum non est arrogantia fidelis, sed fides; non superbia, sed devotio.

Gratias etiam agunt fideles de donis Spiritus a Deo acceptis, de acceptis donis fidei, spei, Charitatis & id genus aliarum virtutum. At nunquam Deo nos gratos exhiberemus, nisi & sciamus & cognoscamus nos ejusmodi dona a Deo accepisse; accepisse nos ejusmodi dona non agnoscimus, nisi de donis acceptis certi esse possimus. Talis est enim nostra gratiarum actio, qualis est agnitio beneficii, nunquam autem ingenuè, & sincerè agnoscimus beneficium acceptum, nisi certò scimus nos illud accepisse: Quomodo enim potest quis sincerè agnoscere beneficium, de cujus acceptione non nisi conjectari & ariolari possit. Hinc Gregorius Moral.9.c.17. Si nescimus gratiam nos habere, gratias non agimus. Vid. Vegan. l.9.c.21. p.176. Apud Gregor. Moral.9.c.13. Sic plerunque, si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minime servamus, quis enim, aut de virtutis suæ conscientia non quantulum cunque superbiat? aut quis rursus bonum in se custodiat quod ignorat? sed contra utraque quid superest nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus; ut hæc & recta æstimemus & minima: quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis; & in tumorem non elevet æstimatio minorationis.] Piissimè hæc Gregorius: Vult tamen neminem bonum in se custodire quod ignorat; & ad custodiam bonorum sen-

sensificare animum scientiam rectitudinis: Vult ergo hominem pium non custodire bonum nisi quod scit se habere, & scientiam rectitudinis animum sensificare ad custodiam bonorum. Vid. Vegan l.9.c.34. p.190. B. 191.

Non immerito ergo Doctissimus Field inter Romanensium paradoxa hoc ipsum de Gratiæ incertitudine recensuit l.3. c. 45. de Ecclesia, ubi sic habet: Tertio docent Roman: Homines mortales non teneri gratias agere pro maximo omnium beneficio, quod Deus humano generi confert, imo gratias agere Deo pro hoc summo beneficio esse peccatum gravissimum: id quod vel inde (inquit) constat quod omnium beneficiorum quæ Deus hominibus concessit, longè maximum est illud justificationis & remissionis peccatorum: at pro hoc immenso beneficio, ex eorum hypothesibus, nemo Deo gratias potest agere, quia de hoc beneficio accepto nemini constare potest: nemini enim constat, an hoc beneficium à Deo acceperit, necne: neque audere posse aiunt quenquam se certiorare de hoc beneficio accepto absque intolerabili & inexcusabili præsumptione: Imo (inquit) nonnullos ex horum seductorum numero non puduit scriptis mandare, quemlibet fidelem teneri, dubitare an hoc beneficium acceperit, & quidem ejusmodi dubitatione quæ tremorem producit: unde & huc accommodant illud Apostoli ad Philip.2. Operamini salutem vestram cum timore & tremore.

Intellexit autem Dominicum à Soto, cujus est hæc assertio: Jam inquit ille qui Domino gratias ageret pro illo beneficio, quod an à Deo accipit nec ne, adeo dubius animi sit ut præ timore contremiscat; Deum proculdubio illuderet & ludificaret.] Hoc Doctiss. Feildus.

CAPUT XXVI.

Certitudo de remissione Peccatorum absque speciali revelatione, aliis rationibus evincitur.

7. HAnc certitudinem de remissione peccatorum evincunt illa loca quæ meminerunt fiduciæ vere fidelium, & aditus eorum ad Deum cum fiducia: hujus rei exemplum habemus in Psalmis Davidis, Psal. 25.2. Domine Deus meus in Te confido, non erubescam, & v.3. Etiam omnes expectantes te non afficientur pudore: & 72.1. In Te Domine speravi, non confundar in æternum: & 26. 1. Judica me Domine quoniam in integritate ambulavi, & in Domino sperans non vacillabo: & 30.1. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Ezekiæ Regi cum nuntiatum esset per Prophetam ut disponeret domui suæ quia moreretur, magna quadam fiducia Dominum, supplex ille rogavit; Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum coram te fecerim.]

Certum est Ezekiam, ex hoc conscientiæ suæ testimonio solidam spem certamque fiduciam concepisse de acceptatione sua in favorem Dei; alioqui tam audacter Deum ac Dominum suum non compellasset.

Neque fefellit eum hæc fiducia, unà enim cum ipsa oratione Deo cum primis fuit accepta; siquidem ipsa Divina Majestas clementissime illi respondit; audivi orationem tuam, vidi lacrymam tuam, & ecce sanavi te, 2 Reg.20. & Isaiæ 38. vid. Cath. in expurgat. p 322. & Vegan. l.9.c.46. p. 218,6.

De

De hac audacia fidelium & aditu ad Deum cum fiducia agit Apostolus Rom.5.1. justificati per fidem habemus pacem erga Deum per Christum——per quem habemus accessum fide in gratiam illam in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei.]

Justificati per fidem à peccatis habemus per Christum προσαγωγὴν τῇ πίστει aditum & accessum ad Deum per fidem.

Et ad Ephes. 2. 18. Per ipsum [Christum] habemus τὴν προσαγωγὴν per unum spiritum ad Patrem, utpote jam facti concives sanctorum & Domestici Dei] habemus autem hanc προσαγωγὴν ad Patrem ex certitudine quam habemus de remissione peccatorum, & acceptatione ad vitam æternam.

Et ad Ephes.3.12. In eo (Christo) habemus παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, libertatem & accessum cum fiducia per fidem ipsius.] vid. sup.c. 9.

Ad Hebr.10.19. Habemus libertatem seu fiduciam παῤῥησίαν] ingrediendi sacrarum per sanguinem Jesu, quam initiavit nobis viam novam & viventem per carnem suam: & v. 22. Accedamus ergo corde ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, in persuasione fidei, aspersi corde à conscientia mala.]

Hic aperte docet Apostolus nos fiduciam habere de nostra ad vitam æternam acceptatione per sanguinem Jesu, per fidem in sanguinem Christi.

1 Joan. 3. 21. Charissimi, si cor nostrum non condemnet nos παῤῥησίαν fiduciam habemus apud Deum] (.i.) fiduciam habemus adeundi Deum, & ad Deum accedendi, utpote adeptâ jam peccatorum remissione, & acceptatione ad vitam æternam apud Deum.

Ex hisce locis sic argumentamur:

Audacia, παῤῥησία, προσαγωγὴ ἐν πεποιθήσει, προσαγωγὴ τῇ πίστει, πληροφορία τῆς πίστεως, sunt fructus certitudinis non nudè conjecturalis, sed summe infallibilis ergo.

Cum in omnibus vere fidelibus reperiantur hi effectus, etiam reperitur certitudo infallibilis de remissione peccatorum.

Objicit Bellarm. lib.3. de Justificat. c.9. argum.12. Certitudo hæc infallibilis quæ operatur audaciam non est de justitia nostra, sed de veritate mysteriorum fidei, quatenus certissimi sumus ex fide Catholicâ, Christum pro nobis natum, passum, mortuum esse, & eundem resurrexisse & ascendisse in cœlum, & nunc astare vultui Dei pro nobis, inde nos tanto intercessore freti, audemus confidenter accedere ad thronum gratiæ, & sperare a Deo indulgentiam, justificationem, sanctificationem & alia id genus beneficia.

Sol. Resp. Licet constet, in genere Christum pro omnibus mortuum, hinc tamen non aliud efficitur quam humano generi, morte Christi partam esse reconciliationis possibilitatem; hæc tamen impetrata Reconciliatio nemini in particulari prodest, neminique applicatur nisi mediante fide in Christo. Neque absque certitudine hujus fidei reperitur aliquando in vere credentibus hæc audacia & παῤῥησία de qua jam agitur: Certitudo autem de veritate mysteriorum Nativitatis, passionis, Mortis Christi &c. ostendit possibilitatem reconciliationis, & gignit spem veniæ adipiscendæ: At loci citati è sacris Literis loquuntur de audicia supponente reconciliationem adeptam, non spem adipiscendæ reconciliationis. Sic ad Eph.2.18. Utrique per ipsum [Christum] habemus aditum per unum spiritum ad Patrem] Ad Deum scil. & Patrem. Sic ad Ephes.3.12. In Christo habemus παῤῥησίαν libertatem & accessum cum fiducia per fidem ipsius.] Nascitur ergo hæc παῤῥησία ex fide in Christo ejusque certitudine. Sic Rom.5.1,2.3. Sic 2 Joan.3.21. Heb.10.19. Huc facit illud Christi Joan.14.6. Ego sum Via, Nemo venit ad Patrem nisi per me: Reconciliamur autem Deo, non credendo Christum esse passum mortuum, sed credendo in Christum passum mortuum. (.i.) applicando nobis Christum & ejus merita & satisfactionem; fit autem hæc applicatio recumbendo in mortem & merita ejus, & fiduciam in istis reponendo ob remissionem peccatorum. Sic Apostolo Rom.3.25. Quam [Christum] Deus proposuit propitiationem per fidem in sanguine ejus. Atque hæc de 7. Ratione.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Hoc ipsum evincitur ex testimonio bonæ Conscientiæ.

8 Efficax argum. pro indubitata certitudine de remissione peccatorum colligit fidelis ex testimonio bonæ Conscientiæ: Conscientia siquidem vere fidelis qui totus recumbit in Christum Redemptorem & ejus merita & satisfactionem ob remissionem peccatorum, ei certum & fidele testimonium perhibere solet de remissione peccatorum & acceptatione in favorem Dei, Conscientia siquidem perhibet testimonium ordinarie omnium actuum qui cadunt sub hominis notitia. Conscientia testatur de actibus nostris omnibus tam internis quam externis. Experior certo me videre, audire, gustare, imaginari, reminisci; intelligere item, deliberare, judicare, velle item, amare & odisse, timere, gaudere, sperare, confidere; Et certitudo de hisce actibus elicitis non solùm ordinarie excludit omnem anxietatem, sed & omnem formidinem contrarii, testibus omnium hominum sensu & experientiâ.

Hæc nunquam otiatur, nunquam conticescit; Ubicunque criminosum aliquid de homine compertum habet, etiamsi extrinsecus coram hominibus inficietur & pernegetur, omnibusque viribus occultare illud ac premere contendat, intrinsecus tamen convincitur a conscientia: Hæc enim accusat, remordet, jugiter excarnificat, &--- surdo verbere cædit (ut ait Poeta) Nec pacem, nec tranquillitatem illi permittens, quocunque demum modo rem instituat.

Ex adverso, Si nullius hæc Criminis, sed omnis boni & honesti sit sibi conscia, neque hæc otiosa est, nec silet aut dormitat, sed hominis mentem mirâ quadam serenitate ac lætitia perfundit & exhilarat, usque adeo, ut etiamsi cuncta in hominis perniciem conspirare videantur, omnesque eum patrati sceleris insimulent, nihilominus animo sereno sit & impavido; talis (inquam) est hospes & internus & domesticus testis conscientia.

Hinc Cicero in Orat. pro Milone; Magnam vim habet Conscientia in utramque partem, ut semper pœnam ante occulos versari putent qui peccaverint, & nihil timeant qui nihil admiserint; unde & Lyricus Poeta,

——— Hic Murus ahæneus esto
Nil Conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Cæterum, omissis Ethnicis Divinas Scripturas audiamus. Paulus ad Corinth. 2 c. 1. v. Gloria nostra hæc est Testimonium Conscientiæ nostræ] Quasi doceret; Quid alii de nobis dicant aut judicent, non usque adeo nos sollicitat, quandoquidem bonæ Conscientiæ testimonium habeamus. Nisi Paulus ex testimonio illuminatæ & bene exploratæ Conscientiæ animi sui pacem ac tranquillitatem imò & gloriam quandam lætabundus hausisset, quomodo eam in testem adducere quomodo ad eam provocare atque hunc in modum de ea gloriari potuisset? Etiam tanquam in conspectu Dei, quod in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo abundantius autem ad vos.]

Quomodo gloriari potuit Paulus de conversatione suâ inter Corinthios in simplicitate ac sinceritate Dei, si non certum & indubitatum testimonium perhibuisset Conscientia de hac sua simplici & sincera conversatione, etiam tanquam in conspectu Dei, ac quomodo inanis non potius hæc fuisset jactantia, si gloriationi huic potuit subesse falsum?

Au-

Augustinus vult hanc gloriationem Pauli inde ortam, quod noverit fidem suam fuisse sinceram, & spem suam fuisse certam, & charitatem suam esse sine simulatione] in Psal. 149. Col. 1745 Augustinus supponit omnes pios posse cognoscere fidei sinceritatem, spei certitudinem, & charitatem esse sine simulatione; etiam absque omni formidine contrarii, teste gloriatione.

Idem August. lib. advers. Secundinum Manich. c. 1. senti (inquit) de Augustino quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accusat.] Nimirum contentus fuit Vir sanctus sola conscientiæ suæ rectitudine; compertam ergo habuit Conscientiæ suæ rectitudinem.

Ambrosius in Psal. 118. Serm. 7. Memor fui judiciorum tuorum, &c. Qui bene (inquit) sibi conscius est, non turbatur, dicens; Hæredes sumus Dei, Cohæredes Christi.

Et Mox—— Videmus (inquit) in hoc sæculo Innocentes lætos ad judicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare judicii, &c.] Hoc certe non dicere nec facere possent, nisi bonæ & a Deo illuminatæ ac diligenter examinatæ Conscientiæ testimonium a pusillanimitate liberaret, & fiduciam sacram adduceret.

Idem August. Tract. 5. in Epist. Joan, 1. Nemo interroget (inquit) hominem, redeat Unusque ad Cor suum quis, si ibi invenerit fraternam charitatem, securus sit, quia transiit a morte ad vitam] Ubi Augustinus supponit, posse unumquemque dignoscere redeundo ad Cor suum, an ibi invenerit Charitatem fraternam nec ne. Et Tractat. 6. Si vis nosse quia accepisti Spiritum Sanctum, interroga Cor tuum,—— Si est ibi dilectio fratris, securus esto] Ex sententia ergo Augustini potest quis nosse, an accepit Sp. Sanctum, idque interrogando Cor suum, an sit ibi dilectio fratris; & tum demum securus esse potest: Potest ergo quis consulendo conscientiam, pro comperto habere, an sit ibi dilectio fratris; & quidem eâ certitudine quæ securitatem parere possit, & omnem formidinem excludat.

Et de Trin. lib. 8. c. 8. Qui diligit fratrem, magis novit dilectionem quam fratrem quem diligit] At juxta Joan. qui diligit fratrem non manet in morte; Ergo qui diligit fratrem, evidentissimè juxta Augustinum, scit se esse justum, saltem scientiâ Theologicâ, ex una propositione de fide, altera evidenti, qualis est illa, Diligo dilectionem; vel Diligo fratrem.

Obj. Suarez de Grat. lib. 9. c. 10. n. 18. Augustinum solum dicere, eum qui diligit Deum aut proximum, evidenter nôsse, se diligere & amare ipsam dilectionem qua diligit: hoc tamen non satis esse, ut certò judicet se esse justum, quia non evidenter cognoscit qualis sit illa dilectio, neque an sit, sicut oportet, ut vel ad justitiam proximè disponat, vel ut sit proprius justitiæ fructus.

Sol. At Augustinus ait, Qui diliget fratrem, magis novit dilectionem quàm fratrem quem diligit. At qui diligit fratrem, evidentissimè novit fratrem, Ergo & evidentissimè novit, juxta Augustinum, dilectionem suam. (.i.) Et Actum & veritatem & sinceritatem actus dilectionis: omnis autem vera & sincera dilectio fratris, est talis dilectio qualis oportet: Satis enim est si de sinceritate & veritate dilectionis constiterit, ut non sit fucata aut simulata: Gradus enim certus non requiritur, saltem non summus, sufficit ut sit infimus, modo sincerus, ut diligamus prout oportet, sic actus diligendi sit proportionalis dono infuso, & diligamus pro Viribus.

Idem Augustin. super Psal. 149. Est quidam (inquit) gloriandi modus in conscientia, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris spem tuam esse certam, noveris Charitatem tuam esse sine simulatione.] Quem locum allegans Catharin. in Expurg. contra Sotum p. 240. Agnosce (inquit) compellans Sotum, quod nosse possemus, & de hoc etiam gloriari, non solum fidem sed etiam spem & charitatem unâ eâdemque notitia fidei. Hæc ille, Addo Ego, Posse fidelem in Conscientia gloriari; (juxta Augustinum) de fidei & charitatis sinceritate ac Spei certitudine, quæ gloriatio minime fallit.

Hisce accedat illustre Testimonium Bernardi, de consolatione & testimonio Conscientiæ, lib. de interior. domo. c. 22. Conscientia bona (inquit) titulus est Religionis; Templum Solomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, area fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, Tabernaculum

Sp.

Sp. ſancti liber ſignatus & clauſus, & in die judicii aperiendus: nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius conſcientiâ bonâ: premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, & illa erit ſecura; Bona Conſcientia ſecura erit, cum corpus morietur; ſecura, cum anima coram Deo præſentabitur; ſecura, cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum juſti judicis ſtatuetur: Futuræ beatitudinis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium bonâ conſcientiâ; cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, nunquam marceſcet conſcientia bona: Subjiciatur corpus in pœnâ, in jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis ſupplicio affligatur, & ſecura erit conſcientia.] Hactenus Bernardus: En inſignia bonæ conſcientiæ Elogia!

Ex dictis ſic conficitur argumentum.

Conſcientia verè fidelis indubitato dictat fideli ſe abrenuntiatâ omni fiduciâ in ſuis actibus & operibus, ſeſe totum conjicere, ſe totum recumbere, totam ſuam fiduciam collocare in Chriſtum Redemptorem, & ejus merita & ſatisfactionem, ob remiſſionem peccatorum, abſque ullâ formidine contrarii,

Ergo

Conſcientia verè fidelis certum, indubitatum & fidele teſtimonium perhibere poteſt & ſolet de remiſſione peccatorum abſque omni formidine contrarii.

Conſequentia patet, quia ſi conſcientia fidelis indubitatò & certò dictet fideli; ſe totam ſuam fiduciam collocare in Chriſtum Redemptorem & ejus ſatisfactionem ob remiſſionem peccatorum abſque formidine contrarii; tum indubitatò poteſt inferre fidelis abſque formidine contrarii, peccata ſibi eſſe remiſſa, ex tenore fœderis & promiſſione divinâ.

Antecedens probatur, quia conſcientia fidelis verè & indubitatò judicare poteſt, an totam fiduciam collocet in Chriſtum & ejus ſatisfactionem ob remiſſionem peccatorum: & probatur ex omnibus ſcripturæ teſtimoniis citatis p. 102, 103. ſupra. Conſcientia teſtatur de actu elicito affectus fiduciæ & de ſinceritate actus abſque omni formidine contrarii; quomodo teſtatur de actu aſſenſus. Act. 8. 37. ſupra p. 109.

Atque hæc de octava ratione.

CAPUT XXVIII.

Ubi eadem certitudo deducitur ex ſpiritu adoptionis in verè fidelibus.

9. Ratio deducitur ex teſtimonio ſp. ſancti ad Roman. 8. 15, 16. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore εἰς φόβον ad metum; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba (.i.) Pater: qui ipſe ſpiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei.] Et ad Galat. 4. Miſit Deus filium—factum legi obnoxium ut eos qui ſub lege erant redimeret ut adoptionem filiorum reciperemus: quoniam autem eſtis filii, emiſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba (.i.) Pater. Hinc argumentamur, ſpiritus ſanctus teſtimonium perhibet fidelibus ſe eſſe filios Dei,

Ergo

Fidelis certo novit ſibi eſſe peccata remiſſa.

Conſequentia patet quia quibus ſpiritus ſanctus teſtimonium perhibet de ſua adoptione ii nôrunt ſuam adoptionem ac proinde peccata ſua eſſe remiſſa: ſtultum enim eſſet exiſtimare ſpiritum ſanctum liquidum & certum teſtimonium perhibere

alicui de re aliquâ, quem tamen noluit hoc ejus testimonium certò cognoscere.

Anteced. probatur, Rom. 8. 16. & Galat. 4. Testatur spiritus sanctus spiritui nostro nos esse filios Dei, quatenus testatur nos veram fidem habere, adeoque esse filios. Gal. 3.26. Omnes estis filii Dei per fidem in Christo Jesu. Joan. 1. 12. Quotquot eum receperunt, dedit iis ἐξουσίαν hanc dignitatem ut filii Dei fierent, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Ephes. 1. 14. Obsignati estis spiritu postquam credidistis qui est arrhabo hæreditatis nostræ.

Huc facit illud Bernardi. Quis scit, si est dignus amore, an odio? quis novit sensum Domini? Hîc fidem nobis subvenire necesse est, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius spiritum reveletur, & spiritus ejus testificans persuadeat spiritui nostro, quod filii Dei sumus.

Objicit Bellarm. spiritum sanctum attestari spiritui nostro quod simus filii Dei, sed hoc testimonium non esse per verbum aliquod expressum (.i.) per revelationem sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignit certitudinem nisi conjecturalem lib. 3. de justif. c. 9.

Sol. 1. Apostolus diserte ait spiritum sanctum testimonium perhibere spiritui nostro (.i.) menti, intellectui & conscientiæ nostræ, nos esse filios Dei: si autem spiritus sanctus perhibeat testimonium, utique testimonium perhibet verax, cum sit spiritus veritatis: absit autem ut spiritus veritatis, qui à Patre emanat: Joan. 15.26. Et qui ducit in omnem veritatem: Joan. 16. 13. testimonium perhibeat aut falsum, aut incertum, aut dubium; aut merè conjecturale & non nisi opinativum, seu opinionem gignens. Origenes in locum, ipse spiritus testimonium perhibet.] Ipse spiritus adoptionis per quem in filium quis adoptatur, reddit testimonium & confirmat spiritum nostrum, quod sumus filii Dei, posteaquam à spiritu servitutis in adoptionis spiritum venerimus, cum jam nihil inest timoris (.i.) nihil propter pœnam gerimus, sed propter amorem Patris cuncta perficimus.] Supponit Origines, filio adoptato nihil timoris inesse, anxii scilicet; testimonium ergo spiritus sancti fidelibus adeo ἀξιόπιστον est, ut excludat omnem formidinem contrarii, juxta Originem. Horsum facit illud Chrysostomi, ὅταν γὰρ (inquit ille in locum) τὸ πνεῦμα μαρτυρῇ, ποία λοιπὸν ἀμφιβολία; cum spiritus testatur, quæ tandem restat ambiguitas? Nam si vel homo, vel Angelus vel Archangelus, vel alia hujusmodi potestas hoc polliceretur, par conveniensque esset nonnullos hæsitare: quum autem summa essentia, & ea quidem, quæ hoc largita sit donum, etiam per eos quos preces fundere jussit, nobis testimonium afferet, quis tandem de dignitate [hujus scilicet testimonii] ambiget? Homil. 14. in Epist. ad Roman. Nam ut idem Chrysost. in Joan. 15.26. loquens de spiritu sancto, ἐκεῖνος ἀξιόπιστος ἔσται· πνεῦμα γάρ ἀληθείας ἐστί. Ille dignus fide erit, veritatis enim spiritus est: Propterea non spiritum sanctum, sed veritatis appellavit. Hom. 26. in Joan.] Theophylactus item in Joan. 15.26. Spiritus—— fidelis testis erit, est enim spiritus veritatis. Igitur spiritus veritatis vera testificabitur. Nam à Patre procedit, & omnia clarè novit. Est enim ex eo, à quo omnium scientia.]

Quis ergo testimonium ejus audeat dicere, non gignere nisi certitudinem conjecturalem? Cum clarè novit omnia: clarè testatur.

2. Non quæritur de modo testandi, quo nos ducit Bellarminus, sed de fide & certitudine testimonii; certum est sp. sanct. juxta Apost. συμμαρτυρεῖν testimonium perhibere spiritui nostro (.i.) menti, conscientiæ, intellectui nostro nos esse filios Dei. Et hoc testimonium verum esse quis audeat ambigere? certè hac de re dubitare parum, distat à blasphemia. Cum spiritus sanctus sit spiritus veritatis.

3. Cum dicat Bellarminus spiritum sanctum attestari spiritui nostro non per revelationem, sed per experimentum cujusdam suavitatis, quæ non gignit nisi certitudinem conjecturalem.

Respon. duo. 1. Aliud est cognoscere aliquid per aliquam specialem & extraordinariam revelationem, aliud per spiritus sancti ordinariam inspirationem mediantibus verbo & Sacramentis & exercitiis fidei & pœnitentiæ, in quibus

sunt

ſunt preces fidelium. Nos non contendimus verè fideles de remiſſione peccatorum certos eſſe per revelationem, immediatam ſpecialem & extraordinariam: ſed per ejuſdem Spiritus inſpirationem ordinariam, mediantibus verbo & ſacramentis & exercitiis fidei & pœnitentiæ in quibus ſunt fidelium preces; abſolutione item ſacerdotis dubiæ conſcientiæ ſuccurrentis, & id genus mediis. Solet enim Spiritus Sanctus per hæc media ordinaria inſpirare, auxilia gratiæ, actus, motus, & operationes ſanctas, intellectui, voluntati & affectibus, quæ homo fidelis experimentaliter ſentit & dignoſcit, quæque certum præbent teſtimonium de eorum adoptione & filiatione.

Anſelm. in locum, Ipſe ſpiritus divinus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, (.i.) recognoſcere & intelligere facit ſpiritum noſtrum, quia ſumus filii Dei & iterum, Spiritus Dei dum facit nos bene agere teſtatur quoniam filii Dei ſumus.

Idem Anſelmus alibi, Spiritus Sanctus mentem quam replet, illuminat. Cajetanus in 1 Cor.2. Ecce effectus Spiritus quem accepimus, non impetus, non furor, non ecſtaſis neſcientium quid patiantur aut agant, ſed ut ſciamus; Non dicit ut credamus, quia ſpiritus-ſanctus infuſus Apoſtolis cauſavit in illis notitiam certam donorum Dei in iiſdem.

Sicut enim Jeremias certam habebat notitiam quod Deus miſiſſet eum, affirmans in veritate, miſit me Dominus; ita Apoſtoli certam habebant notitiam quòd fides, ſpes, & charitas, & alia dona gratis data eis erant à Deo.

2. Cum dicit Bellarminus, Spiritum ſanctum atteſtari ſpiritui noſtro per experimentum cujuſdam ſuavitatis, certum eſt hoc experimentum ſuavitatis non eſſe fallax, dubium, incertum, aut nudè conjecturale; ſed verum, certum, indubitatum, & omnem non ſolum excludens anxietatem ſed & formidinem contrarii. Abſit ut experimentum ſuavitatis quam ſentimus indente ſpiritu ſancto, ſit aut fallax aliquando aut merè conjecturalis, non autem ſincera & veri nominis ſuavitas. Spiritus enim ſanctus cum ſit ſpiritus veritatis, non indit ſuavitatem quæ aliquando aut fallit aut fallere poteſt guſtum verè fidelis.

Ubicunque ſpiritus ſanctus atteſtatur ſpiritui noſtro per experimentum de alicujus rei veritate, implicat dicere, illud experimentum non gignere certitudinem ultra conjecturalem.

Cum experimentum illud proficiſcatur à ſpiritu veritatis atque adeo à ſumma veritate, quæ fallere aut mentiri non poteſt, imò nec nudam certitudinem conjecturalem gignere in mente aut intellectu ejus cui teſtimonium perhibet, ſed indubitatam & infallibilem, cui non ſubeſt aliquando falſum.

Ambroſius lib. 5. Epiſt. 22. ad Horontianum explicans quid ſit adoptio filiorum. Qui ſpiritu, inquit Apoſtolus, facta carnis mortificat, vivet. Nec mirum ſi vivat, cum filius Dei fiat, qui habet ſpiritum Dei. Adeo filius Dei ut non accipiat ſpiritum ſervitutis, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, eo uſque ut teſtimonium ſpiritui noſtro ſanctus ſpiritus reddat quod ſumus filii Dei.

Teſtimonium autem hoc eſt ſpiritus ſancti, quod ipſe eſt qui clamat in cordibus noſtris, Abba Pater, ſicut ad Galatas ſcriptum eſt.]

Ergo juxta Ambroſium ſpiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro(.i.) ſingulorum fidelium de ſua adoptione.

Ex hoc loco colligit Catharinus, ſpiritum ſanctum utrumque efficere, hoc eſt, & teſtari & ſe eſſe teſtem oſtendere. Diſcept. prima p. 13. & M. Eiſingrein. ait cap. 9. prope finem, ex dictis hic Ambroſii colligi, duo teſtificari ſpiritum in homine, primum quod ipſe ſit qui teſtimonium præbeat, deinde quod filii Dei ſumus, p. 564.

Cajet. in Ro.8.15 in verba, In quo clamamus, Abba Pater, non dicit in quo dicimus, (quod commune eſt omnibus Chriſtianis) ſed in quo clamamus, magnitudine affectus, quod eſt proprium verè filiorum, ut ex hoc quod clamamus (hoc eſt affectu magno profitemur) in ſpiritu ſancto, Pater, Pater, ſignum habere cognoſcamus internum, quod accepimus ſpiritum adoptionis.

Nam ſi non eſſet adoptionis ſpiritus non inſpiraret nobis tam confidenter ap-

appellare Deum Patrem; Et geminatur Patris nomen ad significandum firmitatem ac rectitudinem fiduciæ.] Ecce non certitudinem conjecturalem, sed firmitatem ac certitudinem fiduciæ denotari, ex eo quod clamamus, Abba Pater. Et iterum ipse enim spiritus] supple sanctus habitans in nobis. Testimonium reddit, pro contestatur, Spiritui nostro quod sumus Filii Dei. Ecce ratio clamoris, hoc est, magnæ confidentiæ recognoscendi Deum ut Patrem.

Et rursus ibid. Adverte quòd in textu Græco non est directè illemet sensus quem Latinus interpres sonat. Græcus sonat duos contestes (scilicet Spiritum Sanctum & Spiritum nostrum) de eadem re; scilicet quòd sumus filii Dei. Latinus autem unum testem (scilicet Spiritum Sanctum testificantem non nobis, sed spiritui nostro quod sumus filii Dei. Et quamvis utrumque sit verum & in idem redeat; quia tamen Paulus Græcè scripsit, ille est literalis sensus quem Græcus textus sonat: Sc. quod Spiritus Sanctus contestis est spiritui nostro, ambobus testificantibus nobis quod sumus filii Dei. Testimonium hoc quod spiritus sanctus reddit simul cum spiritu nostro de hoc quòd sumus filii Dei, internum esse significatur ex eo quòd ab utroque interno spiritu perhibetur, non aliis sed nobis-ipsis. Et quoniam testimonium hoc non est de possibili, sed de facto (hoc est, non est de hoc scilicet quod possumus esse filii Dei, sed est de hoc quod filii Dei sumus) ideo donum speciale est; Nam testimonium quòd possimus esse filii Dei, inter testimonia communia filii comprehenditur: Testimonium autem quòd ego sum filius Dei, speciale donum est. Et quoniam nullius testimonii effectus est videre, seu scire rem testificatam, sed credere (non enim inducitur testimonium, sed lumen aut ratio evidentiam faciens ad hoc ut videatur, sciatur res, sed testimonium inducitur ad hoc ut credatur res testificata, ad hoc ut videatur esse credendum sic esse quod testificatur) ideo ex hoc testimonio Sp. Sancti & nostri quod sumus filii Dei, non intelligas me videre aut scire, sed credere quòd sum filius Dei, sed videre esse mihi credendum quod sum filius Dei.] Hæc Cajetanus,

Ubi 1. Rectè notat, sive dicamus Sp. Sanctum simplex testimonium perhibere conscientiæ nostræ de nostra adoptione, sive dicamus Sp. Sanctum esse contestem cum spiritu nostro de eadem nostra adoptione, quomodo Græcus contextus sonat, utrumque verum est & eodem redit, cum de utriusque testimonii veritate & rectitudine dubitare fas non sit.

2. Notat hoc Testimonium esse internum, quippe non aliis, sed nobis-ipsis, esse

3. Item speciale donum;

Et 4. Hujus testimonii effectum non esse me videre aut scire, sed credere quod sum filius Dei, & videre mihi credendum esse quod sum filius Dei. Non ergo juxta Cajetanum rectitudo de nostra adoptione nititur nudis conjecturis aut opinione incerta; sed fide & quidem fide speciali, quâ assentior Sp. Sancti testimonio perhibente testimonium Spiritui meo, me esse filium Dei.

Cornelius a Lapide in Rom. 8.26. agnoscit Catharinum & Cajetanum fateri testimonium Sp. Sancti, testari nos esse filios Dei, certitudine infallibili licet non certitudine fidei. At Cajetanus in locum ait fidelem certum esse posse de adoptione, certitudine fidei. Idipsum etiam Catharinus.

Addit ibid. Cajetanus. Media quibus utitur Sp. Sanctus, quæ assumit Sp. Sanctus simul cum nostro in testimonium quod sumus filii Dei, sunt regulariter duo. Alterum est, amor Dei promptus ad obsequendum Sp. Sancto, quem efficit Sp. Sanctus in iis qui Spiritu Dei aguntur, alioquin non agerentur Spiritu Dei, nisi forsan ad momentum. Alterum est experta continuatio Divinæ gubernationis, custodiendo à damnabilibus, illustrando, inspirando, excitando, movendo, fovendo & hujusmodi. Nam cum experimur tam promptè nos diligere Deum, & tali tantaque cura gubernari à Deo, testimonium à Sp. Sancto habemus sufficientissimum ad hoc ut credamus quod sumus filii Dei, nam ex hoc testimonio clarè videmus credendum nobis esse quod sumus filii Dei.]

Hæc omnia Cajetanus in testimonium illud præclarum Apostoli, Rom. 8. Ubi variis modis asserit, ex Apostolo, testimonii Sp. Sancti de nostra adoptione certitudinem, & quidem ex fide speciali, quæ apertissimè pugnant cum nuda conjecturali certitudine Bellarmini & Romanensium.

Corne-

Cornelius à Lapide respondet testimonium hoc sp. sancti in se quidem certum esse; nobis tamen non esse certum, quia non sumus certi omnino illud esse a spiritu sancto, non autem a diabolo unde, 1 Joan. 4. 1. dicitur, probate spiritus si ex Deo sint an à Diabolo, an à natura & φιλαυτίας experientia enim quotidiana docet plurimos hic falli.

Sol. Ubi sp. sanctus attestatur nostro spiritui de adoptione nostra quod sumus filii, ibi necesse est ut intelligamus agi de testimonio, non quà in se rectum est, sed quà nobis certum est; nam attestatur spiritui nostro (*.i.*) nobis, personæ scilicet cui testimonium perhibetur, de sua adoptione. Spiritus sanctus enim ubi testimonium perhibet alicui de re aliqua, ipsius personæ conscientiam & intellectum certum facit de re testata. Spiritus sancti testimonium adeo certum est & efficiax, ut efficiat omnem metum & formidinem de nostra adoptione facessere è medio, ut planè de eadem certioremur. Tantum abest ut nos non certi sumus an testimonium quod adhibetur, a spiritu sancto, sit; an à Diabolo sit, an à natura & φιλαυτία. Ideo sp. sanctus perhibet testimonium, ut fidem faciat, ut certum reddat de re testata illum, cui testimonium perhibet. Parum autem abest à blasphemia dicere, non esse certum illum cui testimonium perhibet sp. sanctus utrum testimonium illud, à spiritu sancto sit, an a Diabolo & φιλαυτία. Qui dicit sp. sanctum testificari & tamen non vult hominem nosse quod ipse sit qui testificatur, non aliud dicit; quàm sp. sanctum testari, & tamen non velle fidem haberi suo testimonio, hoc autem perinde est ac si dixerim, testatur & non testatur, cum de sui testimonii fide neminem certum faciat ut rectè infert Catharinus in expurgatione adversus Sotum, p. 212. cum ad hoc indueatur testimonium ut fidem faciat, ut certioretur ille cui perhibetur testimonium.

Estius in locum aliter respondet, Paulum non dicere quòd Sp. Sanctus testimonium hoc reddat Spiritui meo vel tuo; sed Spiritui nostro: aut certè nobis unà cum Spiritu nostro juxta Græcorum expositionem. Loquitur enim (inquit) in personis justorum (*.i.*) eorum qui verè filii Dei sunt; quibus Sp. Sanctus perhibet testimonium, non tamen cuique de se planè certum: sed tantum probabile quod sint filii Dei, probabile inquam ex indiciis & conjecturis.

Sol. Resp. Cum dicit Apostolus Sp. Sanctum testimonium reddere spiritui nostro loquens in persona justorum, loquitur in persona omnium & singulorum verè justorum: Spiritus Sanctus ergo reddit hoc testimonium singulis verè justis qui in filios Dei co-optantur, & quidem cuique de sua adoptione testimonium planè certum, non tantùm ex indiciis & conjecturis probabile. Absit ut Spiritus Sanctus testimonium reddat cuique de sua adoptione, & tamen testimonium de se non planè verum sit, cum Spiritus sit veritatis. Absit ut ejus testimonium indiciis & conjecturis probabilibus, tantum nitatur; & non iis indiciis quæ planè sunt τεκμηριώδη, Et indubitatam fidem faciant. Absit ut testimonio quod proficiscitur a summa veritate aliquando subesse possit falsum. Quantò rectiùs Chrysostomus, & ex eo, Oecumenius, Ubi Sp. Sanctus testatur ποία λοιπὸν ἀμφιβολία; quæ tandem restat ambiguitas?

2. Respondet Estius in locum. Ipsis justis singulis testimonium illud Spiritus Sancti non est pro certo cognitum, quia non possunt illud certò discernere à conjecturis fallacibus. Quo fit ut nec quisque eorum de se certus sit, se esse justum & Dei filium.

Sol. Dicere testimonium quod Sp. Sanctus perhibet alicui justo de sua justitia & adoptione non esse pro certo cognitum justo, est testimonii Spiritus fidem non parum elevare, & testimonium tribuere Spiritui sancto, planè indignum Sp. Sancto. Siquidem Sp. Sanctus est spiritus veritatis, est item paracletus seu spiritus consolationis, qui solatur fideles, est item testis omni exceptione major; quomodo ergo dici potest testimonium ejus de verè fidelium adoptione, esse aut falsum, aut incertum, aut non pro recto cognitum justo, cum ad hoc testimonium perhibet, ut certioremur de rei testatæ veritate, ut quisque de sua scilicet justitia, atque adeo de adoptione certus reddatur, ut ex hoc testimonio solidam & suavem consolationem percipiat. Apud Juris consultos recepta est regula, idem est non esse & non apparere: sic perinde esset quoad consolationem fidelium, Sp. Sanctum non testari de eorum adoptione, & non item liquidò de eadem testari, sed rem in dubio relinquere. Hoc enim non esset conso-

consolationem præbere; sed revera anxietatem fidelium augere & eorum spiritum contristare. Porro Apostolus disertè ait, ipsos fideles non accepisse spiritum servitutis in timore, sed accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus, Abba Pater.

Tantum ergo abest ut testimonium spiritus sancti non sit pro certo cognitum verè filiis, aut eos non certò discernere sp. sancti testimonium à conjecturis fallacibus; ut non tantùm facessat ab iis omnis anxietas, incertitudo & dubitatio, sed & timor de statu suo, ut spiritus adoptionis clamet in cordibus eorum, Abba Pater, ex magnitudine affectus quod est proprium filiorum, & magna confidentia qua recognoscunt Deum ut Patrem, ut antea ex Cajetano in locum observavimus.

CAPUT XXIX.

Eadem Certitudo probatur ex metaphoris { *Sigilli. Arrhæ. Pignoris.* }

10 Ratio, desumpta ex metaphoris sigilli, Arrhæ, Pignoris,
Fidelis de Adoptione sua certioratur tanquam sigillo, Arrha, Pignore,
Ergo
Certus est de peccatorum suorum remissione.

Consequens probatur, verè co-optatus in filium Dei seu adoptatus, verè habet remissionem peccatorum. Omnes siquidem credentes in Christum habent remissionem peccatorum, Act. 10 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Iidem credentes in Christum jure filiorum donantur. Quotquot eum receperunt, iis hanc dignitatem contulit, ut filii Dei fierent, omnibus nimirum credentibus in nomen ejus Joan. 1. 12. & ad Galat. 3. 26. Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Omnis igitur credens in filium habet remissionem peccatorum, ac per hoc adoptatur in filium. Qui ergo certus est de sua adoptione, certus itidem est de remissione peccatorum.

Antecedens probatur ex variis Scripturæ testimoniis ad Ephes. 1. 13, 14. In quo [Christo] etiam postea quam credidistis, obsignati estis spiritu illo promissionis Sancto. 14. Qui est arrhabo hæreditatis nostræ] verè credentes in Christo redemptore obsignati sunt spiritu promisso credentibus in Christo, & ex promissione dato, juxta illud Rom. 8. 16. Metaphora a sigillo quo tabulæ pactorum seu promissorum robur ac firmitatem accipiunt. Sensus est, ut rectè Estius in locum, per quem scilicet Christum, postquam Evangelio credidistis, obsignati estis spiritu sancto, velut promissionis sigillo: sp. sanctum accepistis, quæ certa nota est, certumque testimonium vos esse filios Dei, ad quos promissa spectat hæreditas. Addit Apostolus, qui est pignus Græce ἀῤῥαβὼν, Latine arrhabo sic Hieronymus, vulgata Pignus. Differt pignus ab arrhabone, quam usitatiùs Latini arrham vocant, quod arrhabo datur in emptione vel sponsione, quo firma fit obligatio: pignus verò pro mutuata pecunia traditur, ut cum illa reddita fuerit, pignus restituatur.

Hic ipsum sp. sanctum Apostolus vocat & sigillum promissionis quo obsignati sumus: & pignus vel potius arrham hæreditatis nostræ (.i.) qua nobis confirmetur hæreditas promissa, quæ est vita æterna; Cum ergo sp. sanctus detur nobis ut arrha, datur ut certos nos reddat adipiscendæ hæreditatis promissæ; ad hoc enim datur, ut confirmetur promissio.

Obsig-

Obsignati estis spiritu promissionis] Anselmus in locum, spiritus promissionis est ille spiritus, quia his quos replet, promittit vitam æternam, & hoc ideo facit quia ipse est pignus, arrha & certitudo nostræ hæreditatis quam accepturi sumus a Deo (*.i.*) charitas, quam nobis spiritus ille infudit, arrha est futuræ hæreditatis. Pignus enim hoc loco pro arrha positum est. Pignus enim quando datur, Cum datum fuerit propter quod datum pignus est, pignus aufertur. Arrha verò quando aliqua pretii particula primum datur, ut sit signum totius massæ dandæ: Sic charitas per sp. sanctum data fidelibus, signum & arrha est dandæ plenitudinis vitæ perpetuæ. Hoc enim implebitur unde arrha data est: Nec ipsa arrha (*.i.*) charitas nobis auferetur, sed adimplebitur, quando summa reddetur.] Hæc Ille.

Objicit Estius. 1. De ipso pignore accepto(*.i.*) sp. sancto quantum ad donum charitatis, neminem fidelem esse planè certum.

Sol. At contra Joan. Epist. 1. 3, 14. Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam quia diligimus fratres] quomodo potest quis certò scire se translatum esse ex morte in vitam, ex eo quod diligit fratrem, nisi certò scire potest se diligere fratrem? Aut quomodo Christus hanc notam posuit veri nominis discipuli, si invicem se diligant, nisi constiterit cuique, an sincerè diligat fratrem necne?

Augustinus ut supra videmus, ait, Qui diligit fratrem magis novit dilectionem, quam fratrem quem diligit de Trin. 8 c. 8.

2. At objicit, Arrham ab eo cui datur, custodiri debere tunc repræsentandam, quando res promissa accipienda est, quod nisi fecerit, jus accipiendi amittit: quomodo fit in sponsionibus humanis. Unde ait, nisi sp. sanctum pro pignore acceptum, quis servaverit usque ad finem, excidit hæreditate promissa. Non enim promittitur hæreditas, nisi ei qui vicerit & custodierit usque in finem opera filii Dei, quæ eadem sunt dona sp. sancti. Apocal. 2. 19.

Sol. Resp. Verum est arrham ab eo cui datur custodiri debere, dicimus nos & re ipsa custodiri, ita tamen ut ejus salva custodia non tam committatur libero arbitrio possidentis, quomodo fit in sponsionibus humanis, quàm curæ & fidelitati Dei promittentibus se hoc depositum conservaturum; unde Paulus 2 Tim. 1. 12. Non confundar, scio enim cui credidi, & certus sum, qui potens est servare depositum in illum diem.] Certus erat Apostolus, pignus salutis, seu arrham hæreditatis, depositum apud Deum ab eo qui potens erat, in tuto conservandum fore in Diem illum. Custoditur ergo hæc arrha & usque in finem, nec unquam habens hanc arrham excidet ab hæreditate promissa; non tamen viribus habentis, sed auxilii divini efficacis adjutorio, juxta illud Prophetæ, timorem meum indam cordibus eorum ne recedant a me, Jerem. 32. Quibus igitur datur hæc arrha, in iisdem in tuto conservatur hæc arrha, cujus portio est timor iste de quo Propheta, idque ex promissione & auxilio indentis Dei, & fidelitate in servandis promissis. Unde Augustinus edisserens hunc locum de bon. persev. c. 2. Cum citasset locum Jeremiæ, subjicit quod quid aliud est (inquit) quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant.]

Antecedens confirmatur etiam alio loco. 2 Cor. 1. 22. Qui nos confirmat vobiscum in Christum, qui & unxit nos deus est. Qui etiam obsignavit nos deditque arrhabonem spiritus in cordibus nostris.]

Hic alloquitur Paulus fideles Corinthios, affirmans Deum esse qui utrosque confirmet (*.i.*) utrisque constantiam largiatur; ipsi quidem ut constanter & sincerè Christum prædicet: illis verò ut constanter in Christum credant. Deum autem confirmare fideles per spiritum suum, illustrat triplici simili: Confert enim sp. sanctum oleo, quo Deus fideles ungit, (*.i.*) donis cœlestibus imbuit, qualia sunt fides, spes, charitas. Deinde sigillo, quo Deus fideles obsignat (*.i.*) tanquam imprimendo sigillum, ut de rebus in Evangelio promissis certiorentur. Ut enim instrumentum fit authenticum appenso sigillo, adeo ut illo instrumento de hæreditate possidenda certioramur: sc. sp. sancti donis imprimis charitatis, obsignari de hæreditate cælesti possidenda certi reddimur.

Postremò arrhæ, quâ certiorentur de æterna hæreditate, habentes in cordibus suis, spiritualem arrham; Est autem arrha seu arrhabo pars pretii numerandi pignoris

loco

loco data. Solet autem arrha tam sponsis quam negotiatoribus dari in securitatem contractus. Spiritus sanctus ergo fideles confirmat, & certiorare solet corda fidelium de futura fælicitate donis suis tanquam sigillo, & arrhâ quam qui accepit, is plenam, summam suo tempore numerandam jure suo expectat.

Chrysost. in locum, & dedit arrhabonem spiritus in cordibus nostris] Non spiritum simpliciter dixit, sed arrhabonem nominavit, ἵνα ἀπὸ τούτου καὶ περὶ τοῦ παντὸς θαῤῥῇς ut per hoc de toto fiduciam concipias. Neque enim (inquit) si totum daturus non esset, arrhabonem præberet, ac frustra & temerè perdere in animum induxisset] Ubi non minus eleganter quàm solidè infert; Si Deus hac arrhæ nobis prius data, reliquam hæreditatis possessionem consequenter non adjiceret, ipse arrha perditæ damnum pateretur. Theophylactus etiam imitatus Chrysost. Quod si arrhabonem dedit, totum omnino etiam dabit.

Anselmus in locum. Qui mortalibus adhuc spiritum suum dedit, dubium non est quin immortalibus addat gloriam. Ad hoc enim pignus accepimus, ut de promissione quæ nobis fit certitudinem teneamus. Donum ergo sp. sancti pignus dicitur quia per hoc anima nostra ad interioris spei rectitudinem roboratur.] Et addit, donum autem sancti spiritus habet, quisquis igne charitatis ardet ; & ideo se ad æternam beatitudinem perventurum, si perseveraverit, non dubitet.

Similis locus occurrit in eadem epistola, 2 ad Corinth. c. 5. v. 5. Porro Deus est qui ad hoc ipsum nos condidit, qui etiam dedit nobis arrhabonem spiritus.] (*i.*) Porro Deus est qui nobis gloriam collaturus est, ut quis ad hoc ipsum nos condidit, ut glorificemur, & hujus rei arrhabonem dedit sp. suum.

In quem locum Chrysostomus, semper autem arrhabonis vocabulo utitur, tum ut demonstret se totius hujus rei debitorem esse, tum ut majorem fidem atque authoritatem apud obtusioris ingenii homines conciliet.] Hoc ipso quod arrham dedit facit se debitorem totius summæ conferendæ: Ex collatione donorum gratiæ facit se debitorem ad conferendam gloriam. Porro arrhæ vocabulo utitur ut majorem fidem & authoritatem conciliaret apud obtusioris ingenii homines, quibus notissimum est data arrha, totam Summam solvendam esse. Theophylactus etiam in locum. Ita igitur futuræ immortalitatis arrhabo est Spiritus——Rursus, Qui dedit nobis in præsenti spiritum ex parte, arrhabonem quendam dedit se totum traditurum, & paulo post. Ubi igitur pusillum hic acceperis, arrhabonem videlicet, confide quod & totum tunc prorsus sis habiturus.

Oecumenius in 2 Cor. 5. 5 Qui etiam dedit nobis arrham] ubique autem arrham Spiritus dicit, debitorem ipsum reddens ut etiam det quod perfectum est. Vid. eundem in Ephes. 1. 13, 14.

Anselmus in locum, Dedit nobis pignus Spiritus] (*i.*) dedit nobis sp. sanctum, qui est nobis pignus & certitudo immortalitatis futuræ. Per spiritum enim quem dedit nobis, facit nos suspirare desiderio incorruptibilis vitæ, & certos reddit, quod hanc consequemur, cujus jam pignus tenemus.] Pignus ergo sp. sancti non gignit in nobis conjecturalem opinionem, sed certitudinem immortalitatis futuræ, & certos nos reddit quod hanc consequemur cujus pignus tenemus.

CAPUT

CAPUT XXX.

Ubi eadem certitudo demonstratur ex natura & efficacia Sacramentorum.

11 RAtio desumi potest ex natura & efficacia Sacramentorum. Sacramenta instituta sunt ad obsignandam gratiam oblatam in sacramentis. Deus enim non solum promisit in verbo suam gratiam; sed & promissioni suæ addidit sacramenta(*.i.*)signa visibilia ut sint sigilla promissionis gratiæ in verbo evangelii oblatæ, ac media seu instrumenta alendæ & confirmandæ fidei, qua unusquisque certò statuat ad se in individuo, Christi beneficia (*.i.*) remissionem peccatorum, renovationem naturæ nostræ & gratiam adoptionis pertinere;

Ergo,

Danda & concedenda est fides Specialis, quâ unusquisque fidelis potest beneficia parta morte Christi, sibi in particulari applicare.

Consequens probatur: Si enim Sacramenta ideo instituta sint ut sigilla essent novi fœderis; & obsignarent verè credentibus in Christum Redemptorem promissiones fœderis; vel ut explicatiùs dicam, ut certos faciant verè fideles, omnia beneficia in fœdere promissa sibi in particulari & offerri & conferri & jure fœderis exhiberi. Cum autem in hisce beneficiis emineat peccatorum remissio, quisque verè fidelis hisce Sacramentis certiorari potest de remissione peccatorum, quomodo certus est de perceptione ipsius Sacramenti.

Antecedens probatur, 1. Exemplo Circumcisionis, Sacramentum illud instituitur, Gen.17.10. his verbis, Hoc est pactum quod custodietis inter me & vos, & inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus. Circumcidetis igitur carnem præputii vestri ut sit signum fœderis inter me & vos. Sed quodnam illud fœdus? versu 7. illius fœderis promissio ex parte Dei exponitur. Ero Deus tui & seminis tui. Conditio ex parte Abrahæ & seminis sui præstanda ver.1. primo, Ambula coram me & esto integer. Sed quale signum hujus fœderis circumcisio? num solum commemorativum, seu admonitorium in memoriæ subsidium? Sic Bellarminus, At Paulus longè aliter Rom.4.11. Accepit Abraham] signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei; Ubi disertè Apostolus docet, quale fuit illud signum, nimirum obsignatorium & certificatorium, & cujus rei? justitiæ fidei ut se justum coram Deo constitisse per fidem in Christum venturum; hoc autem erat beneficium promissum in fœdere gratiæ, & suo ambitu comprehendebat remissionem peccatorum.

Obj. Bellar. de Sacramen. in Genere l.1.c.17. Hoc intelligendum esse de sola circumcisione, quòd sit sigillum fœderis, non de aliis Sacramentis.

Sol. Resp. Falsum est solam circumcisionem fuisse sigillum justitiæ fidei, nam Sacramenta omnia quæ instituta sunt, ut sint signa fœderis, etiam instituta sunt pariter, ut essent sigilla justitiæ fidei; (*.i.*) ut obsignarent verè fidelibus, se justos esse fide in Christum. In V. Testam. fide in Christum venturum; in N. Test. fide in Christum jam mundo exhibitum. Sic in V. T. Agnus Paschalis Exod.12.13. dicitur signum, & certè fœderis quod Angelus disperdens transiret domus Israelitarum, ubi postes aspersi sunt sanguine Agni, nec signum commemorativum aut admonitorium, sed obsignatorium & certificatorium hujus transitus Angeli, (*.i.*) sigillum hujus liberationis. Baptismus item qui successit circumcisioni Ephes. 2. 11. & Coloss.2.11,12. in N. Test. est signum fœderis, & non minus sigillum justitiæ fidei quam circumcisio, cum promissio gratiæ sit illi annexa Marc. 16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Eucharistia etiam quæ successit Agno Paschali, est signum fœderis non monitorium, sed obsignatorium & certificatorium, quod perinde est ac si diceremus, sigillum justitiæ fidei. Panis enim denotat

corpus Christi crucifixum 1 Corin. 11. 24. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.] Id est, signum exhibitorium & obsignatorium corporis crucifixi. Et vinum in poculo sanguinem in cruce effusum. Hinc Christus Matth. 26. 28. Hoc est sanguis novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et Luc. 22. 20. Hic calix est novum fœdus in sanguine meo, & comedendo hunc panem & bibendo hoc poculum annunciamus mortem Christi, dicente Apostolo, & panis quem frangimus nonne est communio corporis Christi? & poculum Benedictionis cui benedicimus nonne est communio sanguinis Christi?

Perceptione ergo digna horum mysteriorum participes facti sumus mortis Christi, & omnium beneficiorum quæ sanguine pro nobis promeruit; eademque beneficia nobis obsignantur, & de eorum collatione tanquam sigillo aut pignore certioramur. Est ergo Eucharistia etiam sigillum justitiæ fidei, æquè ac circumcisio. Vult enim Servator, ut credentes promissioni, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, & hic est sanguis novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum; & simul recumbentes in corpus crucifixum & sanguinem effusum ob remissionem peccatorum; & hæc symbola panis & vini percipientes neutiquam dubitaremus, tam verè nos fieri participes carnis & sanguinis ejus per fidem, quam verè panem & vinum ore participamus. Eucharistia ergo tam obsignat verè fidelibus promissionem de remissione peccatorum per mortem Christi, ac verè dici potest sigillum justitiæ fidei æquè ac circumcisio; Id quod pariter dici potest de Agno Paschali & Baptismo.

2. Excipit Bellarminus ibidem nullam mentionem facere Apostolum, aut promissionis, aut fœderis aut pacti sed tantum σημεῖυ & σφραγῖδος simpliciter signi & sigilli, non autem signi aut sigilli, pacti aut fœderis.

Sol. Sed æquè falsum hoc, nam Gen. 17. 11. ad quem locum respicit Apostolus, dicit Dominus circumcidetis carnem præputii vestri, & erit לאות ברית quod reddunt LXX, ἐν σημείῳ, verius ex Hebræo εἰς σημεῖον διαθήκης, in signum fœderis inter me & vos. Apostolus sic exprimit ἔλαβε σημεῖον περιτομῆς, accepit signum circumcisionis supponens esse signum fœderis, quippe, cum Gen. 17. sæpius ipsa circumcisio dicitur διαθήκη, ipsum fœdus ver. 7, 9, 10. (.i.) Sacramentum fœderis. Et Stephanus in concione Act. 7. 8. Dedit Deus iis διαθήκην περιτομῆς, id est, dedit iis pactum circumcisionis. Et Ecclesiastici 44. 20. agens de Abraham Sapiens, καὶ ἐν σαρκὶ αὐτοῦ [Abrahæ] ἔστησε διαθήκην, & in carne ejus posuit fœdus.

2. Ex eo quod Apostolo dicitur sigillum justitiæ fidei apertè significatur, sigillum esse ejus promissionis Evangelii quæ testatur nos fide vivere, & credendo in Christum consequi remissionem peccatorum. Rom. 1. 17. Joan. 3. 16. Act. 16. 43. Atque in hunc sensum Theophylactus exponit, Ait, Abrahamum signum circumcisionis accepisse, ἀντὶ σφραγῖδος σφραγιζούσης, pro sigillo obsignante ac prædicante quòd & fide justificatus est, quam sanè fidem jam antea cum præputiatus esset, ostendit.]

Oecumenius item in locum, Non ob aliud Circumcisus est, quàm ut circumcisionem deferret in signum, ac demonstrationem justitiæ; vel ut postea loquitur; signum (inquit) circumcisionis signaculum erat, tanquam signum & comprobatio justitiæ, quæ per fidem in præputio facta est.

Theodoretus in locum, Non est Circumcisio justitiæ, sed testimonium justitiæ & signaculum, & signum fidei, quam ante Circumcisionem acceperat.

Toletus in locum, Circumcisionem ait fuisse signum a Deo impositum & institutum ad significandum fœdus quod pepigit Deus cum Abraham & posteritate ejus, nempè de illius semine venturum eum in quo omnes gentes & populi erant benedicendi. Ut enim (inquit) arcus in nubibus cœli positus est a Deo Genes. 9. in signum fœderis & pacti initi cum homine, non amplius omnem carnem aquis diluvii delctum iri: Ita alterius pacti & fœderis initi cum Abrahamo & ejus semine, nempe Christum in quo salus hominum

posita

posita erat, de illius carne venturum, circumcisio in signum posita, idque confirmat ex Gen. 17. circumcidetur (inquit) omne masculinum vestrum, & circumcidetis carnem præputii vestri, & erit signum testamenti inter me & vos.]

Hac ratione circumcisio signum erat nempe pacti divini cum Abraham & posteritate ejus.] Hæc Cardin. Toletus in locum. Ubi circumcisionem ait fuisse signum a Deo institutum ad significandum fœdus quod pepigit Deus cum Abrahamo & semine ejus, de Christo venturo, erat ergo signum fœderis & pacti divini juxta Toletum, contra quàm habet Bellarminus.

Estius item in locum quærit, cujus rei signum erat circumcisio? Respondet signum fuisse principaliter institutum ad significandum fœdus quod pepigit Deus cum Abraham & ejus posteritate, ut patet ex Gen. 17. Et paulo post. Græca dictio σφραγὶς. quam interpres vertit signaculum propriè significat sigillum quo aliquid obsignatur, postea addit, sentit Apostolus circumcisionem Abrahæ datam ut sigillum quo præcedens ejus justitia comprobaretur, ratificaretur, certaque ac firma redderetur.]

Juxta Estium ergo Circumcisio erat signum & sigillum fœderis quo fœdus obsignabatur, & quo præcedens ejus justitia ratificata fuit, & firma ac recta reddebatur. Quæ explicatio è diametro adversatur Bellarmino. Ex dictis patet circumcisionem fuisse Sacramentum divinitus institutum ad obsignandum fœdus gratiæ.

3. Excipit Bellarmin. lib. de Sacramentis, in genere 1. C. 17. hoc fuisse privilegium solius Abrahæ, ut circumcisio ei esset sigillum justitiæ fidei, nec posse ad alios transferri.

Sol haec exceptionem non minus frivolam esse quam superiores. Nam certum est Abrahamum non solùm circumcisum fuisse, sed & posteros ejus, nec solum fide justum fuisse sed & posteros, aut cum illo solo fœdus ictum sed & cum posteris, ergo & sigillum fœderis erat æquè posteris atque illi appensum & appendendum. Cum illi æquè indigi erant, ut fidei justitia æquè eis confirmetur, atque Abrahamo ipsi. Non negamus tamen privilegia quædam quoad circumcisionem attinet indulta fuisse Abrahæ soli.

Et 1. Quòd primus circumcumcisionem accepit.

2. Quòd fœdus pro se & posteris Cum Deo primum initum esset.

3. Quòd sit pater credentium; sed circumcisionem fuisse soli Abrahæ sigillum justitiæ fidei, nimis absurdum est & audax assertum. Augustinus certè sæpe ait, Circumcisionem fuisse posteris Abrahæ sigillum Justitiæ fidei. Ut de nuptiis & Concept. lib. 2. cap. 11. Et de Baptismo contra Donatist. lib. 4. c. 24.

4. Excipit Bellarminus: Sacramenta esse signa justificationis & quidem infallibilia ex parte sua non absolutè. Non enim significat ceremonia v. g Baptismi hominem absolute lavari & mundari à peccato, sed lavari & mundari quod attinet ad vim & efficaciam Sacramenti, modò non impediatur effectus per indispositionem suscipientis.

Sol. Resp. Neque nos dicimus esse signa infallibilia & sigilla remissionis peccatorum, nisi præcedat debita dispositio in suscipiente. Hîc tamen excipiendi sunt parvuli, in quorum Baptismo non requiritur ulla prævia dispositio in suscipiente parvulo, utpote qui per ætatem non sunt capaces pœnitentiæ & fidei. Sufficit enim illis ad effectum Baptismi consequendum, ut obicem nullum ponant actu aliquo voluntario. In adultis tamen requiritur debita dispositio in suscipiente. Non enim sunt Sacramenta sigilla certiorantia remissionem peccatorum, nisi verè pœnitentibus, & credentibus in Christum Mediatorem ob remissionem peccatorum. Sin autem quis verè contritus fuerit & doleat de peccatis admissis, & in Christum credat Mediatorem, dicimus ejusmodi suscipientem posse certiorari, & reipsa certum reddi ordinarie, præsertim in exercitiis fidei & pœnitentiæ, de sua justificatione & remissione peccatorum, quatenus certus esse possit certitudine experientiæ, se hosce actus elicere.

Argumentum hoc à natura & efficacia sacramentorum desumptum pro certitudine gratiæ, paulo aliter proponitur ab Ambrosio Catharino Pontificio, quàm à nostris, annotante Bellarmino.

Sacramenta non ponenti obicem certò gratiam conferunt, potest autem qui Sacramentum recipit, certò scire a se nullum obicem poni, Ergo potest certo scire sibi esse remissa peccata.

Objicit Bellarm.lib.3.c.11. de Justificat:

1. Argumentum ejus rectè concludere, posse eum qui non est sibi conscius fraudis alicujus, certum esse de remissione peccatorum, sed certitudine quadam humanâ & morali, non ceritudine fidei, quia non potest certitudo fidei haberi (si revelationem removeas) de intentione Ministri, sine qua (inquit) non perficitur Sacramentum, neque de remotione omnis impedimenti, cum fieri possit ut aliquis non sit sibi conscius obicis, & tamen reipsa obicem ponat, cum affectum gerat ad peccatum aliquod læthale, quod esse peccatum ignoret.

Hæc Bellarminus: Ubi ait non posse quemvis suscipientem sacramenta certum esse se obicem non ponere quia certitudo fidei haberi non potest,

1. Ordinariè de intentione Ministri,

2. De remotione òmnis impedimenti.

Sol. Resp. 1. Hæc exceptio de intentione Ministri non petita est ex fontibus Israelis, sed ex lacunis Scholasticorum. Intentio ministri nec addit nec adimit quicquam integritati vel efficaciæ Sacramenti quæ non pendet ex intentione administrantis, sed ex intentione divina, quid enim ibi faciat minister malus ubi est bonus dominus & ex intentione matris ecclesiæ, quæ semper supponitur bona & sincera, quicquid sit de intentione ministri.

Resp. 2. Certum esse posse suscipientem Sacramenta se non ponere obicem actu aliquo pravo voluntario; certum esse itidem posse de veritate contritionis; certum etiam esse posse de proposito abrenunciandi omnia peccata cognita, & de proposito novæ vitæ, certitudine experientiæ propriæ; se etiam verè recumbere in Christum Redemptorem, & ejus merita ob remissionem peccatorum. Verè enim pœnitens & contritus, verè etiam fidelis, certò experitur certitudine excludente omnem formidinem contrarii, certitudine etiam cui non potest subesse falsum, se verè dolere ob offensam Dei, se item credere in Christum Redemptorem seu fiduciam suam omnem in Christum Redemptorem & ejus merita reponere ob remissionem peccatorum, abdicatis omnibus suis operibus in negotio justificationis, coram tribunali divino. Spiritus Sanctus siquidem qui inspirat actus hosce pænitentiæ & fidei; simul indit certam notitiam horum actuum, certitudine excludente omnem formidinem contrarii. Esto ergo ut hæreticorum & hypocritarum actus experimentales quibus præsumunt se pœnitentiam agere & credere in Christum redemptorem, fallant sæpe, imo semper fallant: Verè tamen fideles elicientes actus fidei & pœnitentiæ & aliarum virtutum in suo experimento non falluntur.

Qui verè habet experimentum alicujus actus, v. g. actus credendi aut confidendi, non solùm certus est quòd non decipiatur sed nec posse decipi in eo quod experitur evidenter, per evidentiam enim certum est neminem posse decipi. Nam ut rectè Andreas Vega de incertit. Gratiæ l. 9. c. 39. p. 200.B. De ratione (inquit) evidentiæ cujuscunque est, per eam non posse quenquam decipi, neque possibile est ut quod evidens est, falsum sit. Et quicunque evidentiam habet de aliqua veritate, certus est se non decipi in assensu illius. Et eodem capite p. 201. A. Incunctanter asserendum esse existimo, eum qui evidentiam habet non solùm certum esse quòd non decipiatur, sed & certum esse eum non posse decipi in eo cui assentitur evidenter. Nam per evidentiam certum est neminem posse decipi. Vide Reliqua.

Hæc omnia: Vega de omni vera experientia in actibus naturalibus; quanto verius hoc dici potest de actibus adjutorio divinæ gratiæ elicitis, de quibus jam agitur. Fidelis enim verè habet evidentiam experimentalem se ejusmodi actus elicere. Spiritus Sanctus enim adjuvando ad horum actuum productionem non adimit hisce evidentiam suam, sed potius adjicit. Spiritus sanctus enim inspirando actum pium & salutarem, simul illuminat mentem & indit rectam notitiam hujusmodi actus, & rectitudi-

tudinem excludentem omnem formidinem contrarii. Synodus Sardiniensis in Epistola Synodica quæ primùm edita est à Jacobo Sirmundo, & præfigitur libris Fulgentii de veritate prædestinationis, sic habet, Etsi quidam gratiam necdum habentes non se intelligunt non habere; illi tamen qui gratiam divinitus acceperunt, eò magis debent in ipsius gratiæ assertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui. Necesse est autem ut ab eis quibus non tribuitur ignoretur; & ab eis agnoscatur, quibus divina largitate donatur.

Testatur enim Apostolus dona Sp. Sancti, ejusdem Sp. Sancti acceptione cognosci, Ideo ait 1 Cor.2. Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis—— per Sp. ergo Sanctum gratiam accipimus quâ acceptâ fit in nobis ut quod accepimus noverimus.] Hæc Aphricani Patres in dicta Epistola. Ubi disertè asserunt.

1. Gratiam divinam necesse esse, ut ab iis quibus non tribuitur ignoretur, & tamen ab iis agnoscatur quibus divina largitate donatur.

2. Idipsum confirmant ex Apostolo, 1 Cor.2.

3. Aiunt, accepta gratiâ fit in nobis ut quod accipimus noverimus.

Fulgentius item de veritate Prædestin p.56. Ipsa gratia se facit cognosci, diligi, desiderari, postulari.] Ex mente ergo Fulgentii, ipsa gratia indit in mentem habentis suiipsius notitiam, dilectionem, desiderium, postulationem.

CAPUT XXXI.

Scriptura dictam certitudinem sumit pro confesso.

12 RAtio, succedat.

Scriptura sumit pro confesso, verè fidelem posse certò dignoscere an sit in statu gratiæ, an verè credat in Christum Redemptorem, an verè & sincerè pœnitentiam agat, necne? 2 Cor.13.5. Vosmetipsos tentate an sitis in fide, vosmetipsos probate, annon cognoscitis, quia Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis?] Ubi Apostolus pro confesso sumit Corinthios fideles posse tentando dignoscere an sint in fide (*.i.*) an veram scilicet fidem habeant, an hypocriticam, & sic, num per fidem sentiant Christum habitantem in cordibus suis, an non?

Bellarm. vult Apostolum loqui de præsentia Christi apud Corinthios non secundum gratiam gratum facientem; sed secundum potentiam providentiam & miracula, quæ apud illos faciebat.

Sol. R. Etsi verba posteriora eo in loco de præsentia Christi secundum potentiam & miracula aliquatenus intelligi possint; tamen verba à nobis citata, Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos probate, huc torqueri nullo modo possunt. Non vult Apostolus Corinthios circumspicere extra se, an videant in Ecclesia experimenta potentiæ vel miraculorum Christi; sed vult Corinthios in suas conscientias descendere eásque explorare num habeant veram & sinceram fidem, num per fidem sentiant Christum habitantem in cordibus suis, an non? Id enim vult Apostolus cum ait ἑαυτοὺς δοκιμάζετε, vosmetipsos probate *.i.* an Christum in vobis manentem habeatis? Quorsum autem tam seriò hortatur & jubet eos semet tentare & probare an in fide sint, si de sua fide & gratia nemo certus esse possit. Imò videtur asserere indicium esse hominis in reprobum sensum traditi, non cognoscere Christum in eo esse, & habitare per fidem.

Estius in locum ait malè colligere ex hoc loco Sectarios, hominem justum certò scire se esse filium Dei, & Christum inhabitantem in se habere. At facile (inquit) refelluntur ex verbis præcedentibus. Etenim si Corinthios admonet Apostolus, ut

seip

seipsos probent ac tentent num sint in fide, per quam Christus in eis sit, utique de ea re certi non erant. Nam quod certum est probatione non eget.

Sol. Resp. Apostoli admonitio ut seipsos probent ac tentent Corinthii an sint in fide, non tollit, quin potius asserit certitudinem illam de qua nos agimus, cum probatio sit medium quo certitudo acquiratur; Probatio enim adhibetur ad majorem certitudinem acquirendam. Nos non dicimus certitudinem omnimodam haberi ante probationem; sed dicimus probationem esse medium acquirendi certitudinem majorem de re aliqua. Dicimus item frustra hortari Apostolum ut nos probemus & tentemus nisi hisce mediis certitudo indubitata acquiri possit. Aurifex frustra adhiberet Lydium lapidem ad probandum aurum, sitne purum & sincerum, nisi de auri puritate & sinceritate hac probatione rectitudo indubitata haberi potuisset.

Alter locus habetur, 1 Cor.11.28. Probet ergo se unusquisque & ita de pane hoc edat & de calice bibat (*.i.*) probet se an veram fidem & pœnitentiam habeat, an fraterno charitatis affectu ad hanc mensam accedat. Hisce enim imbutus est dignus conviva, & sine his nihil prosunt Sacramenta. Ut quid autem tam sedulò hortetur Apostolus ut nos probemus an dignè accedamus, nisi certò dijudicare possimus & non per solam conjecturam inter fidem & pœnitentiam sinceram & fucatam inter amorem amicitiæ & amorem concupiscentiæ, inter charitatem & cupiditatem, inter spem incertam & spem quæ non confundit? Jubet Propheta aut saltem hortatur propheta Thren. 3.40 ut corda nostra scrutemur; ut quid urgeret propheta tam accuratum scrutinium, si scrutando sola certitudo vel potius opinio conjecturalis tantum acquiratur?

Alter locus extat, 1 Cor.2.11. Ubi supponit Apostolus Spiritum hominis scire & quidem certò proprios actus interiores. Nemo scit (inquit) quæ sunt hominis nisi Spiritus hominis.] (*.i.*) Nullus homo certò & indubitato scit internos actus (*.i.*) cogitationes, volitiones, intentiones & affectiones hominis, nisi spiritus hominis cogitantis, volentis, intendentis & affectus hosce in se sentientis; supponit ergo quæ in hominis intimis, puta in corde & mente delitescunt, nimirum cogitationes, volitiones, & intentiones, ipsum Spiritum hominis certò & indubitatò cognoscere, utpote qui homini ipsi sit intimus, non autem alium quemvis. Ut per hoc intelligamus reliquos spiritus tam hominum quàm angelorum, quia in ipso non sunt, nescire quæ ipsius hominis sunt (*.i.*) quæ in ipsius sunt corde, ut rectè Cajetanus in locum.

CAPUT XXXII.

Certitudinem Gratiæ in fidelibus Scriptura directe affirmat.

13 SCriptura non tantum supponit fideli certò perspecta esse dona Dei nobis donata, puta fidem, pœnitentiam & id genus alia, sed & disertè affirmat, 1 Cor.2.12. Nos non accepimus Spiritum mundi, sed & Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ Deus nobis est gratificatus.

Bellar. 3. de Justif.c.9.5. Octavum testim. ait non loqui Apostolum de notitia beneficiorum, quæ in particulari ad hunc aut illum pertinent, sed de notitia beneficiorum quæ Deus præparavit electis suis, qualia sunt imprimis hæreditas & gloria regni cœlorum.

Sol.

Sol. R. Agere Apostolum de notitia quorumlibet beneficiorum Dei, nec tantùm de scientia generali beneficiorum Dei, sed & de specialibus beneficiis quæ fidelibus conferri solent, quæ dantur eo fine ut sciamus quæ donata sunt nobis, quæ beneficia adepti simus & à Deo impetraverimus, ut eo magis ad gratiarum actionem excitemur, qualia sunt reconciliatio, remissio, adoptio, &c. qualia sunt dona pœnitentiæ, fidei, spei, charitatis & id genus alia.

Atque sic Synodus Sardiniensis in Synodica Epistola sup. p.99. de gratia quavis præveniente intelligit.

Augustinus etiam Tract 85. in Joan. ubi sic habet. Nos autem, charissimi, ut amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat, sciamus: non solum enim homines, verum etiam justos ipse facit nos, & non ipsi nos, & ut hoc sciamus, quis nisi ipse facit? non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.]

Ubi vult August. Deum facere ut quilibet justus sciat se à Deo justum fieri, idque ex hoc testimonio Apostoli probat.

Anselmus in locum, Spiritum qui ex Deo est accepimus (.i.) divinum quendam radium illuminantem nos, ut per eum sciamus beneficia quæ sunt nobis à Deo donata. Spiritus enim Dei mentem quam replet illuminat, spiritus autem mundi excæcat, & mox, nos per spiritum ejus novimus, & dona ejus nos habere & ab eo accepisse. Quænam sunt illa dona mox explicat, redemptionem, remissionem peccatorum, virtutum multiplicationem, & æternæ beatitudinis spem.] Quid clarius?

CAPUT XXXII.

Certitudo gratiæ specialiter probatur ex testimonio Joannis Apostoli.

14 HOc idem probatur ex testimoniis Joan. Apost. Joan. 14.17. Mundus non potest recipere [spiritum veritatis] quia non videt eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manet & in vobis erit.] Promittit hîc Christus Apostolis suis nomine omnium fidelium, quos opponit mundo, spiritum suum & ejusdem notitiam; vos (inquit) cognoscetis eum quia apud vos manebit seu manet. In quem locum Cajetanus, ratio cognitionis redditur mansio, ut intelligamus spiritum veritatis manentem in animis Apostolorum jam facere officium suum faciendo eos cognoscere ipsum, ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Unde notitia ab experientia in seipsis significatur. Dat enim Deus etiam hoc ut sciamus quæ à Deo nobis donata sunt 1 Cor. 2.]

Ex interpretatione ergo Cajetani officium suum fecit sp. sanctus in animis Apostolorum, atque adeo omnium fidelium facit, dum facit eos cognoscere ipsum, notitia scilicet fidei, ipso interprete, id reddendo testimonium eorum spiritui quod filii Dei sunt.

Hoc idem clarius & crebrò testatur idem Joannes Apost. Epist. prima. 1 Joan. 3.14. Nos scimus quoniam translati sumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.]

Ex certa scientia dilectionis proximi, infert certam scientiam justificationis. Loquitur Joannes in persona omnium fidelium, nos scimus quòd translati sumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; ubi supponit Apostolus se & fideles omnes scire suam dilectionem quâ diligunt fratres, ac per hoc quod translati sunt à morte

ad

ad vitam; à morte peccati ad vitam gratiæ. Quod si de dilectione fratrum, de nostro scilicet actu dilectionis, non habeamus nisi opinionem & incertam conjecturam, non potuimus scire nos translatos à morte ad vitam, quod Joannes disertè affirmat. Siquidem ex opinione aut incerta conjectura nostræ dilectionis proximi fieri non potest, ut sciamus & certi simus de nostra translatione ex morte peccati ad vitam gratiæ; Neque enim opinio de nostra dilectione gignere potest certam scientiam de mutatione nostri status à morte peccati ad vitam gratiæ.

Porrò cum nostra translatio à morte ad vitam sciri nequeat evidenter, ergo juxta hæc verba Joannis sciri poterit à nobis certitudine fidei; Id quod confirmari potest ex versu decimo præcedenti, ubi dixerat: In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli. Ex quo evincitur juxta Apostolum omnes illos esse filios Diaboli qui odio prosequuntur fratres suos, & omnes illos esse filios Dei qui eos diligunt. Quare cum Joannes perinde utrosque dicat esse manifestos ita poterunt per fidem noti esse filii Dei, ac agnoscuntur filii Diaboli. Et ex consequenti, quemadmodum si fratres nostros odio prosequamur, certitudine fidei possumus scire nos esse extra statum gratiæ & filios Diaboli; ita si diligamus poterimus per fidem nosse, nos esse filios Dei.

Sed & addo, experientia compertum est non minus notum esse nobis dilectionem fratrum quàm odium. Unde & Augustinus l.8. de Trinitate c.8. supra à nobis adductus, p.82.b. magis notam dicit esse nobis dilectionem, quâ diligimus fratrem quàm ipsum fratrem.

Bellarminus lib. 3.c.10. de Justific. ad 7. loquitur sanctus Augustinus de actione credendi & diligendi. Certissimi enim sumus nos credere & diligere quando credimus & diligimus: sed utrum actus illi sint quales oportet, & utrum ex habitu proficiscantur, sine revelatione fieri non potest.

Sol.R. Ut supra pag.120.121. sufficit ut actus dilectionis sit sincerus & sine simulatione, ut fiat sicut oportet. Rursus dicimus non necessarium esse ut fiat actus sicut oportet, ut proficiscatur ex habitu, sufficit autem ut eliciatur ex auxilio speciali.

Vi & virtute auxilii specialis elici potest actus dilectionis absque habitu charitatis infuso, ut fiat sicut oportet sufficit ut eliciatur vi gratiæ actualis non requiritur habitualis.

Et idem Augustinus Tract. 5. in Joan. explicans locum quem jam urgemus, nos scimus quòd translati sumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, nos scimus (inquit) quid nos scimus? quia transivimus à morte ad vitam. Unde scimus? (inquit) quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum; Si ibi invenerit charitatem fraternam securus sit; quia transiit à morte ad vitam.

Et Tract.6. Interroga cor tuum; si est ibi dilectio fratris securus esto. Non potest esse dilectio sine spiritu Dei, quia Paulus clamat, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per sp.sanctum qui datus est nobis.

Et Tract.8.[col.638 c.] edisserens illud Apostoli: 1 Joan.4.13. In hoc cognoscimus quia in ipso manemus & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis, bene) inquit) Deo gratias. Cognoscimus quia habitat in nobis. Et hoc ipsum cognoscimus, quia cognoscimus quia habitat in nobis. Quia hoc ipse Joannes dixit, quia de spiritu suo dedit nobis.

Unde scimus (inquit August.) quia de spiritu suo dedit nobis? Hoc ipsum quia de spiritu suo dedit tibi, unde cognoscis? Interroga (inquit) viscera tua, si plena sunt charitate, habes spiritum Dei.

Pergit Augustinus: Unde cognoscimus, quia inde cognoscis habitare in te spiritum Dei. Paulum interroga Apostolum Rom.5. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per sp. sanctum qui datus est nobis.] Non quæritur an rectè Augustinus intellexerit, hoc in loco ad Rom. 5. per charitatem Dei, charitatem quâ diligo proximum, cum potius intelligenda sit de charitate qua Deus diliget nos: sed de mente Augustini in toto discursu, ubi ex Apostolo Joanne sæpius supponit & sæpè colligit, nostrum actum dilectionis qua diligimus fratres, non esse actum conjecturalem & incertæ opinationis & semper conjunctum cum formidine contrarii, ut con-

contendunt hodierni Romanenses, sed actum de quo certi scimus, idque ex scientia licet non evidenti, tamen ex scientia fidei, idque æquè certitudinaliter, atque ex odio proximi novimus nos esse extra statum gratiæ, imò magis nobis innotescere nostrum dilectionis actum quàm ipsum fratrem quem diligimus.

Porrò, quorsum toties remittit Augustinus nos ad cor nostrum, cum quæritur de actu dilectionis ut interrogemus cor nostrum, ut redeat unusquisque ad cor suum, ut interrogemus viscera nostra, an ibi inveniamus charitatem fraternam & dilectionem, si cor nostrum de suo actu & actus veritate & sinceritate, responsum verax reddere, & testimonium fidele perhibere non possit?

Certè ex hisce Augustini tractatibus in primam Epistolam Joannis apertissimè constat, quid hac de re sentiat Augustinus, eum in hac controversia à nostris partibus passim stare.

Quid ad hæc Romanenses? Andr. Vega lib. 9. de incertitudine gratiæ, cap 24. Primo respondet, hanc proximi dilectionem cujus toties meminit S. Joannes in hac sua Epistola, in nobis esse per solam gratiam gratis datam, sive auxilium Dei speciale, sine gratia gratum faciente, & rationem subjungit, quia nulla proximi dilectio quantumvis perfecta, satis est ut sola transferat peccatorem à mortali peccato ad gratiam. Neque unquam tale privilegium Deus contulit dilectioni proximi, sed ex consensu (inquit) omnium Doctorum Theologorum, ut peccator obtineat Dei gratiam necessaria est pœnitentia formalis, vel certè virtualis.

Sol. R. Hoc responsum indignum esse tanto Theologo. Juxta hoc enim responsum, ista dilectio cujus toties meminit S. Joannes in hac Epistola, etiam in malis christianis erit, imò in filios Diaboli cadere potest, quod ipse Author non veretur admittere, p.108. a. Replic. secunda, & ex ejus hypothesibus necesse est ut sequatur, cum gratiæ gratis datæ soleant etiam pessimis hominibus conferri: Ipsis dicentibus, Matth.7.22. Nonne in tuo nomine dæmonia ejicimus? At Sanctus Joannes per totam Epistolam ostendit, hanc dilectionem proximi, cujus toties meminit, esse propriam verè fidelium, hoc ipso capite 3. ver.10. hac nota vult distingui filios Dei à filiis Diaboli. Et ver. 14. & 15. Vult dilectionem fratrum esse τεκμήριον verè fidelium, viventium vitam gratiæ, quomodo è contrario odium proximi, hominis extra statum gratiæ constituti.

Alibi ait capite secundo v.10. Qui diligit fratrem in luce manet; quomodo qui odit fratrem in tenebris est, & in tenebris ambulat.

Et cap.4.7. Quisquis diligit [sc. proximum] ex Deo natus est & novit Deum. Et ver.12. Si diligamus alii alios Deus in nobis habitat.]

Ex hisce patet dilectionem proximi sinceram esse notam certam & indubitatam verè fidelis juxta Joannem, nec eam aliquando reperiri in malis Christianis, ut aliæ gratiæ gratis datæ, ut pessimè Andr. Vega. Sed & ratio quam subjungit Vega hujus suæ assertionis, prorsus invalida est, & minimè idonea ad hanc suam assertionem firmandam.

Est autem hæc, quia nulla (inquit) proximi dilectio quantumvis perfecta satis est ut sola transferat peccatorem à mortali peccato ad gratiam—— siquidem necessaria etiam (inquit) est pœnitentia formalis aut certè virtualis.

Sol. R. Rationem hanc non probare superiorem assertionem. Non enim contendunt assertores certitudinis gratiæ, ex hoc loco ipsam proximi dilectionem transferre peccatorem à mortali peccato, multò minùs solam, minimum omnium, hoc fieri absque pœnitentia; sed dicunt vera pœnitentia, contritione scilicet cordis de Dei offensâ, cum proposito de cætero non peccandi proximè disponi peccatorem ad remissionem peccatorum.

Deinde fiducia accedente in Christum Redemptorem & ejus meritum & satisfactionem recumbente, Deum ex tenore fœderis, ab intentatis omnibus criminibus peccatorem pœnitentem liberare & peccata omnia remittere; atque ex apprehensa hac remissione peccatorum, oriri in cordibus fidelium dilectionem Dei, & proximi propter Deum.

Ex nostra ergo sententia, dilectio proximi non est antecedanea ad translationem à morte ad vitam, sed succedanea, & ejusdem effectus, indicium, & τεκμήριον. Opera enim bona ut concinne August. non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum, de fide & operibus c.14.

Cum ergo dicit Apostolus Joannes, Nos scimus quoniam translati sumus à morte ad vitam quoniam diligimus fratres, vult Apostolus omnes verè fideles scire quod translati sunt à morte peccati ad vitam gratiæ, ex sincera dilectione fratrum, quam in cordibus suis sentiunt & experiuntur, tanquam ex effectu & certo indicio hujus translationis, quæ tamen translatio sit per fidem in Christum, teste ipso Joanne in Evangelio cap. 5. versu 24. Non per dilectionem, per fidem (inquam) tanquam instrumentum seu causam instrumentalem, ut loquuntur nostri Theologi.

Ὅτι ἀγαπῶμεν] Conjunctio ὅτι (.i.) quia, etsi causalis à Grammaticis nominetur; non tamen semper est nota causæ, sed sæpè alterius cujusque argumenti; atque hîc quidem denotat effectum. Cùm certum sit ex verbis Christi Joan. 5.24. transitum illum ex morte ad vitam esse effectum fidei.

Porrò, fides justificans non est effectus dilectionis, sed causa efficiens teste Paulo, Galat.5.6. Ubi ait fidem per charitatem operari.

Sic etiam sumitur conjunctio ὅτι Luc. 7.47. Remissa sunt peccata ejus multa ὅτι ἠγάπησε πολὺ quoniam dilexit multum, conjunctio ὅτι hîc denotat effectum, non causam, id palam evadit ex subjunctis. Cui paululum remittitur, paululum diligit.

Ex parabola etiam de duobus debitoribus quibus creditor debitum suum remittit. Ubi manifestum est dilectionem ex condonatione debiti deduci, tanquam effectum ex sua causa, sic *viz.* gratiæ relationem ex beneficio accepto.

Eodem capite affert idem Vega responsa alia in quibus diluendis operæpretium non duxi tempus conterere.

Bellarminus aliter respondet lib. 3.cap.9. de justificatione. 1. Voces (inquit) scimus & cognoscimus, non necessario includere apud Joannem certitudinem fidei divinæ. Dicimur enim ea scire & cognoscere quæ ex signis & conjecturis colligimus.

Sol. R. Voces scimus & cognoscimus toties repetitas apud Joannem in hac Epistola, denotare certitudinem quam habuit Joannes loquens in persona omnium fidelium de statu suo, eamque proculdubio indubitatam, excludentem omnem formidinem contrarii, & hæsitationem, alioqui non tam confidenter, idque iteratò dixisset, scimus, cognoscimus, novimus οἴδαμεν, γινώσκομεν, ἐγνώκαμεν sed potius δοξάζομεν, στοχάζομεν, συμβάλλομεν, putamus, conjicimus, opinamur.

Cum ergò voces quibus utitur Johannes includant certitudinem; non tamen evidentem, qualis est principiorum, seu conclusionum ex principiis deductarum; restat ergo ut sit certitudo inevidens, est autem illa non alia certitudo quàm certitudo fidei & quidem divinæ. Quamvis enim conclusio Syllogismi cujus sæpè meminimus, fluat ex duabus propositionibus, quarum minor evidenti certitudine, certitudine experientiæ scilicet, certa esse potest; tamen certitudo conclusionis non erit certa nisi certitudine fidei, pag. 99. & 100.

2. Certum est Apostolum intelligere eam certitudinem quæ ex interno spiritus sancti testimonio oritur in cordibus verè fidelium, sic enim hoc ipso cap.3. ver. 24. seu ultimo hæc habet. In hoc scimus quod in eo manemus & ipse in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.]

Verè ergo credentes in Christum utrumque sciunt, se & habere sp. sanct. & manere se in Deo; non autem ex signis incertis & conjecturis colligunt tantum. Sciunt autem ex testimonio spiritus. Spiritus enim Dei ubi inhabitat, testimonium fidele & verax perhibet de sua inhabitatione.

2. Respondet. Quamvis Joannes in prima persona loquatur; tamen sen-

sententiæ illæ generales sunt, non particulares: significant enim eos translatos esse à morte ad vitam qui diligunt fratres; & eos in Deo manere, & Deum in ipsis, qui habent in se spiritum Dei, & denique eos ex Deo esse, qui justè & sanctè vivunt. Loquitur autem (inquit) sanctus Joannes in prima persona, quia bona spe confidebat se unum ex illis esse qui diligunt fratres, qui habent spiritum Dei; & qui sunt ex Deo. Sicut B. Paulus cum loquitur de prædestinatis, ferè semper ita loquitur, quasi certus esset non solum se, sed etiam illos omnes ad quos scribit, in numero electorum fuisse; quia *viz.* id cupiebat & sperabat.

Sol. R. Bellarminum miscere ea quæ non sunt confundenda. Aliud est loqui de verè fidelibus & renatis in genere, aliud de hoc vel illo fideli in particulari. De illis (*.i.* de verè fidelibus & renatis in genere Apostolis non tantum erat quasi certus, sed verè certus idque fide catholicâ, quòd translati sint de morte ad vitam, & verè justi, Scriptura hac ex parte attestante Joan. 3.16. Omnes verè credentes salvandos.

2. Si de hoc vel illo fideli in particulari quæratur, Apostolus cum ait, Scimus nos esse translatos à morte ad vitam——certus erat absolutè, & non quasi certus tantum de sua propria justificatione, idque ex sp. sancti inhabitantis testimonio, testante de sua adeptione juxta illud ad Rom. 8.16. De aliis bene sperabat ex judicio charitatis. Neque bona tantum spe confidebat se unum ex illis esse qui diligunt fratres, qui habent spiritum Dei, & qui sunt ex Deo. Sed illud certò scivit; alioqui non toties inculcâsset, οἴδαμεν, γινώσκομεν, ἐγνώκαμεν: quæ verba non certitudinem tantum bonæ spei denotant, sed certitudinem indubitatam excludentem omnem formidinem contrarii; cumque omnium fidelium nomine hæc pronunciet Apostolus, hæc eadem certitudo etiam in omnibus verè fidelibus proculdubio reperitur. Id quod confirmatur testimonio Augustini, qui Tract. 6. in Joan. ep. 1. hunc ipsum locum edisserens, accommodat ad omnes ad omnes fideles in particulari.

Quærens enim unde sciat unusquisque quod translatus sit à morte ad vitam, respondet, ex eo quòd diligat fratres. Nemo (inquit) interroget hominem redeat unusquisque ad cor suum si ibi invenerit, charitatem fraternam, securus esto, quia transiit à morte ad vitam. c

Et rursus eodem Tract. 6. Interroga cor tuum si est ibi dilectio fratris, securus esto.] Utrobique supponit singulos verè fideles certos esse posse de fraterna charitate & dilectione in cordibus suis, ea certitudine quæ securitatem gignere possit, quam non gignit certitudo moralis ac nudè conjecturalis. Atque hæc dicta sunto de ratione 14.

Atque ita accepistis præcipuas rationes quibus asseruimus fidem specialem dandam esse, qua verè fidelis fide justificante præditus possit veraciter in particulari sibi applicare generalem promissionem Evangelii, ac proinde hanc fidem non esse penitus explodendam, ut contendit Bellarminus, sed seriò asserendam.

Eòdem redit si instituitur quæstio, an verè fidelis possit esse certus certitudine indubitata & quidem fidei, de remissione peccatorum, & an in statu gratiæ sit.

Nos in utraque quæstione affirmativam partem variis Scripturæ testimoniis & rationibus in Scripturis & antiquorum Patrum & Recentiorum etiam explicationibus fundatis, numero 14. confirmavimus & demonstravimus.

CAPUT XXXIII.

Solvuntur rationes Bellarm. contra fidem specialem; Et 1. prima ratio.

PRoximo in loco occurrendum est argumentis quæ solent afferri ab adversariis in contrarium. Et quidem primò iis quæ afferuntur contra fidem specialem à Bellarm. l. 1. c. 10. de Justificatione.

Quo in capite hoc agit, ut penitus explodatur fides specialis; Id quod etiam Joannes Hesselius Profess. Lovan. ante eum tentavit lib. de fide speciali.

Ut autem rectiùs occurratur rationibus adversariorum, repetenda sunt quædam à nobis supra producta, ut verum statum quæstionis semper ob oculos habeamus. Sæpius meminimus Syllogismi, ex quo verè fidelis fide justificante præditus possit veraciter inferre & colligere, sibi esse remissa peccata & se esse in statu gratiæ. Sic enim ratiocinatur.

Quicunque corde contritus credit in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, ei peccata sunt remissa, ac per consequens est in statu gratiæ.

At fidelis subsumit, Ego corde contritus credo in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum,

Ergo,

Mihi sunt remissa peccata, ac ex consequenti, ego in statu gratiæ sum.

Firmus assensus majori adhibitus exhibet nobis actum fidei catholicæ.

Minor exprimit actum fidei justificantis. Τὸ credere enim in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, est actus fidei justificantis; & idem sonat atque recumbere in Christum Redemptorem & ejus λύτρον ob remissionem peccatorum.

Assensus adhibitus conclusioni exprimit actum fidei specialis applicantis fideli promissionem generalem seu beneficia promissa, ex certitudine præstitæ conditionis.

Tota lis est de minori. Nam major est indubitatæ veritatis. Conclusio itidem supposita veritate minoris, nam ex veris præmissis irrefragabiliter infertur.

Minor est certa verè pœnitenti & fideli seu credenti, certitudine experientiæ, qua experitur se elicere hosce actus.

Hîc tamen addo ad majorem certiorationem,

1. Experientiam verè pœnitentis & credentis comitem habere ordinariam illuminationem sp. sancti, ut non opus sit speciali, immediata, & extraordinaria revelatione.

2: Hanc ordinariam illuminationem sufficere fideli extra tentationem, ut certiorari possit de actus sui veritate & sinceritate, absque dubitatione, anxietate, hæsitatione; & in seriis exercitiis fidei & pœnitentiæ & seriis precibus absque formidine contrarii.

Hisce præmissis videamus rationes Bellarmini l. 1. de Justificat. c. 10. Manifestis (inquit) rationibus potest fides hæc specialis explodi.

Prima ratio, Fides (ut ipse etiam docet Calvin.) in nihil aliud collimare potest nisi in verbum Dei. Non enim potest esse certa & infallibilis, nisi ejus authoritate nitatur, qui nec falli potest nec fallere: at in verbo Dei nusquam reperitur annuntiata salus, vel remissio peccatorum mihi aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis ut Paralytico Matth. 9. cui dictum est, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et peccatrici de qua dictum est Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa. Et fortasse Adulteræ Joan. 8. Et Zachæo, Luc. 19. Et Latroni Luc. 23. Non igitur possunt reliqui homi-

homines credere, nisi omnino temerè, tanquam ex verbo Dei, sibi remissa esse peccata.

Sol. Resp. Fides specialis rectè dicitur, ubi fides adhibetur non solùm expresso verbo Christi, aut expressæ revelationi Dei speciali; sed etiam ubi fides adhibetur conclusioni alicui deductæ ex propositione aliqua expresse revelata, & altera experimentali cognitione apprehensa, ut in syllogysmo supra adducto. Ubi minor est certa fideli seu credenti certitudine experientiæ; potest enim quilibet verè credens in Christum experiri & quidem certò se hunc actum credendi in Christum elicere.

Ipse Bellarmin. lib. 3. de Justificatione c. 10. explicans quoddam dictum Augustini, sup. p. 149. certissimi (inquit) sumus nos credere & diligere, cum credimus & diligimus, vid. sup. Vegam. p. 143.

Idem sp. sanctus qui indit donum fidei aut pœnitentiæ aut dilectionis. simul etiam sensum horum donorum indit, & talem cui nunquam subest falsum, cum sit spiritus veritatis. Quemadmodum enim sensus visus non alio sensu indiget quam ipsomet lumine, per quod lumen quoque apprehenditur; eodem modo contingit in lumine gratiæ. Ipsum lumen gratiæ sufficit ad sui manifestationem, alioqui iretur in infinitum in ejusmodi assensibus, ut rectissimè Salmeron, in Evangelii Prolegom. 32 Sect. Quod si. Et sic Patres Aphricani in Epist. Synodica Synodi Sardiniensis, ubi de gratia agentes hæc habent. Necesse est ut ab iis quibus non tribuitur, ignoretur; & ab iis agnoscatur quibus divina largitate donatur. Testatur enim Apostolus, dona sp. sancti ejusdem sp. sancti acceptione cognosci.

Ideo ait, 1 Cor. 2. Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: Per sanctum ergo spiritum gratiam accepimus, quo accepto fit in nobis ut quod accepimus noverimus.]

Et similiter Fulgentius de Verit. Prædest. l. 1. Ipsa gratia se facit cognosci, diligi, desiderari, postulari.] Ipsa ergo gratia juxta Fulgentium indit in mentem habentis suiipsius notitiam.

Gratia ut lumen, non modo alia, sed & seipsum visibilem facit, ut rectissime D. Davenantius in Coloss. 1. v. 2. p. 18. ex Scripturis.

Gratia est illud Manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit & omnis qui accipit novit, Apoc 2. 7.

Conclusio inde deducta, mihi sunt remissa peccata, vel ego in statu gratiæ sum, non innititur revelationi divinæ immediatè sicut certitudo fidei Catholicæ, sed mediante discursu, qui ut veram certitudinem Theologicam inducat, niti debet in uno principio de fide certo, & alio saltem evidenti vel naturaliter vel experientiâ evidentissimâ ac certissima secundum ordinem naturalem, vid. Suarez de grat. l 9. c. 10. Addo ego vel evidenti addito lumine gratiæ, cum ipsa gratia se facit cognosci. Assensus tali conclusioni quæ ex ejusmodi præmissis infertur, si ei firmus assensus adhibeatur, rectissimè dicitur assensus fidei specialis, cui nec subest aliquando nec subesse potest falsum, non minus quàm fidei Catholicæ.

Objicit Bellarminus, Scriptura nusquam dicit, qui credit sibi remissa esse peccata, habet vitam æternam aut justificatur; sed qui credit in Christum habebit vitam æternam, vel ei remittuntur peccata.

Sol. Nec nos dicimus quenquam justificari quia credit sibi remissa esse peccata, nec credere in filium esse credere sibi remissa esse peccata; sed peccatorem justificari quia credit in filium. Addo nos dicere insuper, quicunque credendo in Christum justificatur, ipsum posse veraciter credere, sibi in particulari remissa esse peccata. Si enim credenti in Christum remissa sunt peccata, quidni idem potest credere sibi remissa esse peccata.

In sequenti sectione, Adde, Malè colligit Bellarm. ex collatione locorum Joannis Apostoli, τὸ credere in filium ex interpretatione Joannis, idem esse atque credere quod Jesus sit filius Dei & Christus. Idem (inquit) Joannes qui scripsit Joan. 3. 16. Qui credit in filium habet vitam æternam, scripsit 1 Joan. 5. 1. Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, & ibid. v. 5. Quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam Jesus est filius Dei] Hinc colligit Bellarm. ipso interprete Evangelista Joanne τὸ credere in filium, idem esse atq; τὸ credere quod Jesus sit filius Dei & Christus.

Sol.

Sol. Resp. Ex collatione horum locorum pessimè colligere Bellarminum idem esse τὸ credere in filium, atque τὸ credere quod Jesus sit filius Dei & Christus.

Nam 1. Certum est, 1 Joan.5.1. ubi dicitur, Omnis qui credit quòd Jesus est Christus, ex Deo natus est, ex hoc solo actu quo quis credit Jesum esse Christum, non illico inferri potest, illum renasci & natum esse ex Deo. Nam & Dæmones hoc credunt & mali homines.

Ipse Bell. c. 15. hujus libri, contendit fidem Catholicam separari posse a charitate. Non ergo meminit Joannes hujus articuli, quasi hæc sufficeret ut quis renasceretur, sed quia absque fide hujus articuli nemo ex Deo natus esse potest. Hinc est quòd Romanenses hunc versum exponentes, interpretantur de credentibus fide viva, obedienti, efficaci.

Sic Estius, Menochius & alii. Idem pariter dicendum de altero illo loco, 1 Joan. 5 5. Quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam Jesus est filius Dei?] Non enim illico ex eo quòd quis fide Catholica credat Jesum esse Christum, vincit mundum, nisi insuper in eum sic agnitum credat (.i.) fiduciam reponat ut vincat mundum. Sanctus autem Joannes non meminit hujus actus posterioris, quia tum temporis id potissimum agitabatur, an Jesus filius Mariæ esset Christus seu Messias prædictus à Prophetis. Hoc enim dato in confesso erat apud omnes, in eum teneri omnes fiduciam collocare ob remissionem peccatorum, ob victoriam mundi, & æternæ salutis consecutionem. Atque hanc ob causam aliquoties actus fidei Catholicæ, seu dogmaticæ solummodo exprimitur, cum tamen hoc dato in confesso erat alterum necessariò secuturum nimirum in Christum seu Messiam omnem fiduciam collocandam esse ob remissionem peccatorum. Vid.sup.p 33.

2. Resp. Certum est τὸ credere in Christum Joan 3.16. plus sua notione includere, quàm τὸ credere quod Jesus sit filius Dei & Christus, ut supr. fusè docuimus, p.10. & 11. er. Non autem interpetandi sunt loci qui plus notione sua complectuntur, per eos qui minus complectuntur, ut habeatur adæquatus sensus; quod hoc in loco conatur Bellarminus. Malè igitur Bellar. colligit ex horum locorum collatione, Itaque credere in filium, ipso interprete Evangelista Joanne, est credere quòd Jesus sit filius Dei & Christus.

Idipsum pariter dici potest de collatione locorum quæ è D. Paulo adducit ex Act. 13. 39 & Rom.3. 22, cum Rom.10.9. Ubi malè interpretatur ea loca quæ plus notione sua comprehendunt, cum illo posteriori qui minus, ut colligi potest ex explicatione illius loci sup.p 43. Duo priora loca agunt de fide justificante quæ in solis bonis reperitur; cum tamen fides Catholica etiam in malis reperiatur,

Ex prava collatione dictorum locorum colligit Bellarminus. Itaque non modò (inquit) non habentur in Scriptura illæ particulares propositiones quas adversarii certa fide se tenere profitentur, viz. Luthero aut Calvino remittuntur peccata, sed neque habetur illa generalis; Omnis qui credit sibi per Christum remissa esse peccata, justificatur.

Sol. Resp. dicendo 1. Particulares propositiones illas non haberi expressè in Scripturis, quomodo nec illæ, Bellar. est naturâ filius iræ, Bellarminus est peccator: sed dicimus ejusmodi propositiones è Scripturis deduci, mediante propositione aliqua cognitione experimentali apprehensâ, qualis est illa, Ego credo in Christum. Quomodo enim quis, v. g. Judas, certò vovit se damnationis reum fuisse, ex eo quod tradidit Dominum, dictante conscientia, Ego Judas tradidi Dominum.

Hinc Joannes Bacon 3. Dist.30. art. 1. Existens in peccato mortali certitudinaliter potest scire, se esse in peccato mortali. Quomodo item Paulus novit se à peccatis absolutum fuisse, & justificari eo quòd in Dominum Jesum credidit, cujus propositionis veritatem experimentali cognitione dignoscebat, dictante conscientia, Ego Paulus credo in Dominum Jesum: Sic & quivis verè fidelis sive Lutherus sive Calvinus novit ex testimonio suæ conscientiæ, illudque concomitante ordinaria illuminatione Sp. Sancti, se omnem fiduciam in Christum Redemptorem collocare ob remissionem peccatorum; ac proinde ex tenore fœderis veraciter inferre posse sibi in particulari remissa esse peccata.

Idem Bacon ibid. existens in charitate potest scire se esse in charitate, & se operari secundum charitatem.

2. Dicimus, nec nostrates contendere illam propositionem generalem, Omnis qui credit sibi per Christum remissa esse peccata, justificatur, haberi in sacris literis, imò nec veram esse propositionem, sed in rigore falsam ut supra evicimus p. 95. & 97. sed dicimus juxta Scripturas, omni credenti in Christum Redemptorem peccata esse remissa, sic Act. 10 v.43. Huic omnes Prophetæ attestantur.

Pergit Bellarminus: Deinde (inquit) peccant adversarii in eo quod ex antecedente conditionato colligunt conclusionem absolutam.

Nam illæ (inquit) propositiones; Qui credit in filium habet vitam æternam, & illa, In hoc omnis qui credit justificatur, conditionatæ sunt, ac si dictum esset, si quis credit in filium is habet vitam æternam & si quis in Christum credit, justificatur.

Ita enim(inquit)explicat Apostolus ad Rom.10. Si credideris in corde tuo, &c. Et Philippus Act. 8. Si credis ex toto corde, &c. potes. Ex his autem conditionatis propositionibus rectè colligitur conditionata conclusio, Igitur ego si credo, habeo justificationem & vitam æternam.

Absoluta verò conclusio, quam adversarii volunt, requirit assumptionem absolutam videlicet illam, Atqui ego credo in filium; Quæ assumptio absoluta non est in verbo Dei sed in opinione mea; Opinio autem ista mea non solùm non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest.

Sol. Resp. Bellarminum falsò imponere nostris Theologis, ac si ex antecedente conditionato colligant conclusionem absolutam. Nos enim agnoscimus absolutam conclusionem requirere assumptionem absolutam. Et nos in nostro Syllogismo assumptionem habemus absolutam, viz. Ego V. G. Paulus seu Petrus credo in Christum Redemptorem.

Quæ assumptio licèt non sit in verbo Dei, tamen à verè credente actu experimentali percipitur, & quidem ea certitudine cui non subest falsum, imo nec subesse potest, accedat modò inspiratio ordinaria Sp. Sancti, testimonium perhibens de veritate & sinceritate hujus actus. Ejusmodi actus ordinariè eliciuntur à verè fidelibus, & fiunt ut oportet, licèt nonnulli existimantes se verè credere, non credunt ut oportet.

Objicit adhuc Bellarm. ibid. Adde quod secundum Scripturas non satis est quocunque modo credere, sed oportet toto corde credere, ut dicitur, Act. 8. 37.—— Et quamvis Scriptura dicat, Qui credit in filium habet vitam æternam; Tamen verissimè dicere possumus, multi credunt in filium, & non habent vitam æternam, eo quòd malè credant. Neque (inquit) hoc negare possunt adversarii, quippe qui fidem negant esse veram, nisi sit viva & fructus bonorum operum pariat.

At quis est (inquit) qui certò affirmare queat se toto corde credere atque ut oportet credere, & fidem habere vivam & cum charitate conjunctam.

Sol. Resp. Toto corde credere non aliud est quàm sincerè & absque simulatione credere, quomodo alibi Bellarminus interpretatur, τὸ diligere Deum toto corde de Monachis, l 2.c.13.§. sed simplicior. qualiter credunt omnes verè fideles. Porro ubi ait Bellarminus multos credere in filium & non habere vitam æternam, eo quòd male credant.

Resp. 1. Neminem posse verè credere in filium & tamen malè credere, cùm τὸ credere in filium sit actus fidei justificantis, quæ vera est virtus, virtute autem nemo malè utitur. Sic Augustin. de lib. arbitrio. lib. 2. cap. 18, 19. Thom. 22. qu. 20. A. 1. ad 2. Nemo verè credendo in filium, malè credit. Ex virtuosâ radice non potest aliquod peccatum procedere, directè ex parte ipsius virtutis, Thom. ubi supra.

2. Adversatur hoc Christi pronunciato, Qui credit in filium habet vitam æternam. Quod intelligi debet de verè credente. Quare falsissimum est illud Bellarmini, Verissimè dicere possumus, multi credunt in filium & non habent vitam æternam, eo quod malè credant.

At (inquit) Bellarminus, neque hoc negare possunt adversarii, quippe qui fidem

dem negant esse veram, nisi sit viva & fructum bonorum operum pariat.

Sol. Resp. Distinguendo de fide vera, fides siquidem vera, vel est illa quam dicimus Catholicam, qua assentimur ad ea omnia quæ divinitus revelantur, vel justificans quâ justus vivit.

Nos dicimus fidem posse dici verè Catholicam, quæ tamen fructum bonorum operum non pariat; sed a chraritate separari potest, quod & Bellarminus ipse cap. 15. docet & defendit. At nos dicimus fidem non esse veram (i.) verè justificantem, nisi ubi vera pœnitentia præcesserit, & dilectio Dei ut Patris sequitur, dilectio etiam proximi & alia bona opera. Nos non negamus omnem fidem esse veram nisi etiam sit viva & ferax bonorum operum; nam dicimus fidem Catholicam esse veri nominis fidem, licèt a charitate separari potest: Sed negamus hanc esse fidem illam vivam, quâ justus vivit, & quæ nomine appropriato justificans dici potest, & verè dicitur. Pergit Bellarminus. At quis est (inquit) qui certò affirmare queat, se toto corde atque ut oportet, Credere, & fidem habere vivam & cum charitate conjunctam.

Sol. Resp. Verè fidelis credens in Christum Redemptorem certò affirmare queat se toto corde credere, atque credere ut oportet, quoties verè & sincerè, abdicatis operibus propriis, totum se conjicit in misericordiam Dei, & Christi satisfactionem ob remissionem peccatorum. Taliter credens novit se credere, etsi malè credens fallatur, credens scilicet, sola fide Catholica quæ à reliquis virtutibus separari potest.

Instat adhuc Bellarminus: Peccant denique adversarii in eo quod existimat illas propositiones, Qui credit in filium habet vitam æternam? In hoc omnis qui credit justificatur, & alias similes ita esse intelligendas, ut sola fides sufficiat ad justitiam & salutem, quod apertè falsum esse in libro sequenti demonstraturi sumus. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam, si cætera adhibeat, quæ fides ipsa adhibenda demonstrat. Hæc Bellarmin.

Sol. Resp. Dicendo, τὸ credere in filium juxta Scripturas, ut supra evicimus, idem sonare, atque τὸ recumbere in filium Dei, & ejus meritum & satisfactionem ob remissionem peccatorum; quo sensu sumptum, affirmamus hunc actum esse qui solus applicat meritum & satisfactionem Christi peccatori pœnitentiam agenti & liberat ab omnibus intentatis criminibus peccatorem coram tribunali Dei, & ab omni reatu eundem absolvit. Licet n. aliæ virtutes, & opera quæ dicuntur preparatoria præsertim pœnitentia, disponunt antecedenter subjectum ad hunc actum eliciendum, tamen fiducia in filium & fides in sanguinem ejus, fiducia nitens Christi satisfactione est ille actus qui solummodo sese Christo addicit ejusque satisfactionem sibi applicat ut suam, ut justitiæ Dei satisfiat, solummodo in eam recumbit ad peccatorum remissionem. Hoc non præstat fides Catholica, non Spes veniæ, non timor pœnæ, non pœnitentia, non dilectio Dei invitantis gratiose ad reconciliationem, non dilectio Dei ut patris, nec ulla alia virtus. Totum hoc quantumcunque est actus hujus fiduciæ & non alterius cujuscunque virtutis.

Illud quod subjicit Bellarm. [Qui credit in filium habet vitam æternam si cætera adhibeat, quæ fides ipsa abhibenda demonstrat] Hoc itidem & nos. Nos n. omnia opera præparatoria quæ ipsi exigunt admittimus; Nec dicimus quenquam justificari nisi opibus præparatoriis supradictis ad justificationem disponatur.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Ubi solvuntur secunda & tertia Ratio Bellarmini.

2 RAtio qua impugnat Bellarmin. hanc fidem specialem in hunc modum proponitur.

Fides Justificans præcedere debet justificationem; fides autem specialis misericordiæ sequitur justificationem; Igitur fides specialis misericordiæ non est fides justificans.

Sol. Nos totum argumentum concedimus. Nos supra docuimus sæpius fidem specialem non esse fidem justificantem, idque pluribus rationibus asseruimus. Non tamen diximus ideò fidem hanc specialem explodendam penitus, quod Bellarm. acriter contendit. Pluribus quippe rationibus supra evicimus dandam esse fidem specialem; ac tum posse tum debere verè credentem in Christum redemptorem, sibi certò & verè persuadere de remissione peccatorum & sua coram Deo justificatione in particulari; posita enim fiducia in Christum Redemptorem ponitur simul & remissio peccatorum, Act. 10 43. hinc omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum; positâ item certitudine de fiducia mea in Christum Redemptorem ponitur simul certitudo de remissione peccatorum.

3. Ratio Bellarm. Fides illa specialis tollit è medio orationem, Sacramenta, bona opera, & quicquid aliud ad salutem nostram Deus instituit: non igitur fides justificans, sed fides impediens justificationem jure nominari potest. Nam si certò atque ex fide credere debeo mihi peccata esse remissa per Christum; quomodo possum cum Publicano dicere, Deus propitius esto mihi peccatori aut cum Apostolo, & Ecclesia universa, Dimitte nobis debita nostra, nisi hæsitem in fide & Deum mandacem efficiam? Hæc Bellarm.

Sol. 1. Dicimus rursus, Nos non asserimus fidem illam specialem esse fidem justificantem; sed neque fidem justificantem aut impedire aut promovere, cùm sequatur remissionem peccatorum. Interea dicimus dandam esse fidem specialem quâ fidelis certus esse potest de remissione peccatorum porro dicimus hanc fidem specialem non tollere è medio aut orationem aut sacramenta, aut bona opera. Non orationem, nam fiducia specialis misericordiæ facit ut habeamus προσαγωγὴν accessum ad Deum, Rom. 5.2. & accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, Heb. 4. 16. Spiritus Adoptionis facit ut clamemus Abba pater, Rom. 8. 15 non compellamus Deum ut patrem, nisi certioremur Spiritu adoptionis de nostra filiatione idque per fidem, Joan. 1. 12. Quotquot crediderunt, dedit iis hanc dignitatem ut filii Dei fierent & Apostolus Galat 4.6. Quoniam estis filii misit Deus Spiritum filii sui in Corda vestra clamantem Abba pater. Huc spectat illud Augustini de verb. Dom. Serm. 36. fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.

2. Quod sacramenta, tantum abest ut fides hæc specialis tollat è medio Sacramenta, ut Sacramenta Deus instituit ad confirmandam fidem nostram de remissione peccatorum, ut supra docuimus.

3. Non tollit è medio bona opera, quia potius bonis operibus indies magis certioramur, ut signis, indiciisque certis remissionis peccatorum, hinc Petrus hortatur, 2 Pet. 1. 10. ut satagamus per bona opera nostram vocationem & electionem certam facere.

At inquit Bellarm. Si certò & ex fide credere debeo, mihi peccata esse remissa per Christum quomodo possum cum Publicano dicere, Deus propi-

tius esto mihi peccatori nisi hæsitem in fide & Deum mendacem efficiam?

Sol. Resp. Verè fidelem credentem in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum posse & debere credere sibi esse remissa peccata & tamen posse cum Publicano dicere Deus esto propitius mihi peccatori, posse etiam quotidie dicere dimitte nobis debita nostra; nec tamen hæsitando in fide aut Deum mendacem efficiendo. Publicanus infirma fide credere potuit, & tamen meritò dicere Deo, Esto propitius mihi peccatori orando & ut quotidiana peccata per infirmitatem admissa condonet quotidie, & de omnium peccatorum admissorum remissione indies magis magisque certioremur; potest etiam & debet omnis fidelis cui remissa sunt peccata, orare cum Apostolis & tota Ecclesia Dimitte nobis debita nostra duplici de causâ.

1. Ratione habita peccatorum quotidianæ incursionis ut appellat Tertullian. quæ quotidiana pœnitentia abluenda sunt. Quotidie enim sordidamur, ergo quotidie sordes abluendæ.

2. Tum ratione majoris certiorationis quam expetere tenemur contra dubitationes à carne indies insurgentes, Ejusmodi precatio potest consistere cum aliqua hæsitatione aut dubitatione non tamen ejusmodi quæ Deum mendacem efficiat. Non enim omnis hæsitatio aut dubitatio in fide tollit fidem aut Deum mendacem efficit: fides potest habere aliquem modum dubitationis salvâ fide (inquit durandus) 3. dist. 23. q. 7 Et Scotus, non quævis dubitatio tollit fidem, sed dubitatio vincens & trahens in oppositum credibilis.

Thom. 99. disp. de fide Art. 1. in c. art. In credente potest insurgere motus de contrario hujus quod firmissimè tenet quamvis non in intelligente & sciente. Rursus fidei certitudo importat firmitatem adhæsionis (inquit Thom:) Non quietationem intellectus in re cognita, atque inde est quod in his quæ sunt fidei potest motus dubitationis in surgere in credente Disp. de verit. de Mente. q. 10. ar. 12. ad 6. Mat. 14. 31. cum Petrus ambularet super aquas & videns validum ventum timeret & clamaret dicens domine serva me, Jesus apprehendens eum dicens exigua fide prædite quid dubitasti? potest igitur Christo testante aliqua dubitatio cum fide consistere, Marc. 9. 24. pater Dæmoniaci orat Christum ut succurrat filio, Respondet Jesus, Si potes hoc credere, omnia possibilia sunt credenti, Respondit pater clamans cum lacrimis Credo Domine succurre incredulitati meæ.

Hic pater Dæmoniaci vere credit Christum potuisse succurrere filio, ex misericordia item voluisse & tamen precatur Christum ut sibi succurrat & adjuvet incredulitatem.

Apostolis Christi jam peccata remissa erant credendo in Christum & tamen Luc. 17. 5. dicunt domino adauge nobis fidem. Simili modo potest peccator fiducia inchoata credere in Christum ob remissionem peccatorum, unde ex tenore novi fœderis remittuntur peccata, Act. 10. 43. & tamen idem potest precari ut fiducia auctiori & firmiori credat in Christum ob remissionem peccatorum ut de remissione peccatorum certior reddatur. Qui enim petit à Deo quotidianam remissionem peccatorum dicendo Dimitte nobis debita nostra, non negat remissionem peccatorum præteritorum; sed petit peccatorum quotidianorum obrepentium remissionem & certiorationem remissionis peccatorum præteritorum.

Sed adhuc acrius urget adversarius non posse fidelem pro remissione peccatorum precari nisi hæsitet in fide & Deum mendacem efficiat. "Cur enim inquit si precarer à "Deo ut verbum ipsius caro fieret in utero virginis, infidelis judicarer & non similiter "infidelis merito judicabor si petam à Deo remissionem peccatorum; cum non minus certa fide credere debeam mihi remissa esse peccata, quam verbum, Carnem in utero virginis esse jam factum? Hæc ille.

Sol. Resp. Longe aliam rationem esse precationis illius qua quis jam precatur à Deo ut verbum ipsius jam Caro fieret in utero matris & illius qua fidelis petit à Deo remissionem peccatorum.

Nam 1. Nemo jam salva fide petere potest à Deo ut verbum ipsius jam caro fieret in utro matris; Cum quivis Catholicus rectè institutus fide credat ante mulsæcula hoc factum esse nisi hoc mysterium iterari posse credat, aut unionem naturarum semel factam solvi posse quorum neutrum salva fide à Catholico credi potest. At verè

fidelis

fidelis corde contritus & dolens de offensa Dei & de peccatis in Deum admissis & in Christum Redemptorem ejusque satisfactionem ob remissionem peccatorum totam fiduciam collocans & de fiducia sua sincera in Christum Redemptorem certus, sibique hujus intimè conscius petere potest & debet remissionem suorum peccatorum propter Christi meritum & satisfactionem absque eo quod vel in fide hæsitet vel Deum mendacem efficiat. Imò hac precatione facit quod ex officio tenetur facere, quomodo Apostoli jam credentes in Christum petunt ab eo ut fidem eorum adaugeat, Luc. 17.5. & Pater Dæmoniaci compellans Christum, Credo Domine succurre incredulitati meæ, Marc. 9.24.

Objicit rursus Bell. deinde quid opus est Baptismo, si per fidem quæ baptismum præcedere debet certus sum mihi jam remissa esse peccata? —— Quod idem dici potest de Sacramento Reconciliationis sive pœnitentiæ aliisque remediis peccatorum divinitus institutis?

Sol. Resp. 1. Etsi per fidem quæ baptismum in adultis præcedere debet certus esse potest Catechumenus sibi remissa esse peccata; non tamen certitudine continuatâ quæ semper in actu sit & vigeat & dubitationem omnem facessere jubeat è medio; sed quæ ratione carnis reliquiarum sæpe dubitationibus impugnatur & concutitur. Baptismus autem est Sacramentum institutum à Deo contra hasce dubitationes ut sit sigillum justitiæ fidei, quomodo olim circumcisio adultis se per fidem in Messiam futurum fuisse justos.

2. Pari modo à Bellarmino quærere possem, si Abraham ante circumcisionem habuit justitiam fidei teste Apostolo, Rom. 4.9. quid opus fuit ie circumcisionis signo & sigillo? Et tamen idem Apost. testatur ibid. v. 11. eum signum circumcisionis accepisse sigillum justitiæ fidei quam habuit in præputio. Non frustra igitur accepit circumcisionem cum futura esset ei σφραγις (.i.) sigillum beneficii quod prius habuit justitiæ fidei; se per fidem justum fuisse, nec de fidei justitia unquam vacillaturum in corde cujus sigillum perpetuo gestaturus erat in corpore. Circumcisioni successit Baptismus teste Apostolo Coloss. 2.11. Quare nec Baptismus frustra administratur Catechumenis fidelibus qui n. Christum vere credentes jam peccatorum remissionem acceperant cum iis per totam vitam futurus sit sigillum justitiæ fidei.

Quod vitio vertit Luthero quòd dixerit justificari hominem qui credit etiamsi forte is qui baptizat neque intendat baptizare neque baptizet in nomine Domini, immeritò exagitatur si benigna interpretatio adhibeatur. Certum enim ex tenore promissionis divinæ justificari quemvis verè contritum in Christum Redemptorem credentem, modò desiderium seu votum baptismi adfuerit. Idque docet D. Ambrosius in obitum Valentiniani junioris Catechumeni. Valentinianus Jun. adhuc Catechumenus profecturus cum exercitu adversus Barbaros in Italiam irrumpentes, cupidus ante eam expeditionem initiari Sacro baptismo, Viennæ cum esset in Gallia Sanctum Ambrosium Mediolano ut Baptizaretur accersivit, sed illo in itinere constituto, proditorum insidiis occisus est. De eo Ambrosius orat. in obitum Vallent. alloquens sorores. Quem (inquit) in evangelio regeneraturus amisi, sed ille non amisit gratiam quam poposcit: Augustin. item de bapt. contra Donat. 4 c. 22. ubi de latrone agens, ait invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere sed etiam fidem coversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest] hæc ille. Baptismus ergo non est absolutè necessarius ad justificationem multò minus intentio Baptizantis, sufficit enim intentio matris Ecclesiæ. Ubi subjungit Bellarm. idem dici posse de Sacramento reconciliationis seu pœnitentiæ aliisque remediis &c. non opus esse hisce ubi per fidem in Christum Redemptorem certus sit fidelis de remissione peccatorum.

Resp. Non opus esse hisce absolutè. Absolutio sacerdotalis suum locum habet ubi pœnitens post confessionem peccatorum Deo factam, sacerdoti etiam si opus fuerit, de remissione peccatorum adhuc anxius sit & dubius; utilis siquidem est & medium à Deo institutum ut succurratur dubiæ conscientiæ; Ac quamvis non necessaria sit ad remissionem peccati apud Deum, tamen sæpe utilis est ad remissionem peccati in foro conscientiæ, & ratihabitionem remissionis in coelis apud Deum.

CAPUT XXXV.

Ubi solvuntur quarta & quinta Rationes Bellarmini.

4 RAtio Bellarmini proprie (ipso dicente) refellit eos qui volunt fidem justificantem esse fiduciam benevolentiæ specialis: Nam tametsi fiducia obtinentiæ veniæ, qualis esse debet in homine pœnitentiam agente præcedat justificationem; tamen fiducia qua quis confidit sibi remissa esse peccata, seque Deo gratum esse & hæredem regni de qua loquuntur adversarii, pendet à bona conscientia & perseverantia in dilectione Dei & operibus bonis, ac proinde præexigit Justificationem, non illam efficit, ac per hoc non est fides justificans, sed aliquid fide Justificante posterius.

Sol. Resp. Rectè hac quartâ ratione impugnari fidem specialem adversus eos qui volunt fidem justificantem esse fiduciam specialis benevolentiæ, quomodo supra diximus de ratione 2. Nam certum est aliam esse fidem justificantem à fide speciali ut nos fusè docuimus. Addo tamen posteriorem partem hujus rationis Bellarmini non esse universaliter veram, ubi videtur asserere omnem fiduciam qua quis confidit sibi remissa esse peccata, seque Deo gratum & hæredem regni, pendere à bona conscientia & perseverantia in dilectione & bonis operibus. Nam certum est ubi quis operibus præparatoriis ad justificationem disponitur præsertim verâ cordis contritione, quæ est ultima dispositionum & simul ob remissionem peccatorum fiducialiter recumbit in Christi meritum & satisfactionem, hoc ipso ab omnibus intentatis criminibus liberatur coram tribunali divino, atque adeo justificatur ex quo gratus est Deo acceptatus ad vitam & hæres fit regni, prius naturâ quam consideretur ut bonâ conscientia fretus & perseverans in dilectione & bonis operibus, non ergo omnis fiducia qua quis confidit sibi remissa esse peccata, seque Deo gratum & hæredem regni, pendet à bona conscientia & perseverantia in dilectione & operibus bonis, ut hic supponit Bellarminus. Non inquam omnis fiducia pendet & nascitur ex bona conscientia & perseverantia in dilectione & bonis operibus, licet plærumque pendeat.

Joannes Hesselius in libro quem intitulavit, Fidei specialis confutatio, hanc fidem specialem undecim rationibus impugnavit quarum pleræque non impugnant fidem specialem quam nos asserimus, sed eorum assertionem qui confundunt fidem specialem cum fide justificante, quam nos supra variis rationibus impugnavimus; Aliam esse fidem specialem à justificante ex Syllogismo sup. commemorato apertissime evincitur.

Reliquæ rationes Hessellii coincidunt cum rationibus Bellarm. quas ille ex Hesselio fere petiit.

5. Ratio quæ proprie Calvinum respicit, Fides justificans, pacem & tranquillitatem animi parit juxta illud Apostoli ad Rom. 5. Justificati ergo ex fide pacem habemus apud Deum.

At fides illa specialis quam Calvinus docet perturbationem & desperationem mentibus adfert. Vult n. (inquit) Calvinus fide speciali non solum credi oportere nobis per Christum remissa esse peccata, sed etiam plane cognosci nos ad numerum prædestinatorum certo pertinere & fidem semel habitam amitti non posse 3. Instit. c. 2.

Sol. Resp. Fidem justificantem (*i.*) fiduciam in Christum Redemptorem pacem & tranquillitatem animi parere, ac fidem specialem qua certus esse potest, Credens in Christum, sibi remissa esse peccata & se habiturum vitam æternam. Qui n. credit in filium Dei habet vitam æternam, Joan. 3. 36. (*i.*) certus est se habiturum vitam æternam ac proinde se ex numero electorum esse cum qui verè credunt in Christum redemptorem ordinati sint ad vitam æternam, Act. 13. 48. fides siquidem vera ac viva est

est effectus electionis ad vitam æternam Joan.3.26. electio siquidem ad vitam est causa justificantis fidei atque adeò remissionis peccatorum, justificationis,sanctificationis, perseverantiæ in eisdem & vitæ æternæ,ut habetur in artic. nostræ confessionis Art.17. de prædest. & elect. & hæc omnia sunt effectus & τεκμήρια electionis, ex quibus tanquam ex signis fideles possunt assurgere à posteriori ad horum omnium beneficiorum caput & fontem, electionem sc: suam de qua fideles temporibus opportunis certi esse possunt, etsi non rarò tentationum & dubitationum nebulis obscuretur hæc fides unde Bernardus de grat. & lib. arb. in fine agens de bonis operibus, ea quæ dicimus nostra merita spei quidem sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ fœlicitatis præsagia, via regni non causa regnandi.

Idem Bernard. Epist. 107. Deo amanti homines vicem amoris non rependunt nisi revelante eis spiritu per fidem æternum Dei propositum super salute eorum futura] sunt ergo bona opera juxta Bernardum occultæ prædestinationis indicia & futuræ fœlicitatis præsagia, neque illa dubia aut incerta sed, τεκμηριώδη indicia & certa præsagia.

CAPUT XXXVI.

Solvuntur aliæ.

IDem Bellarm. lib.3. de Justificatione 8. alias rationes adducit, quibus impugnat certitudinem de remissione peccatorum in speciali, Petro, Paulo aut alii cuicunque in particulari.

Prima ratio non posse haberi certitudinem fidei de propriâ justitia, sic enim argumentatur. Non potest aliquid certum esse certitudine fidei nisi aut immediatè contineatur in verbo Dei aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam diducatur; fides enim non est,nisi verbi divini authoritate nitatur.

At in verbo Dei non continetur immediatè particularis ista propositio, talis vel talis homo verè justificatus est, exceptis paucissimis ut Magdalenâ & quodam paralytico, qui ab ipso Christo audierunt remittuntur tibi peccata tua, cæteri homines in sacris literis ne nominantur quidem, neque per evidentem consequentiam ex verbo Dei colligi potest talis propositio particularis.

Minorem probat quoad posteriorem partem. Si enim per evidentem consequentiam ejusmodi particularis propositio colligatur, tali ratiocinatione colligendum hoc est.

Omnes verè conversi ad Deum & pœnitentiam serio agentes peccatorum indulgentiam & remissionem obtinent.

At mihi evidens est mea vera conversio & pœnitentia

Ergo

Mihi certum est certitudine fidei me indulgentiam & remissionis gratiam obtinuisse.

Hujus ratiocinationis minor inquit Bellarm: non solum falsa sed impossibilis nisi adsit revelatio.

Sol. R. Primo ad majorem bifariam 1: distinguendo inter { Doctrinam fidei / Habitum & actum fidei.

V. G. quod Jesus Mariæ F. sit mundi redemptor est doctrina fidei, hujus certitudo colligitur, quod in N. Testam. sic scribitur, At quod ego credo Jesum M.F. esse

esse mundi redemptorem, est actus fidei meæ; hujus autem certitudo non habetur in bibliis, sed in intellectu meo, certitudo de priori respicit totam Ecclesiam, at certitudo de habitu vel actu fidei quæ inest intellectui hujus vel illius hominis, hunc vel illum hominem tantum spectat; ergo huic tantum patet per actum reflexum ipsius intellectus & multo clarius per internam operationem S. S. indentis certam notitiam hujus actus præstiti, ut rectissimè Davenantius in 1.c. ad Coloss.

2. Respondeo ad majorem, omnem conclusionem esse de fide dicendam quæ oritur ex altera propositione in Scripturis contenta & altera per bonam consequentiam addita, sive ex sensu sive ex ratione seu quovis alio modo certò cognoscatur.

Ad minorem R. in ratiocinatione Bellarminiana vacillare minorem sc. Mihi evidens est mea conversio & pœnitentia. Nam verè pœnitentiam agenti perspecta est sua pœnitentia, vere dolens de offensa Dei & propositum habens derelinquendi peccata cognita, & deinceps vitam novam instituendi, novit & experitur se hosce actus elicere. Sic Apost. 1 Cor. 2.12. Nos non accepimus spiritum mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo nobis donata sunt Joan. 10.4. Oves Christi, illum sequuntur quia sciunt vocem ejus & v. 14. Ego sum Pastor bonus & cognosco meas & cognoscunt me meæ, oves Christi sciunt vocem ejus. Christus Pastor bonus cognoscit oves suas & cognoscunt me (inquit) oves meæ.

In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis inquit S. Joannes 1 Joan. 4. 13.

Sed minorem probat Bellarm. 10. ex Jerem. 17.9. Cor hominis est pravum & inscrutabile, & qui cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor & probans renes.

Sol. Prophetæ institutum est ut doceat quantumcunque pravum sit & perversum cor hominis ut nihil sit ex omnibus rebus quod æquè fallax sit atque cor hominis non renati, tamen Deum non latere in quo quisque confidat in Deo ne an in hominibus. Occurrit objectioni ne quis existimet posse Deum latere, in quo quisque confidat in Deo ne an in hominibus, agitur de corde non renati juxta suam naturalem propensionem considerato; tantam sc. esse innatam cordis pravitatem & perversitatem, ut ipsi non renato imperscrutabilis sit nativa nequitia sua: At longè aliter sentiendum est de corde verè regenerati cui illuxit lumen gratiæ, siquidem verè renatis lumine gratiæ innotescit se vere dolere de offensa Dei, & propositum habere derelinquendi peccata cognita & deinceps vitam novam instituendi, ac proinde verè & sincerè pœnitentiam agere, certè æque perspecta est cuivis peccatori verè pœnitentiam agenti, sua pœnitentia & dolor de offensa Dei per peccata; atq; fiducia in Dei misericordiam quam tamen ex communi sensu omnium fidelium in semetipsis evidenter sentiunt omnes verè pii, ut supra demonstravimus cap. 25. Inscrutabilitas cordis de qua agit Propheta non impedit, quo minus peccator certò sciat se esse peccatorem teste Bellarm. l. 3. c 4. quidni igitur quin contritus, sciat certò se esse contritum & fidelis se esse fidelem?

Bellarm. l. 3. c. 4. Sect. sext. Idem Katharinus non dedignatur (inquit) testimonium accipere à Rabbi Salomone, qui hunc locum ita exponit, Nescit homo (*i.*) carnalis & peccator, at Rabbi Salomon (inquit) Regi Salomoni manifestè repugnat, de justis enim, non de peccatoribus se loqui testatur, cum ait, sunt justorum opera in manu Dei, &c.

Sol. R. Non evincitur ex contextu de solis justis agi, loquitur enim Propheta indefinitè Nescit homo, non, Nescit justus, quod si de solis justis intelligatur locus, Nescit justus an sit dignus odio, si peccet, cum tamen fatente Bellarmino carnales & peccatores facile scire possunt se dignos odio non amore si peccent vid. p. . . . Bern. certè Ep. 107:

2. Resp. Certum esse posse, & certum esse, verè contritum de veritate contritionis, de proposito item abrenunciandi omnibus peccatis & de proposito novæ vitæ, certitudine experientiæ propriæ & testimonio suæ conscientiæ; verè enim pœnitentiam agens & verè contritus certò in sese experitur, certitudine excludente omnem formidinem contrarii, se vere dolere ob offensam Dei & sincere proponere sibi vitæ novitatem & emendationem, spiritus enim S. qui indit hunc dolorem & hoc pro-

Propositum de vita nova instituenda simul indit certam notitiam horum actuum, certitudine excludente non solum omnem anxietatem sed etiam omnem formidinem contrarii; nec hoc fit extraordinariâ aliquâ revelatione, sed ex communi sensu omnium verè pœnitentiam agentium; & serio examine sui cordis, idque probatur primò ex eo quod Scriptura sumit pro confesso: sic 2 Cor. 13.5. Vosmetipsos tentate an sitis in fide, vosmetipsos probate, an non cognoscitis quia Christus in vobis est nisi fortè reprobi estis.]

Hic supponit Apostolus hac interrogatione posse hominem discernere an sit in fide, semetipsum probare posse & probando cognoscere an Christus in sese sit (*.i.*) inhabitando in se. Non potest autem homo cognoscere Christum in se esse & inhabitare, nisi cognoscat se vere dolere de offensa Dei, & pœnitentiam agere de peccatis. Similis locus occurrit 1 Cor. 11.28. Probet igitur sese unusquisque atque ita de pane hoc sumat & de calice bibat (*.i.*) probet an veram fidem & pœnitentiam habeat, an fraterno charitatis affectu ad hanc mensam accedat; hisce enim instructus dignus est conviva, & sine his nihil prosunt sacramenta; ut quid autem tam sedulo hortetur Apostolus ut nos probemus, nisi certò dijudicare possemus & non per solam conjecturam inter fidem & pœnitentiam, sinceram & fucatam, inter amorem amicitiæ & amorem concupiscentiæ, inter charitatem & cupiditatem?

Alibi etiam Propheta instat ut corda nostra scrutemur ut Thren 3. v.40. ut quid urgeret Propheta tam accuratum scrutinium, si scrutando non nisi opinio conjecturalis de pœnitentia nostra haberi potest?

II. Objicit Bellarm. Videmus reipsa multos falli qui se putant habere quod non habent. Certè B. Petrus cum dicebat Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire paratum se esse credebat mortem subire pro Christo & tamen verè paratus non erat, ut eventus ostendit.

Paulus etiam cum in Christianos fureret, magna se Dei charitate flagrare arbitrabatur & tamen ex ignorantia fallebatur: Et quis est (inquit) qui certò scit se non laborare ignorantia aliqua, non probabili, sed crassâ & ex ea peccandi affectum gerere, quem ipse non videat?

Sol. Resp. Non dubium esse quin multi fallantur qui se putant habere quod non habent, in quorum numero erat Petrus dum paratum se credebat ire in carcerem, & mori pro Christo, cum tamen paratus non esset.

Paulus item cum in Christianos fureret magna se Dei charitate flagrare arbitrabatur, & tamen ex ignorantia fallebatur; at hinc non inferri potest verè paratum non posse credere se verè paratum esse mori pro Christo, licet Petrus præsumens se verè paratum fuisse fallebatur. Aut verè Dei charitate flagrantem non posse certò scire se verè Dei charitate flagrare, nec in sic judicando falli. Licet Paulus furens in Christianos, magna se Dei charitate flagrare opinabatur & tamen ex ignorantia fallebatur.

Bellarminus concludit à majore ad minus affirmativè hoc modo, præsumens & ignorans fallantur in judicando de gratia accepta, ergo verè præditus gratia & sciens se esse præditum fallantur. Esto febricitans mel amarum judicaverit, num ideò sanus non rectè & certò judicat mel esse dulce? esto inops somnians se ingentem thesaurum possidere, fallatur, num ideo sequitur Cræsum aut Crassum non certò sibi persuadere posse se magnam pecuniæ vim in loculis repositam habere? minimè quidem.

Verissimè igitur dicimus hominem fidelem & verè pœnitentem posse certò & infallibiliter dignoscere inter veram fidem & pœnitentiam, & hypocriticam, utcunque hypocrytæ fallantur, seseque inani præsumptione eludant.

Pergit adhuc Bellarm. Et quis est qui certus sit se non laborare ignorantia aliquâ non probabili, sed crassa & ex ea peccandi affectum gerere quem ipse non videat?

Sol. R. Verè præditus gratia & sciens se præditum gratia certò scit se non laborare ignorantia aut probabili aut crassa aut ex ea peccandi affectum gerere, utcunque opinantes se gratiam habere ignorantia tali crassa laborare possunt. Nos non nisi de iis qui verè gratia præditi sunt asserimus, eos scire posse se esse in statu gratiæ.

De-

Denique objicit Bellarm. Nulla sunt clariora signa veræ conversionis & gratiæ jam adeptæ quam opera charitatis & præsertim si quis animam pro Deo ponat. At hoc ipsum (inquit) potest esse signum fallax cum Apost. dicat 1 Cor. 13.3. posse hominem sine vera charitate tradere suum corpus ut ardeat: & videmus reipsâ (inquit) interdum hæreticos pro suæ defensione perfidiæ mortem libenter oppetere, qui se Deum ardentissimè amare non dubitabant, cum tamen ne micam quidem veræ charitatis habeant.

Sol. R. Ad exempla illorum Martyrum qui pro perfidia sua mortem oppetunt nihil ex eorum exemplo adduci potest quod nostram defensionem impugnat, quippe cum tales Martyres non sint veri nominis Martyres, cum causa, non pœna faciat martyrem, Nos de verè fidelibus non de hæreticis disputamus, & de vera charitate præditis non simulatâ & fallaci charitate. Vera charitate præditi norunt se in statu gratiæ esse; non alii.

CAPUT XXXVII.

Ubi occurritur rationibus Bellarmini è Scripturis petitis primo è Proverb. 20. v. 9.

HActenus occurrimus argumentis, ex Scripturis, Traditione Ecclesiastica & rationibus petitis quibus fidem specialem explodendam esse contendit l. 1. de Justif. c. 8, 9, 10. proximo in loco occurrendum est argumentis ex Scripturis, ex testimoniis patrum, ex rationibus itidem undique conquisitis quibus certitudinem remissionis peccatorum impugnat idem Bellarm. l. 3. de Justific. quam nos variis argumentis asseruimus.

Ut autem rectius occurramus hisce Bellarm. argumentis quædam præmittenda sunt de statu quæstionis inter nos & Romanenses.

Romano-catholici docent extra casum specialis & quidem extraordinariæ revelationis neminem infallibiliter certum esse de remissione peccatorum aut illum certitudinis gradum cui nullo modo subesse potest falsum attingere aliquando: sed homines justificatos de remissione peccatorum & sua justitia ordinariè certos esse solâ conjecturali certitudine quæ anxietatem omnem excludat, quam certudinem spei appellant; quæ opinionis est potius quam fidei asserente Bellarmino. Nullo autem modo certitudine fidei, aut ejusmodi signis indubitatis quæ formididinem contrarii expellant.

Nos contra asserimus.

1. Quemlibet verè fidelem certum esse posse indubitato & esse aliquando indubitate certum, se peccatorem indulgentiam consecutum fuisse apud Deum.

2. Hanc certitudinem non semper omnem formidinem contrarii imò nec omnem anxietatem excludere præsertim in prima conversione & tempore tentationis.

3. Aliquando hanc certitudinem de adeptâ & acceptâ peccatorum remissione in homine fideli talem ac tantam esse ut omnem formidinem contrarii excludat & omnem scrupulum eximat, nimirum in seriis fidei & pœnitentiæ exercitiis præsertim post expugnatam gravem tentationem. vid. Daven. Determ. 111. p. 20.

4. Ordinarie licet non omni momento cordibus fidelium tantam vigere certitudinem de impetratâ peccatorum remissione, quæ omnem anxietatem & frequentes dubitationes actu excludat, licet non actu omnem scrupulum aut contrarii suspicionem. In eorundem tamen cordibus post diuturnos in pietatis palæstra exantlatos labores

labores, formidine consumpta, quandam jam de præsumptione veniæ nasci securitatem ut devotissimè Gregorius Epist.l.6 Ep.23. c. 187.

5. Nasci hanc dictam certitudinem tum ex verâ cordis contritione, tum ex viva fide in Christum Redemptorem; tum ex utriusque fructibus & indiciis minime fallacibus quæ indubitatis experimentis in sese sentit fidelis ac per ista de peccatorum remissione & propriâ justificatione certioratur, idque certitudine fidei licet non Catholicæ cujus objectum est generale & omnibus proponitur, specialis tamen cujus objectum speciale est & fideli tantum proponitur, estque dicenda conclusio fidei saltem mediatè ut supra dictum est.

Hisce præmissis in aciem jam prodeant copiæ Bellarmini & quidem primo quæ ex Scripturis depromptæ sunt ex testimoniis Salomonis. Primum est Proverb 20.9. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Ubi notat Bellarm. Salomonem non dixisse neminem esse mundum corde & purum à peccato: sed neminem posse dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato, posse igitur homines per Dei gratiam cor mundum habere, sed illos ipsos qui mundi sunt, hoc non posse certò scire.

Sol R. 1. Verè dicit Salomon, neminem posse dicere se esse mundum corde, non quia non potest hoc certò scire, sed quia nemo veraciter hoc dicere potest cum nemo perfectam justitiam inherentem habeat. Ait Ap. 1 Joan. 1.8. Si dixerimus nos peccatum non habere nosmet ipsos fallimus & veritas in nobis non est, hunc locum Lutherus rectè exponit de prava concupiscentia quam ex hoc loco probat semper peccatum esse cum nullum aliud peccatum in nobis perpetuo maneat & monet Apostolum dixisse, non habuimus, sed habemus ut in iis etiam qui virtute vincant cæteros inesse peccatum intelligamus. Ipse David orat Psal. 143. Ne intres in judicium cum servo tuo quia in conspectu tuo non justificabitur ulla caro Psal. 51-2. amplius lavari adhuc petit Davides. Paulus agnoscit in se justificato adhuc inesse peccatum inhabitans Rom. 7.20. quo tempore etiam se in Christo esse & à reatu peccati liberatum esse dicere non dubitavit Rom 8.1. Inhærentia ergo peccati inhabitantis potest in justificato cum ejusdem remissione per fidem in sanguinem Christi consistere, ratione ergo hujus peccati inhabitantis nemo potest aut scire aut dicere se esse mundum corde, atque in hunc sensum locum hunc interpretatur Chrysost. Hom 6. in Terræ motum & Lazarum licet justus sit quis, licet millies sit justus & ad culmen ipsum ascenderit, ita ut expers sit peccati non potest esse mundus à sorde ὐ δύναται καθαρὸς εἶναι κηλῖδος non potest mundus esse à macula vel sorde licet millies justus sit, est tamen homo; quis enim gloriabitur castum se cor habere? aut quis confidit mundum se esse à peccato? & postea impossibile est igitur ut nullus homo sit à peccato immunis.

2. Respondet Cajetanus in locum. Juxta Hebræum, Quis dicet, mundavi cor meum? purgavi à peccato meo? quasi dicat, nullus, non est enim hominis operatio purgare cor & purgare illud à proprio peccato. Hoc enim opus misericordiæ reservatur divinæ, hominis enim opus est peccare & inquinare. Cor autem mundare Dei est. Juxta illud perditio tua ex te Israel, salus autem ex me. Catharinus etiam imitatus Cajetanum respondet in Hebræo esse, Quis potest dicere, Mundavi cor meum & purificavi me à peccato meo, proinde reprehendi hoc loco superbiam eorum, qui suis viribus existimabant se posse justificari; non autem prædicari incertitudinem propriæ gratiæ.

Cajetanus & Catharinus proculdubio explicant literalem sensum quem præ se ferunt verba in Hebræo contextu qui certè literalis sensus præ cæteris recipiendus est.

Quomodo etiam Mercerus, Pagninus & Arias Montanus reddiderunt quoad priorem clausulam, & interpretes nostræ versionis vernaculæ. Sic etiam ex Hebræo reddit Symmachus. Τὶς ἐρεῖ ἐλαμπρυνα τὴν καρδίαν μου lucidum & clarum reddidi cor meum.

Audacter satis hic Bellarminus, Mundavi cor meum, significare, Mundum est cor meum, potuit æquè dixisse idem sonare ego justificavi meipsum, atque ego justificatus sum; cum tamen solius Dei sit justificare peccatorem. Deus est qui justifi-

cat, quis condemnabit? inquit Apost. Rom. 8. At quilibet verè & sincerè pœnitentiam agens & recumbens in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum potest veraciter dicere dictante conscientia, in seriis exercitiis fidei & pœnitentiæ mihi remissa sunt peccata, ego à peccatis meis, Dei misericordia absolutus sum. Idque absque omni suspicione vel temeritatis vel arrogantiæ.

CAPUT XXXVIII.

Solvitur ratio ex Ecclesiast. 9. 1.

SEcundus locus quem adducit Bellarmin. & communiter Romanenses, desumitur ex Eccles. 9. 1. Sunt justi & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta; hinc infert, ergo justi non possunt scire an amentur à Deo necne.

Sol. Resp. 1. In Hebræo textu multo aliter legi quam in vulgata versione, in hunc modum, Nescit homo vel dilectionem vel odium, sed omnia sunt ante eos: vel ut Arias Montanus etiam amorem etiam odium non sciens homo omnia ad facies eorum, & v. 2. Omnia sic eveniunt tanquam esset unus omnibus eventus, justo & impio, bono & malo, mundo & immundo. Et ver. 3. Hoc malum in omni eo quod factum est sub sole, quod omnia habent unum eventum.

Ex quibus omnibus eruitur iste sensus, Quod ex eventis externis non possit judicari an placeamus, an displiceamus Deo, cum universa æquè eveniunt justo ac injusto.

Frustra igitur asserit Bellarminus, Hieronymum secutum fuisse sensum, non verba, cum sensus pro quo contendit Bellarmin. nullo modo ex Hebræo fonte aut Græca versione colligitur, nisi vim Manifestam textui inferre velimus.

2. Ipsi Romanenses agnoscunt posse hominem justum eam certitudinem habere de sua præsenti justitia quali credunt urbem Constantinopolitanam jam existere, sic Dominicus Soto, summâ scil. fide humanâ, imo tam certâ & firmâ fide ut non sit (inquit) in potestate mea aliter credere.

Ipse Bellarminus contendit hominem posse tantam certitudinem habere de sua præsenti justitia quæ omnem anxietatem excludat licet non omnem formidinem contrarii. Quomodo igitur urgere potest ex hoc loco neminem scire an à Deo ametur necne, imò planè hoc nescire omnem hominem.

3. Si sensus Bellarmini obtineret, nemo ne sceleratissimus quispiam quamvis peccet contra conscientiam, Non Cain, non Judas scire poterit, an odio dignus sit coram Deo Necne, cum Salomon dicat, Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.

Ipsi Romanenses plærique nostram interpretationem admittere coguntur, Alphons. de Castro in posterioribus editionibus relicto sensu quem urget Bellarm. Nemo aliquid horum (inquit) sitne in gratia necne, scire potest ex consideratione rerum externarum sive prospera sive adversa, quia hæc omnia possunt justo perinde ac peccatori contingere—— Et post, rejecto ergo illo testimonio propterea quod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius, oportet aliunde capiamus testimonia.

Cajetanus in locum in fine c. 8. Nescimus an Deus tanquam amans aliquem gubernet eum per adversa, & similiter an tanquam odio habens aliquem gubernet eum per adversa, idemque dicit de prosperis.

Sal-

Salmeron item Jesuita in 1 Cor. 12. disp. 14. Hic locus (Eccl. 9. 1.) nequaquàm probat quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem Dei erga se, quia sequitur in textu, nescit an amore vel odio dignus sit, at impii propter maxima sua scelera nôrunt se maximè dignos esse odio Dei.

Et Katharinus in assert. 1. de certitudine gratiæ de hoc ipso loco agens, qua sententia (inquit) negari certitudinem gratiæ plærique volunt, nec perspexerunt si hoc negetur, simul certitudinem negari præsentis odii Dei, nam sicut sapiens dicit, Nescit homo an sit dignus amore, ita dicit nescit homo an sit dignus odio. Quod certè (inquit) falsissimum est, si sic simpliciter intelligatur. Ipse Bellarminus fatetur carnales & peccatores facilè scire posse se odio dignos esse, non amore l. 3. c 4 de Justif. sed excipit Bellarm. Salomonem hic non loqui nisi de justis, nam in verbis præcedentibus, sunt justi & sapientes & opera eorum in manu Dei & ex Comment. Hieronym. hunc sensum elici vult.

Sol. At hoc inquit Catharinus ubi supra, & sine authoritate dicitur & contra proprietatem verborum; legimus enim indefinitè nescit homo, non autem nescit justus; præterea (inquit) omnes authores quos legi (vidi enim plurimos) illum locum secus exposuerunt. Signanter B. Hieronymus——qui vult non quod non possit sciri amor, aut odium Dei, sed quod non potest sciri ex fortuniis & infortuniis quæ in hac vita contingunt bonis & malis. Item horsum allegat Bernard. Epist. 107. ad Thom. de Beverley, non ergo de solis justis & sapientibus loquitur, quorum opera sunt in manu Dei, sed in genere pronuntiat. Nescit homo quam appellationem universaliter sumi, ex sequentibus evincitur; omnia sic eveniunt tanquam esset unus omnibus eventus, justo & impio, bono & malo mundo & immundo, ubi Salomon terminum indefinitum universaliter exponit & eundem in justos & impios bonos & malos, mundos & immundos dispescit, Non ergo de solis justis pronuntiat quod nesciant an sint odio vel amore digni sed universaliter enuntiat, neminem hoc scire ex eventibus externis cum justo & injusto. Eadem in hac vita æque contingunt. Non ergo ex hoc loco inferri potest incertitudo amoris vel odii simpliciter, sed tantum incertitudo ex eventibus prosperis vel adversis quoniam hosce justo & impio communes esse pronuntiat. Salomon v. 2. Omnia sic eveniunt tanquam unus esset omnibus eventus, justo & impio. Ex adversa ergo fortuna justus non potest colligere se esse in odio Dei, nec ex prosperâ se esse in amore Dei, Hinc apertè colligitur loqui Salomonem de notitia quæ habetur ex eventibus externis.

Regerit Bellarminus non necesse esse ut ratio æquè late pateat atque ipsa conclusio quæ ratione probanda est. Salomon igitur rectè probat non posse homines justos certò cognoscere utrum diligantur à Deo quia si id possent certò cognoscere, maximè cognoscerent ex beneficiis Dei, at beneficia Dei communia sunt justis & impiis, & universa æquè eveniunt justo & impio——similiter & flagella. Ita nec beneficia nec flagella divina, nec odii nec amoris certa sunt indicia.

Sol. R. 1. Agnoscimus non necesse est, ut ratio æquè latè pateat atque conclusio; potest enim esse angustior, nunquam tamen latius patet quod omnes Logici docent & evidens ratio convincit. Conclusio enim est effectus præmissarum. Nihil autem est nec esse potest in effectu quod non sit vel fuerit in causa vel formaliter vel eminenter. Quare cum ex eventibus justis & impiis communibus incertitudinem gratiæ Salomon probet, non rectè infertur inde absoluta & universalis conclusio, quod simpliciter & nulla ratione homo scire possit se in gratia esse quod non per gratiam, attestante hoc conscientia, verè justi certi esse possint de sua justitia. Hoc (inquam) non rectè infertur. Negata enim una certitudinis causa non ideo negantur reliquæ omnes. Negata certitudine ex iis quæ impiis & justis communiter accidunt eventis non illico omnis certitudo gratiæ negatur.

2. Esto Salomonis ratio formetur eo modo quo contendit Bellarminus non tamen inde incertitudo gratiæ colligitur. Si justi possunt certò cognoscere se à Deo amari maximè (inquit) cognoscerent ex beneficiis Dei. At non cognoscunt ex beneficiis Dei.

Ergo non omnino.

Sol. Resp. Admissa M. propositione negatur Minor; etsi enim ex beneficiis communibus, non cognoscunt quæ ex æquo conferuntur piis & impiis, qualia sunt bona corporis & bona quædam animæ & bona fortunæ quæ dicuntur, tamen quædam sunt bona animæ spiritualia quæ piis sunt propria, qualia sunt pœnitentia & fides viva in Christum Redemptorem, pax item & tranquillitas conscientiæ, gaudium item spirituale & spes quæ non confundit quorum meminit Apostolus ad Roman. 5. Dilectio item fraterna, cujus meminit Sanctus Joannes Epist. 3. 14. Nos scimus quod translati sumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; ex ejusmodi beneficiis & donis spiritualibus certissime colligunt verè pii se à Deo diligi & in statu gratiæ esse atque hæc dicta sunt de secundo loco quem urgent in hac causa Adversarii.

CAPUT XXXIX.

Solvitur ratio ex Ecclesiastici cap. 5.

TErtius locus est Ecclesiastici viz. de propitiato peccato noli esse sine metu; neque adjicias peccatum super peccatum & ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, hic locus mirificè (inquit) pungit hæreticos. Ipsi enim propriè illi sunt, qui ubi fide visi sunt Christi justitiam apprehendisse nullo deinceps metu tanguntur & quamvis adjiciant peccatum super peccatum, putant sibi salutem perire non posse, quia miseratio Domini magna est & credentibus non imputat multitudinem peccatorum quos sane vanissimos (inquit) Ecclesiastes judicat, cum ait, sunt impii quia ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Sed & hoc vanissimum judico.

Sol. Resp. Esto, hæreticos pungat iste locus, at Orthodoxos ne tangit quidem:— Græcus contextus Syracidis——Nihil concludit contra certitudinem remissionis peccatorum——Sic enim habet περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις De propitiatione, ne sine timore sis in abundantia ad addendum peccata peccatis, vel ut reddit Vatablus, de venia ne sis nimium securus, ut peccata peccatis cumules. Sensus est noli præsumere addendo peccato peccatum spe expiationis obtinendæ: hanc interpretationem confirmat versus sequens & ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Et cap. 21. 1. Fili peccasti non adjicies iterum: sed & de pristinis deprecare & tibi dimittantur.

Jansen. in loc. Intelligitur hic locus de obtinenda remissione peccati perpetrati contra præsumptionem non de propitiatio pro perpetrato, ut vulgata habet cui textus repugnat. Christoph. à Sacro bosco in Defensione Bellarmin. contra Whitakerum part. 3. c 6. Sect. Rursus Jansenius intelligit hunc locum de præteritis peccatis. Bellarm. de futuris sed Jansenii expositio est probabilior: intelligitur (inquit) hic locus de propitiatione futura tum quia Græca ad verbum expressa ita se habent.] de propitiatione noli esse sine metu ut adjicias peccata peccatis tum quia sequitur v. 6. Ne dicas Deus peccatorum meorum miserebitur] hæc ille.

Quid ad hæc Bellarm. Siracidem non loqui de propitiatione futura sed præterita. Nam de futura adjungit quæ sequuntur & ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, addit etiam alium locum cap. 21. 1. Fili peccasti ne adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur, ubi duplicem sollicitudinem adjungit, unam pro futuris, alteram pro præteritis.

Sol. R. in Græco contextu Siracidis habetur περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου de propitiatione ne sis sine metu quod intelligendum est non de impetrata propitiatione post actam pœnitentiam, sed de impetranda per carnalem securitatem & misericor-

ricordiæ divinæ abusum hinc enim mox adjicit Siracides, ut peccata peccatis cumules. Sensus est ut antea diximus; Noli præsumere addendo peccato peccatum spe expiationis obtinendæ atque adeo portam licentiæ peccandi aperiendo.

Atque ita c. 21. 1. à carnali securitate dehortatur, ut pro peccatorum præteritorum remissione potius humiliter Dominum exorandum quam in peccatis indulgendis pergendum esse docet.

At hinc nihil inferre potest contra certitudinem remissionis peccatorum. Debemus (inquit) Syracides pro peccatis perpetratis deprecari; quis hinc inferre potest, ergo de peccatorum remissione certi esse non possumus?

Sed excipit Bellarminus, Ideo de propitiatione futurâ non posse nos certos esse, quia nescimus an habebimus spatium pœnitentiæ.

Sol. Resp. Esto id verum de iis qui securè indulgent peccatis & de agenda pœnitentia non cogitant, at de fidelibus lapsis in grave peccatum aliter sentiendum; quibus Deus ex misericordia succurrit & gratiosa promissione. Justus si ceciderit non collidetur quia Dominus supponit manum Psal. 37.24. & rursus Ego pascam oves meas, perditam requiram, abjectam reducam, contractam obligabo, ægram consolidabo, Ezek. 34.15. Item, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, inquit Servator, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Joan 4.14. Ex istis gratiosis promissionibus possunt fideles lapsi in gravia peccata, concipere spem veniæ & sperare Deum, interveniente pœnitentia sibi propitium futurum.

At adhuc instat Bellarminus. Quis autem potest certus esse præsertim fide divinâ, se veram habere conversionem & pœnitentiam.

1 Sol. R. Certum esse posse verè resipiscentem de sua pœnitentia, cum enim pœnitentia sit non aliud quam dolor de offensa Dei cum proposito de cætero non peccandi. Qui verè & serio dolet de offensa Dei, simulque serio tibi proponit in posterum non peccare certitudine experientiæ novit sese hos actus elicere, vid. sup. p. · : ·

Hic tamen addo ad majorem certiorationem supra p. · : de veritate pœnitentiæ.

1. Experientiam verè pœnitentis comitem habere ordinariam illuminationem sp. sancti, ut non opus sit speciali immediata & extraordinaria revelatione.

2. Hanc ordinariam illuminationem sufficere fideli extra tentationem ut certiorari possit de actus sui veritate & sinceritate absque dubitatione anxietate, hæsitatione & in seriis exercitiis fidei & pœnitentiæ & devotis precibus absque formidine contrarii. Ubi hæc omnia concurrunt certus esse potest verè pœnitens se veram pœnitentiam habere idque fide divina.

In historia Concilii Tridentini lib. 2. p. 162. Edit. lat. Andreas Vega tantam certitudinem gratiæ asserebat quæ dubitationem omnem excluderet neque fallere posset sed eam pro fide Christiana noluit agnoscere verum humanâ tantum & experimentali, & similitudine sententiam suam explicans: sicut (inquiebat) qui calorem habet certus est se eum habere expersque sensus esset si de eo addubitaret: ita qui gratiam in se habet, eam sentit neque dubitare potest quin eam sentiat sed animi sensu non divina revelatione.

Alteri vero certitudinis Patroni (inquit Author Historiæ) ab Adversariis coacti animi sui sensum disertis verbis exprimere utrum crederent hominem posse certitudinem gratiæ habere an verò etiam hominem putarent ad id credendum teneri: Et utrum fides ea divina esset an humana tandem professi sunt. Quandoquidem fides ea exhibeatur testimonio sp. sancti non posse eam relinqui hominis libertati; cumque unusquisque teneatur credere revelationibus divinis fidem illam non aliter nuncupandam quam divinam.

Hæc Author historiæ ubi videmus Andream Vegam tantam certitudinem asserere nos habere per actus nostros experimentales gratiæ v. g. pœnitentiæ seu fidei quæ dubitationem omnem excluderet nec fallere posset.

Ea certitudine qua qui calidus est certus est se calidum esse, quia alioqui sensus expers esset, si dubitaret hanc tamen esse mere humanam & experimentalem. Alios tamen in Synodo cordatiores theologos hac non acquievisse certitudine sed certitudinem

dinem illam non esse aliter nuncupandam quam rectitudinem fidei divinæ. Isti Theologi non verebantur pronuntiare certum esse posse hominem fidelem de suâ conversione & pœnitentia fide Divina.

Ad ea quæ adjicit Bellar. l.3.c.4. §. Ultimo, facile respondetur cum nitantur calumnia sæpiùs depulsa, quod juxta sententiam nostram homo certo credat sibi esse remissa peccata ob id solum quia credit sibi esse remissa. Vid. supra, p. : : :

CAPUT XL.

Ubi respondetur Testimonio & exemplo Jobi & Davidis.

BEllarm. lib.3.de just. c.5. Secundo loco petit argumentum ad impugnandam certitudinem de remissione peccatorum à testimonio & exemplo trium perfectissimorum hominum Job, Davidis & Pauli—— qui non audebant sibi certitudinem propriæ gratiæ arrogare, quis ergo (inquit ille) qui de propria justitia non formidet?

1. Producit testimonium & exemplum Sancti Jobi, Job 27.6. Non reprehendit me cor meum in omni vita mea] Jobus c. 9.12. si venerit (inquit) non videbo eam; si abierit non intelligam, item ver. 15. Si justificare me voluero os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit, etiamsi simplex fuero hoc ipsum ignorabit anima mea & ver.28. verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti & c.31.14. Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Dominus, & cum quæsierit quid respondebo illi addit ex Gregor. lib. 9.Moral.c.17. & 19. Paraphrasin verborum Jobi in eandem sententiam.

Sol. Resp: 1. Tres istos viros rectè perfectissimos dici, respectu aliorum imperfectiorum non absolutè ac si ita perfecti fuerint ut peccati expertes essent, Esto cæteros præcellebant innocentiâ & justitiâ, nævis tamen suis non carebant.

2. Respondeo ad locum citatum è Job 27.6. cum dicat non reprehendit me cor meum in omni in vita mea] Non hoc dictum ac si in vita sua nihil peccaverit sed ut habet Pagninus non probris afficiet me cor meum à diebus meis] ostendit se propositi tenacem esse & justitiam suam retenturum nec ab ea suasionibus ullis dimoveri velle.

3. Resp. Ad loca quæ à Sancto Jobo allegat ut Jobum probet dubitasse de sua salute, nec certitudine fidei, de illa rectum fuisse nec ausum fuisse certitudinem propriæ justitiæ & gratiæ arrogare.

1. Ex locis citatis non aliud evinci quam operum nostrorum imperfectionem, si sistantur coram tribunali Divino nec quequam propria justitia coram Deo esse justum. Idque evincitur ex ipsis verbis ex toto contextu & scopo etiam & intentione Jobi si loca inspiciantur, alibi enim vir sanctus confidenter pronunciat etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eo Job 13.15. ibid. ver. 18. scio quòd justus ero seu quòd justificabo me nempe coram vobis innocens Criminum quorum me accusatis & cap.19. 25. fiducialiter pronunciat, scio quòd Redemptor meus vivit & in novissimo die surrecturus sum è pulvere & in carne mea videbo Deum.

Ex dictis ergo locis esto rectè infertur imperfectio justitiæ at incertitudo remissionis peccatorum nullatenus evincitur. Id ipsum evincitur è dictis Gregorii citatis è 9. moralium quid de aliis loquar qui ipse pro me testimonium ferre non valeo.] Scil. de meæ justitiæ perfectione, & postea si subtili discussione nós requirimus, plerunque inter vitia virtutesque caligamus] Et rursus conditoris judicia contra me quâ temeritate redarguo qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro.] Hic Gregorius agnoscit mentis

mentis nostræ caliginem in vitiis & virtutibus discernendis; atque adeo nostræ justitiæ imperfectionem, non item incertitudinem. Esto conscii simus de nostra ignorantia in justitia nostra dignoscendâ, an sit conformis legi dei necne, non tamen ideo incerti sumus & dubii de remissione peccatorum. Qui enim justitiæ suæ penitus abrenunciant in negotio justificationis & fiducialiter recumbunt in misericordiam Dei & sanguinem Christi Redemptoris ob remissionem peccatorum; iis hoc ipso remittantur peccata non obstante justitiæ suæ inhærentis aut ignorantia aut imperfectione quam Gregorius ubique agnoscit. Idem Greg. Moral. 31. c. 23. Justus (inquit) quasi Leo confidens absque terrore erit. In occursu bestiarum Leo ideò non trepidat, quia prevalere se omnibus non ignorat. Unde justi viri securitas Leoni Comparatur, quia contra se cùm quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit quod cunctos adversantes superat quia illum solum diligit quem invitus nullo modo amittat] Hæc ille. Hic Gregorius prædicat confidentiam justorum quæ nullis adversantur terroribus concutitur sed, contra omnes insurgit & omnes superat.

2. Affert Testimon. Davidis Psal. 19 delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine & ab alienis parce, servo tuo.] S. Hieronimus lib. 1. & 2. contra Pelag. & St. Bernardus, Epist. 42. sententiam hujus loci esse volunt, neminem esse justorum qui plenè intelligat careatne peccatis an non. Et quamvis (inquit) hic locus interdum exponi soleat de peccatis venialibus, tamen probabilius est extendi ad omnia cum sententia sit generalis & nihil sequatur absurdi, si generaliter exponatur. Præterea distinctio peccati mortalis & venialis nihil juvat adversarios qui omnia peccata mortalia esse contendunt.

Sol. Resp. 1. Neminem certum esse posse careat ne peccatis an non (*.i.*) ita careat ut sit perfectè justus. Davides autem non solum incertus erat de perfectione justitiæ propriæ sive habitualis sive actualis; ut etiam expresse negaret eum coram Dei judicio subsistere posse, Psal. 143. 2. ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens & Psal. 130. 3. si peccata imputare volueris quis sustinebit? Et Psal. 32. 6. pro hac (*.i.*) peccatorum remissione orabat ad te omnis Sanctus; Agnovit ergo Davides peccata occulta, defectus culpabiles adhærentes, reliquias peccati inhabitantis, actualis justitiæ imperfectionem proinde horum remissionem supplex rogavit. Idem tamen alibi ait. Benedic anima mea Dominum —ipse ignoscens cunctis iniquitatibus tuis, ipse medens omnibus ægritudinibus tuis Psal. 103. 3. Idem Psal. 32. 5 Dixi confitebor Domino prævaricationes meas & tu abstulisti iniquitatem peccati mei.] David non gratias ageret de peccato remisso, nisi certus fuisset de remissione.

Rursus cum primum induceret in animum se suppliciter a Deo petiturum remissionem peccatorum illicò remissa sunt peccata & de hac remissione certus erat; porrò Davides ubique profitetur se certum fuisse de actibus fidei & fiduciæ à se elicitis, non dubium aut anxium. David, Psal. 25. 2. Domine Deus meus in te confido, non erubescam.] Certus erat se in Deo confidere ac proinde infert se non afficiendum pudore, & Psal. 71. 1. In te Domine speravi, non confundar in æternum & 71. 1. Miserere mei Deus—— quia in te confidit anima mea] certus erat de confidentia sua in Deum, ergo & de misericordia Psal. 125. 1. Qui confidunt in Domino sunt sicut mons Sion? Quorsum proponit hanc promissionem & literis consignavit si nemo certus esse potuisset de sua in Domino confidentia?

CAPUT

CAPUT XLI.

Ubi respondetur testimonio Pauli, 1 Cor.4.4.

3. AFfert testimonium Pauli 1 Cor.4.4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.] Ostendit (inquit) judicium de nostra justitia Deo relinquendum esse cùm ne nos quidem ipsi nos plenè cognoscamus. Mihi(inq.) pro minimo est ut à vobis judicer aut ab humano judicio (i.) non magnifacio aliena judicia de me quia non ignoro quam sint incerta. Sed neque meipsum judico (i.) nec meo judicio fidere audeo, quoniam etiamsi mihi nihil conscius sim tamen non in hoc justificatus sum (i.) non ideo justus sum quia bonam conscientiam habeo. Fortasse enim Deus videt in conscientia mea id quod ego ibi non video. Qui autem judicat me Dominus est (i.) solus Deus est verus judex, ille solus omnia novit & tunc verè justum me putabo cum Dominus me justum esse pronuntiabit. Nolite itaque ante tempus judicare quousque, veniat Dominus qui revelabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium & tunc laus erit unicuique à Deo.

Sol. R.1. Certum est hunc locum non intellexisse Paulum de justitiæ suæ incertitudine cùm & ipsi Romanenses ultro fateantur, speciali revelatione divina Paulum de sua justitia certum fuisse. Et præterea ex ipso Apostolo hoc ipsum pluribus in locis evincitur qui sæpe hoc profitetur ad Rom. 8. 38. Certus sum (inquit) quia neque vita, neque mors, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam posse nos separare à caritate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro, Confidenter item alibi dicit, 2 Tim.4.8. Quod superest, reposita est mihi corona quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex. Non tam fidenter locutus fuisset si vel dubius fuisset de justitia sua aut de ea conjectura tantum probabili niteretur.

Porrò num existimabimus eum de remissione peccatorum dubitasse qui dicit Rom. 5.1.Justificati fide pacem habemus apud Deum & gloriam sub spe gloriæ Dei?] Unde nihil minus ex hoc loco colligitur quam Paulum de sua justificatione dubitasse, aut se non justificatum esse absolute significare voluisse, in eo enim mendax fuisset. Dicendum ergo locum istum intelligendum esse vel de fidelitate in ministerio vel de studio, praxi & exercitio bonorum operum in genere

Juxta primam interpretationem ideo, ergo tantum dicit se justificatum non quod in munere suo Apostolico fungendo nihil sibi conscius esset quod enim dicit se non se ipsum judicare sed judicio Dei sese subjicere id non intelligendum de judicio salutis propriæ vel de suæ personæ justificatione, sed de justificatione fidelitatis suæ in munere Apostolico obeundo, adversus eos qui ejus ministerii dignitatem imminuere conabantur, & aliorum ministerium supra ejus efferre satagebant ut sensus sit. Nihil mihi quidem conscius sum ac si negligens fuissem in functione meâ administrandâ aut munere obeundo, attamen non propterea sum justificatus nec ausim me absolutè justum pronuntiare, aut fidelitatem omnimodam & undiquaque perfectam allegare quia ignoranter & involuntariè peccare potui: Dominus autem est qui judicat ille novit an muneri meo plenariè satisfecerim necne. Hæc est literalis loci interpretatio. Eumque ferè sequitur Cajetanus. Hæc autem nullo modo Romanensium dubitationem de remissione peccatorum confirmat. Ita enim argumentaretur Apostolus hoc modo.

Ignoramus an fidelitate debita usi sumus in prædicando Evangelio Ergo dubitandum an peccata nobis remissa sunt.

Sin verba Apostoli de exercitio bonorum operum in genere intelligantur rursus ne-

nequeunt ex hoc loco incertitudinem justificationis colligere Romanenses ob rationem dictam, Num enim existimabimus de peccatorum remissione dubitasse. qui dicit, Rom.5.1.Justificati fide, pacem habemus apud Deum & gloriamur sub spe gloriæ Dei.

Præterea D. Paulus non loquitur dubitanter, nescio an hinc sum justificatus; verum asseveranter loquitur & Categorice pronuntiat, Non sum in hoc justificatus. Derogat ergo & denegat omnem justificationem & vim justificatoriam suis operibus in hunc sensum ergo quoad graviora delicta, nihil mihi conscius sum, sed scio me bonis operibus pro virili operam dedisse tamen vicissim scio quod istis meis operibus non sim coram Dei tribunali justificatus quod iis justitiam & salutem habere nequeam, quoniam 1. sunt debita, 2. sunt imperfecta, 3. admiscentur multis levioribus & venialibus peccatis.

At quam invalida est ista consequentia: Ex operibus nemo justificatur, nec de remissione peccatorum, ex operibus potest esse quis certus,

Ergo

Non omnino potest esse quis certus de remissione peccatorum. Cum certus esse possit, tum ex vera & sincera cordis contritione tum ex vera & viva fide in Christum Redemptorem, tum ex utriusque fructibus & indiciis minime fallacibus quæ indubitatis experimentis in se sentit vere fidelis,ut ante docuimus.

Porrò rectè respondent P. Martyr in locum, & Kemnitius in examine Concilii Trident. Apostolum significare, se contra maledicos & obtrectatores innocentiam suam testari, tamen coram Deo se non esse justum ex ulla virtute aut qualitate, aut opere bono, sed ex sola misericordia qua propter Christum peccata credentibus in eum non imputat.

Regerit Bellarm. lib.3.c.5. Hæc expositio primum absurda esse convincitur, ex illis verbis; Nihil mihi conscius sum: Nam vel significant hæc verba, Non agnosco in me ulla peccata, quasi revera in me existentia & inhærentia; vel significant, video peccata mea per misericordiam Dei tecta, & ideo existimo non esse amplius mea, quamvis in me sint & vivant.

Si dixerint primum, Falsum erit Apostolum non fuisse justum coram Deo ex ulla virtute & qualitate; quomodo enim non est justus ex interiori puritate & virtute, si revera multum in eo peccatum inhæret.

Si dixerint secundum; Falsum erit illud, Non in hoc justificatus sum. Nam si Paulus nihil sibi conscius erat, quia peccata non imputari sibi, & per non-imputationem tecta esse credebat; certe per hoc ipsum justificabatur ex sententia Lutheranorum.

Sol. R. Horum sensuum neutrum textui competere; cum enim Apostolus dicat, Nihil mihi conscius; non immunitatem ab omni peccato inhærenti sibi vindicare voluit, cum alibi Rom.7.17. agnoscat in se peccatum inhabitans, & legem membrorum legi mentis repugnantem ibid. v.25. etiam in se renato: & carnem concupiscentem contra spiritum: Galat. 5.17. sed immunitatem à peccatis gravioribus conscientiam vulnerantibus turbantibus & inquietantibus.

Rursus cum ait, Non in hoc justificatus sum; non negat simpliciter se esse justificatum, cum diserte pronuntiet de se & aliis; Rom. 5.1. Justificati fide, pacem habemus apud Deum: sed in hoc se justificatum esse negat, quia justitia illa bonæ conscientiæ coram severi judicii Divini examine consistere se posse negat; cum nævis suis se non carere optime nôrit: Unde David petit à Deo, Psal.143.2. Ne intres in judicium cum servo tuo, qnia in conspectu tuo non justificabitur omnis vivens.

Unde Augustin. in locum: Quantumlibet rectus mihi videor; producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & pravus invenior: & de peccat. mer.& rem.2.c.19.Quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus; Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et de Civitat. Dei 21. cap. ultim. & in Psal. 147. Si Deus absque misericordia judicaret, inveniret in unoquoque, unde eum damnaret.

Ipse Apostolus Paulus Philip. 3.8. Omnia duco pro stercoribus, ut Christum lu-

lucrifaciam; & inveniar in illo non habens meam justitiam, justitiam meam quæ est ex Lege; sed illam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo est, quæ ex Deo per fidem.]

Hic Apostolus abdicat suam justitiam, & ad illam solummodo confugit, quæ est per fidem in Christum: Cujus eximius fructus erat, ut dicere Posset, Nihil mihi conscius sum: unde & alibi in hunc modum loquitur, 2 Cor. 1. 12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo, abundantius autem ad vos: Et ne existimemus, non obstante hoc conscientiæ testimonio posse hominem adhuc relinqui dubium & anxium de veritate fidei, aut pœnitentiæ; Audite Augustinum in Plas. 149. Est modus gloriandi in conscientia, ut noveris fidem tuam esse sinceram, spem tuam esse certam, ut noveris charitatem tuam esse sine simulatione.

Supponit Augustinus, hominem posse dignoscere fidei, Spei & charitatis veritatem & sinceritatem; atque ex actu hoc reflexo nasci gloriationem Conscientiæ.

Et Apostol. Johan. 1 Joan. 3. 21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.] Ex hisce constat, eos qui bona conscientia freti ambulant in fide Christi, sibi multum fiduciæ acquirere, cum sese sistant coram Deo: ac proinde Apostolum cum ait, Nihil mihi conscius sum, procul absfuisse à dubitatione de remissione peccatorum.

Ut autem rem totam altius repetamus, Constat ex hac Epistolâ contentiones & dissidia extitisse inter Corinthios quorum nonnulli magnifaciebant Doctores suos, alii alios, ipsis etiam præconibus hunc plausum suorum auditorum approbantibus, unde & alii supra alios sese efferebant: Apostolus autem sub nomine suo, Apollos item & Cephæ instruit Doctores hosce, ne affectent hosce populi applausus, hortatur ut satis esse ducant, si eodem ordine habeantur cum aliis Christi ministris; & sese gerant fideliter erga eum (Christum) cujus Oeconomi sunt, & in omnibus studeant pro virili Domino placere, nec de sese supra quam par est sentiant, eo quod ab aliis magnifiant, quia homines eos non satis norunt, nec de iis rectum judicium ferre possunt.

Addit, de sese non posse recte judicare alios, cum ipsi de nobis rectum judicium ferre non noverimus, cum in summa nostra innocentia ut nobis videtur, tamen coram Deo nosmet-ipsos justificare nequeamus; Et cum nihil nobis conscii simus, tamen apud eum multifariam rei simus, quia in nobis Deus conspicit quæ in nobis non conspicimus; & iniquitates in nobis detegit, quas in nobis nos detegere nequimus; adeò ut in ejus conspectu superiores forsan reperiantur, qui nobis inferiores videntur, & ut meliores probantur qui humano judicio deteriores videbantur; & ideo rejectis vanis elogiis hominum προσωποληπτῶν, solius Dei judicio nos referre debeamus.

Audiamus Greg. Mag. De hujus loci explicatione, & de hac tota re sententiam. Moral 5. c. 8. Sæpe ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est; & sordet in districtione judicis, quod fulget in æstimatione operantis. Unde Paulus cum diceret, Nihil mihi conscius sum; protenus adjunxit, sed non in hoc justificatus sum; qui causam mox cur non sit justificatus, insinuans ait, Qui autem me judicat Dominus est: Ac si dicat; Idcirco in eo, quod nihil in me conscius sum justificatum me abnego; quia ab eo, qui me judicat examinari me subtilius scio. Et mox, ipsa nostra perfectio culpâ non caret, nisi hanc severus Judex in subtili lance examinis misericorditer penset. Et c. 23. Districtionem divinæ justitiæ contemplantes, etiam de ipsis operibus jure pertimescimus, quæ nos fortia egisse putabamus. Ducta namque ad æternam regulam nostra rectitudo, si districtum judicium invenit multis fortitudinum suarum finibus in intimam rectitudinem impingit: Unde bene Paulus, cum & virtutum ossa habere se cerneret & tamen sub districto examine hæc eadem ejus ossa trepidarent ait, Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer aut ab humano Die, sed neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed quia auditis venti Divini susurris hæc eadem ejus ossa contremuerunt, illico adjunxit, sed non in hoc justificatus sum: Qui autem judicat me Dominus est. Ac si diceret: Recta egisse me recolo, attamen de meritis non præsumo; quia ad ejus examen vita nostra ducitur; sub quo nostræ fortitudines & ossa turbantur.

Hæc

Hæc Gregorius: Ex cujus judicio S. Paulus aperte negat, se operibus suis justificatum iri; quamvis enim nihil sibi conscius esset, tamen cum Deo rem habuit, qui in optimis suis operibus, multo magis in peccatis multis occultis invenire potuit, unde damnetur.

Atque hæc pauló fusius de loco Apostoli, quem toties in hac causa urgere soleant Romanenses.

Adhuc urget Bellarminus, nostram expositionem repugnare scopo sive proposito Apostoli, qui cupiebat deterrere Corinthios à judicio temerario; & ideo ait, noli ante tempus judicare; & neque meipsum judico; & qui judicat me Dominus est: Ad hoc autem propositum nihil pertinet illa ratio, non justificor virtutibus, aut qualitatibus meis, sed ex Dei misericordia non imputante peccata. multum autem pertinet illa: Ita incerta sunt humana judicia, ut nemo possit etiam ipse se nedum alios judicare, quod attinet ad justitiam & peccata.

Sol.R. Negamus hanc nostram expositionem pugnare cum scopo & proposito Apostoli, imo juxta nostram interpretationem singula optime cohærent: Ego meipsum non judico, non me justifico, non laudem & gloriam quæro in operibus; Etsi enim nihil mihi conscius sum, non tamen ideo coram Deo sum justificatus: solus enim Deus est qui me judicat: quare humana judicia non sunt magnopere attendenda: Demonstrat hoc 1. ab exemplo proprio, quia ipse seipsum ex externis operibus justificare nequeat, quanto minus alii hoc facere poterunt: 2. À proprio Dei, quippe cujus solius sit judicare, & homines vel absolvere vel condemnare: Addo nihil efficacius esse ad compescendam temerarii de aliis judicii petulantiam, quam hæc consideratio, quod sint occulta quædam in nobis delicta Dei solius oculis obvia propter quæ non possimus coram ipso consistere, si justo examine pensitentur: proinde abstinere debemus à temerario judicio, nec alios temere judicare & condemnare; ne & nos propter nostra peccata judicemur & condemnemur.

Postremo ait Bellarminus, nostram interpretationem communi Patrum expositioni repugnare; qui omnes ex hoc loco colligunt incertitudinem gratiæ: & horsum allegat Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Bernardum.

Sol. R. Nos supra Gregorii testimonium produximus qui nostram interpretationem sequitur. 2. Patres citatos non exponere locum de incertitudine gratiæ; sed de humilitate Apostoli imperfectionem suæ justitiæ agnoscentis, & ejusdem ad justificandum nos insufficientiam & ineptitudinem.

CAPUT XLII.

Ubi respondetur aliis testimoniis è Prophetis & Apostolis.

CAp. 6. lib. 3. de justificatione, producit varia loca Prophetarum & Apostolorum ad asserendum incertitudinem de remissione peccatorum; quæ in tres classes distribuit.

Et quidem 1. illa dicta quæ ostendunt prærequiri contritionem, fidem, pœnitentiam & conversionem, ut aliquis sit justus vel justificatus; qualia habentur Deut.4. Cum quæsieris ibi Dominum [nimirum post varia peccata] invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & in tota tribulatione animæ tuæ. Et 2. Paralip. 6. Si peccaverint tibi & iratus fueris &c. & infra, si conversi ad te fuerint toto corde suo, & in tota anima sua; tu exaudies de cœlo, & dimittes populo tuo: Et Ezek. 18. Si impius egerit pœnitentiam, & fecerit justitiam, vita vivet. Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis. Act. 8. Si credis in toto corde licet.] Hæc inquit & similia testimonia manifestè significant requiri aliquid in nobis ut justificemur; Et mox: ne-

negant adversarii, requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam seriam; & sine his neminem justificari. At nemo (inquit) certus esse potest, præsertim certitudine fidei, se toto corde conversum esse ad Dominum; & fidem & pœnitentiam habere, qualis requiritur; cum in nulla Scriptura testimonium ejusmodi inveniatur de fide & pœnitentia nostra in particulari: Igitur nemo certus esse potest certitudine fidei, sibi peccata esse remissa. Hæc (inquit) planè est Theologica demonstratio

Sol. Resp. Ut supra p. · · · Breviter resp. concedimus requiri ad justificationem fidem vivam & pœnitentiam seriam: At negamus, neminem certum esse posse de sua fide & pœnitentia qualis requiritur. Nam verè contritus corde, potest certo scire se vere contritum esse, cum sentiat se dolere de offensa Dei, ac propositum habere novæ vitæ sincerum; De quibus utrisque certus est certitudine propriæ experientiæ, & ex dictamine propriæ conscientiæ, ut supra dictum est.

Obj. At nemo certus esse potest, se toto corde conversum esse ad Dominum, & fidem & pœnitentiam habere, qualis requiritur.

Sol. R. Toto corde conversum esse non denotat aliud quam serio, sincerè absque omni simulatione conversum esse, ut supra ipso Bellarmino teste evicimus p. · · Fides etiam & pœnitentia sincera est fides & pœnitentia qualis requiritur: non enim perfecta requiritur; non enim ex gradu aut mensura fidei vel pœnitentiæ dependet remissio peccatorum, sed ex veritate & sinceritate earundem.

Object. At nusquam in Scriptura testimonium invenitur de fide & pœnitentia alicujus in particulari v. g. de fide aut pœnitentia Andreæ, Bartholomæi, & singulorum hominum.

Sol p.—Resp. Esto nusquam in Scriptura inveniri testimonium de fide vel pœnitentia hujus vel illius hominis. v. g. de fide & pœnitentia S. Andreæ aut S. Bartholomæi; num ideo dicendum est, illis non perspectam fuisse suam fidem pœnitentiam aut dilectionem? Nihil minus, quod enim spectat ad particulares actus fidelium, v. g. actus fidei. pœnitentiæ, dilectionis, &c. Eorum certitudo non quærenda est in Bibliis sed in cordibus, nec horum præstatio petenda ex Scripturis sed ex conscientiis fidelium, ex libris conscientiæ, experimentaliter siquidem percipiuntur dum præstantur. Quomodo & exteriorum sensuum actus v. g. videndi aut audiendi percipiuntur evidenter dum eliciuntur & exercentur.

Scimus (inquit) in persona omnium fidelium 1 Joan. 3. 14. Quod translati sumus à morte ad vitam, quod diligimus fratres.] Ubi pro certo supponit Apostolus, omnibus fidelibus perspectam esse suam fraternam dilectionem, quidni etiam suam fidem & pœnitentiam, v. p. · · Tantum ergo abest, ut hæc sit plane Theologica demonstratio ut plane sit hominis jactabundi invalida ratiocinatio.

In secunda classe ponit illa dicta, quæ indicare videntur incertum esse an qui agit pœnitentiam consequatur remissionem. Ubi quatuor loca producit, Dan. 4. 24. Joel. 2. 14. Jon. 3. 9. Act. 8. 22. Hæc & similia (inquit) quæ significant incertitudinem remissionis non faciunt dubias promissiones Dei, quibus promisit verè pœnitentibus indulgentiam; illæ enim (inquit) certissimæ sunt, sed respiciunt incertitudinem nostræ dispositionis.

Sol. Negamus hæc loca denotare incertitudinem aut remissionis aut nostræ dispositionis. Percurramus singula, primus locus est Dan. 4. 24. Forsan ignoscet Deus delictis tuis.

Sol. R. 1. In textu Originali Chaldaico non habetur particula dubitativa——הן sed in versione Græca, ἴσως; & Latina, Forsan. In textu Chaldæo est manifesta asseveratio; Ecce erit prolongatio paci tuæ: sic vertit Arias Montanus.

R. 2. Particulam [Forsan] non semper esse notam dubitantis, sed etiam excitantis, animantis & confirmantis.

3. Potest autem locus intelligi de temporali pace & regno Nebuchadnezzaris: non autem de spirituali remissione peccatorum necessario intelligitur.

Secundus locus est. Joel. 2. ver. 14. Quis scit an convertatur & ignoscat Deus?

Sol. R. Ribera Jesuita in locum sic habet: Quis scit an convertatur & ignoscat Deus?

Deus? (1.) fortaſſe non patietur Chaldæos in terram veſtram venire, nec vos captivos abduci, ſi pœnitentiam agatis. Non vult Propheta eos dubitare de remiſſione peccatorum ſi convertantur; nec verè pœnitentis dubitare de ſua pœnitentia: ſed oſtendit, ſe certum non eſſe de remiſſione pœnarum temporalium, etiamſi convertantur. Quinetiam oſtendit ex Ambroſio phraſin hanc non ſemper eſſe dubitantis. Atque ex Gregorio eſſe aliquando rei difficultatem oſtendentis: quod autem formula illa מי יודע non ſit tam dubitantis, quam bene ſperantis, & opem Dei deſiderantis; patet 2 Sam.12.22. Joel.2.14. Jon 3.19.

Tertius locus eſt, Jonæ 3.9 Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcit Deus?

Sol. R. Idem reſponſum huic loco adhibendum; expreſſe enim additur; quis ſcit ſi convertatur Deus & ignoſcat, & avertatur à furore ne pereamus, pœna *ſcil.* temporali.

Quartus locus eſt Act.8.22 Pœnitentiam age ab hac nequitia tua & roga Deum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.

Sol. R. Ribera, Petrum non dubitaſſe an culpa remittenda eſſet agenti pœnitentiam, ſed dubitavit, an vera futura eſſet pœnitentia Simonis, Addi poteſt quod alii obſervârunt; Hanc Phraſin non eſſe dubitantis, ſed à rei difficultate animos exigentis.

Menochius Jeſuit. in locum. Si forte remittatur] Particula [Forte] ſignificat dubium eventum & effectum remiſſionis ex dubia cauſa; erat enim (inquit) incertum an eſſet acturus pœnitentiam ut oportet: non dubitavit Petrus an remittendum eſſet peccatum, modo ſeria eſſet pœnitentia, ſed dubitavit an pœnitentia ejus ſeria futura eſſet.

Tertiæ claſſis teſtimonia ſunt illa quæ timorem ſuadent ipſis piis & fidelibus ut Prov. 28 14. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. Phil. 2. Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, 1 Pet.1. In timore incolatus veſtri tempore converſamini.

Sol. R. Iſta loca & ſimilia quæ meminerunt metus & tremoris, ad quem in negotio ſalutis, in operanda ſalute hortantur ſacræ literæ; nihil minus evincunt quam incertitudinem & dubitationem aut commendari aut laudi ducendam, in negotio juſtificationis, aut in ſalute noſtra conficienda; ſed ſolicitudinis & metus de offenſa Dei utilitatem, eamque ſummam, imo ejuſdem neceſſitatem. Jubet Pſalmiſta Pſal.2.11. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; ubi ejuſmodi timorem & tremorem intelligit, qui cum exultatione in Domino conſiſtere poſſit: ac proinde faceſſere jubeant dubitationem de Divina erga nos benevolentia, & pendulam incertitudinem: non enim exultamus niſi de iis, de quibus certi ſumus; nec niſi quando & quatenus certi ſumus; exultationem ſiquidem non minus quam fidei fidelium, ſubeſſe falſum non poteſt.

Neq; monent teſtimonia prolata ut de remiſſione peccatorum incerti ſimus, ſed ut pavidi ſimus & ſolliciti, ne quando Dei offenſam incurramus: Unde Dominus per Prophetam populo ſuo, quo cum novum fœdus pangit, promittit ſe inditurum in corda eorum timorem ſuum, Jerem.32.41. Indam timorem meum in corda eorum, ut à me non recedant: quod, quid eſt aliud, inquit Auguſtin: de bono perſever. c.2. quàm, Talis ac tantus erit timor meus quem dabo in cor eorum ut mihi perſeveranter adhæreant.

Unde rectiſſimè Cyprianus timorem innocentiæ cuſtodem indigitavit in Epiſt. ad Donatum: Sit tantum timor in nobis Innocentiæ cuſtos. Longè aliud eſt cum metu & ſolicitudine de offenſa Dei operari ſalutem; aliud dubitanter & hæſitanter operari ſalutem: cum operatione priori conſiſtere poteſt certitudo de remiſſione peccatorum, non itidem cum poſteriori: illud etiam addo, tantum abeſſe, ut operari ſalutem cum timore & tremore, omnem confidentiam & certitudinem aut præſentis aut futuræ ſalutis excludat, ut abſque illo nulla certa confidentia concipi poſſit: Ita enim comparatum eſt, Deo ſic ſapientiſſime proſpiciente, & ordinante, ut pro gradu ſolicitudinis reſpondeat gradus fiduciæ, ut ubi major ſolicitudo ſit, ibi major ſit fiducia, ubi minor ſolicitudo, ibi minor fiducia; ubi nulla ſolicitudo, ibi nulla ſit fiducia: utque certum eſt extra ſtudium ſanctitatis & ſolicitudinem ope-

randi salutem cum metu & tremore, nullam haberi posse de remissionepeccatorum & de salute consequenda veracem fiduciam: ita æquè certum est, ex studio sanctitatis & dicta solicitudine in exercitiis fidei, pænitentiæ, timoris, dilectionis, & id genus aliis, timoratam conscientiam, præclaram concipere & de remissione peccatorum in præsenti & futura æterna salute consequenda confidentiam.

CAPUT XLIII.

Solvuntur argumenta à Testimoniis Patrum pro incertitudine justitiæ.

Atque ita accepistis argumentorum copias eorumque solutionem quæ Bellarminus capp.4,5,*6*. lib.3. de justificat. coacervavit, ut ostendat incertitudinem remissionis peccatorum. Jam c.7. pergit hanc eandem incertitudinem ex testimoniis Patrum stabilire.

1: Producit testimonium Ambrosii Serm.5. in Psal.118. tractans illud: Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, ubi sic loquitur: sui volebat auferri opprobrium quod suspicatus est, vel quia cogitaverat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum; suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium; & ideo Deum precatur, ut illud auferat, quia solus novit, quod nescire potest ipse qui fecit] Et addit testimonium Apostoli, Nihil mihi conscius sum, &c.

Sol.R. Ex hoc loco non aliud evinci quam Deum adeundum esse, & ejus misericordiam implorandam ob peccata ignorantiæ, quæ nescire potest ipse qui fecit; quæ tamen impediunt à justificatione, nisi precibus & pœnitentia generali abluantur: Dico generali pœnitentia, peccata enim nota de quibus nobis conscii sumus speciali contritione cordis sunt diluenda: ad ignota autem abluenda sufficit pœnitentia generalis, & in animi preparatione, qua paratus sum de ejusmodi dolore.

Basilius in constit. Monast. c.2. Multa (*inquit*) peccantes plurima neque intelligimus: Quapropter dicit Apostolus: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (*i.*) multa pecco & non intelligo.

Sol. Ex hoc testimonio Basilii hoc solum evincitur, plurima quæ perpetramus peccata aut ignorare nos, aut non advertere, idque Apostolum significare voluit Basilius cum ait, Nihil mihi conscius sum, sed non ideo justificatus sum, ac si diceret, ex solo testimonio bonæ & integræ conscientiæ, non sum justificatus; Etenim addit Basilius cum in multis rebus offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem:

Idcirco Apostolus dicebat, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum; quod idem est (inquit) ac si diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo: propter hanc causam etiam Propheta ait, Delicta quis intelligit?] Vult ergo Apostolus se non justificatum esse ex solo testimonio bonæ & integræ conscientiæ, sed insuper necesse esse, ut peccata ignorantiæ & inadvertentiæ confiteamur, de iis pœnitentiam agamus, & eorum veniam apud Deum deprecemur, ut ab iisdem justificemur, & veniam eorum consequamur.

Quid hæc ad inceritudinem & dubitationem de horum peccatorum vel ignorantiæ vel inadvertentiæ remissione? Nos dicimus horum peccatorum veniam consequi fideles, ubi de iis generaliter pœnitentiam agant, & ob eorum remissionem recumbunt in Christum Redemptorem, qui satisfactionem Deo præstitit pro omnibus peccatis nostris sive notis sive ignotis, pro negligentiis, ignorantiis, inadvertentiis, & omnimodis peccatis, & qui eorum omnium remissionem filiis suis Sp.Sancti testimonio intus obsignare solet.

Hie-

Hieronymus advers. Pelag. lib. 2. p. 856. Sunt justi, ad quos pervenit quasi opus impiorum; & sunt impii, ad quos pervenit quasi opus justorum. Hoc idcirco dicitur, quia certum judicium solius Dei est.

Sol. R. Vult Hieronymus neminem ex eventis externis, Dei vel amorem vel odium dignoscere nec quid futurum sit alicui præsagire: Nemo scit (inquit) quid futurum sit; quia sicuti est quis annunciabit ei? & tum subjicit verba, sunt justi—— Hoc idcirco dicitur quia certum judicium solius Dei est.]

Addit & quos putamus justos, sæpè peccatores inveniuntur, & quos è contrario peccatores, apud Dei scientiam justi sunt: Quantumcunque laboraverit homo, ut inquirat, non reperiet; & si dixerit sapiens nôsse se, invenire non poterit.] Vult Hieronymus incertum esse hominum statum futurum, ac proinde neminem posse pronunciare certo de statu alicujus, an sit futurus in statu justorum an peccatorum; certum hujus rei judicium esse solius Dei.

Ubi Hieronymus vult excludere judicium aliorum de alio aliquo, non judicium fidelis de seipso & suo statu coram Deo. Ideo Apostolus ait, 1 Cor. 2. 11. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?] Ubi vult spiritum hominis uniuscujusque posse judicium ferre de suis actibus & suo statu; Sed quid hæc ad incertitudinem aut dubitationem uniuscujusque de suo statu & remissione peccatorum coram Deo?

Alium locum adducit ex Hieronymo lib. 3. in Hierem: exponente c. 13. Homo (inquit) videt in facie, Deus in corde, & quod nobis interdum mundum videtur illius occulis sordidum deprehenditur.

Sol. R. Nos libenter concedere, nos interdum in judicando falli, & nobis interdum mundum videri quod Dei oculis sordidum deprehenditur: Sed quis hinc inferre potest, verè fidelem aliquando non certum reddi de remissione peccatorum & de statu filiationis, non tùm, cum spiritus Dei contestatur spiritui nostro, nos esse filios Dei.

Chrysostomus Hom. 87. in Joan. Petrum sic loquentem inducit propterea contristatus, ne forte me amore arbitratus, non amem, ut ante, cum me fortem & constantem putarem, imbecillis inventus sum.

Sol. R. Ex hoc loco non aliud evincitur, quam hominem nimis de se confisum, animadversâ suâ nimiâ confidentiâ, posse meritò timere suam imbecillitatem & ne præ nimiâ confidentiâ iterum fallatur. At qualis hæc consequentia Petrus nimium præsumens de suis viribus aliquando fallitur, & ideo cautior factus, cavet ne secundò fallatur

Ergò

Fidelis non præsumens non potest esse certus de suo statu & sibi esse remissa peccata.

Idem Hom. xi. in 1 Cor. multis de causis (inquit) incertum est nostrum judicium, una quod multa opera nostra nos lateant.

Sol. Locus est p. 416. ex hoc loco non aliud evincitur, quam nos non posse certos esse de actuali nostrâ notitiâ, eo quod multa opera nostra nos lateant. Id quod nos libenter agnoscimus sed hinc non sequitur nos non posse certos esse de remissione peccatorum. Cum nos & simul agnoscamus peccata ignorantiæ dimitti precibus sanctorum verâ cordis contritione & dolore de offensa Dei propter peccata nostra ignota, & fide etiam vivâ in Christum Mediatorem.

Ex Augustino quinque testimonia adducit;

Primum in Psal. 41. tractans illud. Ad meipsum anima mea turbata est. Novi (inquit) qnia justitia Dei mei manet. Utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens, qui se putat stare, videat, ne cadat.

Sol. Verba Augustini integra sic habent. Ad meipsum anima mea turbata est] Nunquid à Deo turbatur? Ad me turbata est. Ab incommutabili reficiebatur, ad mutabile perturbabatur: novi quia justitia Dei mei manet utrum mea maneat nescio. Terret enim me Apostolus dicens, qui se putat stare, videat, ne cadat, ergo, Quia non est in me firmitas mihi nec est mihi, spes in me, ad meipsum turbata est anima: Vis non conturbetur? non remanens in teipso & dic. Ad te Domine levavi

ani-

animam meam, Psal.25. Hoc planius audi, Noli sperare de te sed de Deo tuo. Nam si speras de te anima tua conturbetur ad te. Quia nondum invenit unde sit secura de te. Ergo quoniam ad me conturbata est anima mea quid restat nisi humilitas ut de seipsa anima mea non præsumat. Quid restat nisi ut omnino minimam se faciat, nisi ut se humiliet ut exaltari mereatur. Nihil sibi tribuat ut ei ab illo quod utile est tribuatur ex dictis nam colligitur, aliud qnam Augustinum existimasse, Davidem nescisse, an justitia sua actualis ita maneat, ut lapsui novo ipse non esset obnoxius, id quod ipsi omnes pii pariter nesciunt. Cum & pietate insignes viri graviter lapsi sint & in atrocia peccata inciderint, testes sint ipse Davides & Petrus. At hinc non conficitur ipsos de remissione peccatorum suorum non fuisse certos. Nam hoc ipso in loco revera agnoscit, animam conturbari respiciendo ad se. Quia (inquit) non est in me firmitas mihi, nec est mihi spes in me, at à conturbatione atque adeo à dubitatione liberam esse——non remanendo in seipso, & dicendo. Ad te Domine levavi animam meam Psal 25.1. & addit, Hoc planius audi, noli sperare de te, sed de Deo tuo. Nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum invenit unde sit secura de te. Unde inferre licet, à contrario, ubi anima non sperat de se, sed de Deo suo (i.) in Deo confidit ibi invenit ubi sit secura de Deo suo. Ergo addit quoniam ad me conturbata est anima mea, quid restat nisi humilitas! ut de seipsa anima non præsumat?]

Ex hoc loco multo certius deducitur securitas piorum in Deo sperantium de justitia sua, quam incertitudo justitiæ.

2. Locus habetur de verbis Domini Serm.XXXIII. p. 103. Forte tu non invenis aliquid in conscientia tua ille invenit qui melius videt.

Sol R. Augustinum non aliud velle dicere in loco citato, quam aliquid latere posse conscientiam nostram, quod tamen perspicacem Dei oculum non lateat coram quo illud nobis merito vitio verti possit; cum teste Augustino ibidem acies divina penetret altiora, quam nostra, videt (inquit) forte aliquid, inveniet forte aliquid quod nos non videmus nos non invenimus, unde statim subjungit. Quanto melius illi (Deo) dicis, ne intres in judicium cum servo tuo? Psal.142. Etiam quanto melius dicis, Dimitte nobis debita nostra?

Sol. Nos hæc omnia facile concedimus. At hinc non sequitur fideles non posse certos esse de remissione peccatorum. Qua de re jam quæritur, licet enim justitia nostra inhærens sive habitualis, sive actualis nobis quantumcunque perfecta videatur, tamen ut Augustinus ibidem verbis proximè præcedentibus, ait ex Prov.20. 9. [juxta 70.] Cum si rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se cor habere? at juxta nostram sententiam.

Justitia illa quæ consistit in remissione peccatorum non nititur justitiâ nostrâ, sive habituali sive actuali, sed justitiâ & satisfactione Christi Redemptoris nostri. Fides enim in sanguine Christi liberat fidelem coram tribunali Dei, ab omnibus intentatis criminibus & hac fide comparemus justificati coram tribunali Dei & de hac fide nostra certi esse possumus tum certitudine experientiæ, certitudine illâ evidenti quâ certus sum, me videre parietem oppositum, aut fenestram: certitudine etiam illâ q. certus sum me in hac Cathedra sedere, & ex hac Cathedra legere neque hac sola evidentia; sed & ordinariâ illuminatione S.Sancti quæ comitatur experientiam verè pœnitentis & credentis, ut non opus sit speciali, immediata & extraordinaria revelatione Romanensium, ut supra non semel examinavimus.

3. Locus habetur: Hom.35. Col. 509. Quamdiu autem vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possimus, non dico quid cras erimus sed quid hodie simus?

Sol. Respon. Cum dicit Augustinus, Quamdiu autem vivimus hic de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus (intellige) quoad internam seu inhærentem justitiam, sive habitualem, sive actualem. Hunc esse genuinum sensum constat ex loco parallelo, proxime præcedente citato, è Sermo 23. de verbis Domini, utrobique enim de re eadem agitur: quid enim (inquit in loco prius citato) est vix de nobis possumus judicare? mox respondet: quia cum Rex justus sedet in throno, quis gloriabitur castum se cor habere? forte tu non

non invenis aliquid in conscientia tua, invenit ille qui melius videt, cujus acies divina penetret altiora; vult igitur Augustinus nos posse de nobis, et nostro statu in quo hodie sumus, multo minus in quo cras futuri sumus, judicare, quoad internam justitiam ob occulta, & alte recondita in corde nostro peccata ad quæ discernenda nostra acies non potest pertingere, sola divina acies ea pertingere & penetrare potest. Sola illa hæc discernit, hæc altiora, hæc profundiora & occultiora peccata.

Hic sensus loci; At hinc non conficitur, quin verè fideles, suam internam justitiam in negotio justificationis abdicantes, eique abrenunciantes, & freti solis meritis & satisfactione Christi Redemptoris nostri, & tota fiducia in eadem recumbentes; coram tribunali Dei à reatu omnium peccatorum absolvamur, & de absolutione una certioremur, quod unum quæritur in hac cum Romanensibus controversiã.

4. Locus est in Psal. 50. Super illud; Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quæ occulta (inquit) & quæ incerta sunt, quia Deus ignoscit, & talibus, nihil tam occultum nihil tum incertum.

Sol. Resp. Ex hoc loco non aliud evinci [si tamen hoc] quam Deum ex sententia Augustini, ignoscere peccatis, & incertis peccatis, nam non ignoscit Deus nisi talibus (*i.*) peccatis, nec opus est ignoscentia nisi ubi sit peccatum. Incerta peccata videtur appellare, de quibus dubitamus an sint peccata. At quid hoc ad impugnandam fidelium certitudine de remissionem peccatorum, ex sententia Augustini? Imbelle prorsus telum.

5. Locus lib. de perfectione justitiæ contra Cœlestium. Quantumlibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniat esse culpandum.

Sol. Ex hoc loco non aliud evincere potest Bellarminus quam homines justitia præcellentes cogitare debere, in illis quod ipsi non vident posse inveniri quod jure culpandum sit, quod nos non diffitemur: sed hinc non aliud infertur quam homines justitia & pietate insignes, posse ac revera esse reos aliquando peccatorum, quæ ipsi in sese non discernunt, peccatorum occultorum, in quorum numero erat ipse Davides, qui Psal. 19.13. sic precatur, ab occultis munda me Domine. Non autem hinc evincitur verè fideles non posse certos esse de remissione peccatorum, tum notorum, tum ignotorum, per fidem in sanguine Christi, quod unum jam quæritur. Nam & ipse David certus erat de remissione peccatorum non obstantibus peccatis occultis, alioqui non benedixisset anima ejus Dominum, quod remissa sint ei peccata sua & infirmitates ejus sanatæ essent, Psa. 103.2. non enim gratias agimus, nisi de iis de quibus certi sumus. Atque hæc de testimoniis Augustini.

Sequitur Theodoretus, in 1 Cor. 4. 4. enarrans illud, nihil mihi conscius sum. Non me (inquit) à peccato immunem pronuntiabo, sed Dei sententiam expectabo, sæpe enim evenit ut etiam ignorantes peccent, æquam & justam esse existiment, sed hoc aliter videt universorum Deus.

Sol. Resp. Ex hoc loco illud tantummodo juste infertur. Theodoretum existimasse, Paulum noluisse se à peccato immunem pronuntiare. Scilicet, quoad peccati omnis reatum. Sed Dei sententiam expectare velle; quia sæpe evenit, ut ignorantes hommines peccent, æquum & justum aliquid existimantes quod tamen aliter videt universorum Deus, Id quod nos ultro damus: fieri enim sæpe potest ut nos ex ignorantia aut errore peccemus. Deus autem semper rectè judicat, dignoscens & simul condonans nostras ignorantias & errores. At qualis tandem est hæc consequentia; Nos sæpe ex ignorantia & errore peccamus? Ergò

Nemo fidelis certus esse potest de remissione peccatorum.

Ex ignorantia aut errore nostro, in discernendis nostris peccatis non inferri potest, aut dubitatio aut omnimoda incertitudo de remissione peccatorum, præsertim cum ex vera cordis nostri contritione & fide in sanguine Christi, dimittantur omnimoda peccata, etiam ex ignorantia & errore commissa. Sanguis enim Christi purgat ab omni peccato, 1 Joan. 1. 7.

Proximus testis est Gregor. M. lib. 6. Epist. 22. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, Quod verò, inquit, dulcedo tua in suis Epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quo ad usque scribam mihi relatum esse [cor esse revelatum] quia peccata tua di-

 missa

missa sunt, rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti; Diffici lem, quia ergo indignus sum cui revelatum fieri debeat. Inutilem vero quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in Die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis, Quæ dies quo usque veniet semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes atque eas quotidianis fletibus lavare.

Sol. Resp. Rectissimè respondere Gregorium, huic quæsito per epistolam Gregoriæ cubiculariæ; ubi se importunam ait, illi existere, quoadusque scribat sibi esse revelatum, quia peccata ejus dimissa sunt. Recte respondet Gregorius. Rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti, Difficilem quidem; inquit, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat. Rectè & modestè respondet agnoscendo suam indignitatem & cui revelatio fieri debeat, de remissione peccatorum alterius personæ, hoc enim non nisi speciali, extraordinariâ, & miraculosa revelatione fit aliquando. Licet enim (teste Apostolo, Rom.8.16.) spiritus Dei testimonium reddet Spiritui nostro nos esse filios Dei, atque adeo peccata nostra esse dimissa; tamen aliorum adoptionem quam nostram, atque adeo aliis peccata esse remissa nemo certo cognoscit nisi ex speciali & miraculosâ revelatione.

Rursus rem inutilem quærere hanc cubiculariam, verissime respondet S. Gregorius quia secura de peccatis suis fieri non debet nisi, in fine vitæ; unde subjicit, quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.

Ubi piè monet Gregor. neminem adeo securum esse debere, de peccatorum remissione adepta, ut non semper metuat novas culpas, & etiam non semper indigeat magis magisque certiorari & firmari de peccatorum remissione prius adeptâ, unde & Dominus docuit discipulos suos, quotidie dicere, dimitte nobis debita nostra.

Addit Gregorius. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, Paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audiverat, quæ homini loqui non liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat, Castigo corpus meum & periculo subjicio, ne forte aliis prædians ipse reprobus efficiar, Adhuc timet, inquit. qui jam ad cœlum ducitur, etiam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende, inquit, dulcissima filia quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem per quam negligens reddaris. Scriptum enim est, Beatus vir qui semper est pavidus Prov.28. Et rursus scriptum est: Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore (inquit) mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.]

Gregorius hortatur nobilem hanc fœminam exemplo Pauli, ut cum sollicito timore salutem suam operetur, nec talem securitatem aut optare aut sperare quæ negligentiam pariat, sed semper timere & servire Domino in timore, ita tamen ut exultet ei cum tremore, ut monet Davides sup Psa.2.

Beda in Comment. ad cap.20.Pro.v.9. Quis potest dicere mundum est cor meum?] Potest (inquit) hic versus de electis accipi, qui habent aliquando in mente latentia mala quæ ab aliis videri non possunt hominibus, quæ tamen ipse Dominus nôrit. Et infrà sunt (inquit) multi mundo corde, ac juxta humanæ possibiliatis modum, puri a peccatis, nec tamen se ipse quisquam mundicordem & immunem peccatis absque temeritate pronunciaverit.

Sol. Resp.2. Non dubium est quin electi habeant aliquando latentia in mente mala, quæ ab aliis videri non possunt hominibus, quæ tamen Dominus ipse cernit. Unde in lege Moysaicâ cautum est de sacrificiis, quæ offerenda erant pro ignorantiis ipsius sacerdotis & totius congregationis principis populi & cujusvis è populo, Lev.40. Ipse Davides vir secundum cor Dei, orat tamen, Ab occultis munda me Domine Psal.19.12. At hæc mala latentia latent electos, ac proinde peccatis ignorantiæ accensenda sunt, atque ideo generali pœnitentiâ, quæ de peccatis ignotis dolemus, abluuntur.

2. Esto dentur multi mundo corde juxta modum possibilitatis humanæ, à peccatis non quisquam tamen pronuntiare potest sine temeritate se esse mundicordem & immunem à peccatis, cum omnes habeant in se reliquias originalis peccati, & inde pullulantia multa latentia peccata; at quid hæc ad minuendam aut tollendam certitudi-

titudinem de remissione peccatorum cum certus quis esse potest de remissione peccatorum etiam ignotorum,ubi eum pœnitet de ignotis peccatis quibuscunque, quibus offenditur divina majestas.

Proximus testis est Bernardus, Serm. 3. de Advent. D. Accedit (inquit) ad solicitudinis cumulum & pondus timoris, q. cum & meam & proximi etiam conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi vox est, & nihilominus exigitur à me utriusq; custodia.

Sol. Ex hoc Testimonio Bernardi non aliud evincitur, quam neminem posse accuratè exquirere latebras conscientiæ suæ & aliorum, cum utraque est abyssus imperscrutabilis,& tamen suam& proximi conscientiam servare cuique incumbit(inquit)Ah quis dixerit ex cordis inscrutabilitate,in indagandis peccatis tolli certitudin. remissionis peccatorum,ubi quis verè doleat de offensâ Dei,sive per nota,sive etiam per ignota peccata.

Idem Epist. 107. Sic habet, de qua tamen (inquit) percepta fuimet ex parte notitia interim quidem gloriatur in spe, nondum tamen in securitate.

Sol. Ex hoc loco non aliud colligi potest, quam quemlibet percepta ex sui parte notitiâ gloriari posse in spe, nondum tamen in securitate, ubi per spem intelligit Bernardus cum Apostolo, spem q. non confundit, ubi enim ut nondum tamen in securitate intellige securitatem excludentem solicitudinem & timorem offensæ Dei; Nam alioqui in eadem epistolâ dixerat,justus autem qui est, nisi quis amanti se Deo, vicem rependit amoris, quod non fit nisi revelante spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super suâ salute futurâ] ubi Bernardus supponit omnes verè fideles esse justificatos ac per hoc prædestinatos ad vitam atque hoc ipsum revelare S.sanct. per fidem cuique fideli; & ante in eadem epist.Col. 147. lit.K. Ponamus hominem in sæculo, sæculi adhuc & suæ carnis amore retentum, & cum terrestris hominis imaginem portet incubantem terrenis, nil de cœlestibus cogitantem: quis hunc non videat horrendis circumfusum tenebris nisi quis in eadem umbra mortis sedet? quippe cui nullum adhuc suæ salutis signum eluxerit, cui nec dum in aliquo interna testetur inspiratio,an boni de se quippiam æterna teneat prædestinatio? at vero si supra eum miseratio quandoque dignanter respexerit, immiseritque spiritum compunctionis,quatenus ingemiscat & resipiscat, mutet vitam, carnem domet, amet proximum, clamet ad Deum, proponatque de cætero, vivere Deo, non sæculo: ex qua deinde superni luminis gratuita visitatione, & subdita mutatione dextræ excelsi agnoscet se meritò quidem non jam iræ, sed gratiæ filium: quippe qui paternum ergâ se divinæ bonitatis experitur affectum, qui se utique hactenus in tantum latuerat, ut non solum nesciret utrum nam dignus foret amore an odio, verum etiam odium magis & non amorem propria conversatio testaretur, erant enim adhuc tenebræ super faciem abyssi] Hic Bernardus aptè docet,utcunque homo carnalis & non renatus de suâ prædestinatione nihil certi habere potest; tamen eundem,si ingemiscat, resipiscat, mutet vitam, carnem domet, amet proximum, clamet ad Deum proponatque de cætero vivere Deo, non sæculo,talem posse merito agnoscere se non iræ,sed gratiæ filium,ac proinde ad vitam æternam prædestinatum. Adducit etiam Bernardum Serm.2. in oct.Paschæ. Novit Dominus qui sunt ejus & solus ipse scit,quos elegerit à principio, quis vero scit hominum, si est dignus amore an odio? similem etiam locum allegat Serm. 2. de Septuagesimâ. Quis potest dicere,ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc (inquam) dicere potest reclamante Scripturâ, nescit homo,si dignus sit amore an odio? certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos,ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur.

Sol. R. Solus Dominus ex sententia Bernardi novit qui sunt ejus (i.) solus scil. quos ad vitam æternam destinavit actu sc. immanenti qui in solo Deo est, Negat certitudinem prædestinationis suæ quemquam habere à priori scrutando æternum Dei de se consilium,q. & nos negamus. Atque hoc modo rectè ait nos nescire Dei amorem & odium, at non negat prædestinationem nostram posse nos scire à posteriori, ex effectu atq; ex τεκμηρίοις signis sc. indubitatis& quæ minime fallunt.Nam Paulò ante dixerat Bernardus. Quando enim sine testimonio electos suos deerit Deus? aut certè quænam eis poterit consolatio inter spem & metum solicitudine anxiâ fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur?]

 Quod

Quod de testimonio certo & indubitato proculdubio intelligendum non de merè conjecturali testimonio, q. non nisi conjecturalem certitudinem parit, atque adeo nullam certam consolationem, cum tamen Bernardus negat Deum aliquando sine testimonio electionis suæ electos suos deserere, aut sine consolatione certa inter spem & metum solicitudine anxiâ fluctuantes. Eodem item in loco addit Bernardus, Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet, quod de testimonio etiam certò, indubitato & minimè fallaci intellexit Bernardus alioqui non haberet spiritus noster nisi conjecturale testimonium: atque adeo non nisi conjecturalem certitudinem, q. opinionis est potius quam fidei ipso fatente Bellarmino lib. 3. de Justif. cap. 2. Atque adeo inter spem & metum solicitudine anxiâ fluctuantes electos suos relinqueret Deus, q. Bernardus nullo modo admittit, & in fine Serm. 2. de Septuages. Ait à sanguine & aqua & spiritu habere est testimonium, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.

Atque ita responsum est testimoniis PP. quæ adducit Bellarm. lib. 3. de Justificatione cap. 7. pro incertitudine justitiæ & remissionis peccatorum. Nos antea pro certitudine remissionis peccatorum plurima testimonia protulimus, multò clariora, & evidentiora, quod eo consilio in nos suscepimus, ut vobis constaret in hoc negotio de certitudine justitiæ & remissionis peccatorum, non habere Romanenses in antiquorum PP. monumentis, suæ causæ tantum subsidium quale ubique jactitare solent, dixit olim gloriabundus ille Thraso Edmundus Campianus ratione quinta pro causa pontificia. Ad Patres (inquit) si licebit accedere confertum est prælium, tam sunt nostri (inquit) quam Gregor. ipse XIII. (qui tum Pontifex erat) filiorum Ecclesiæ pater amantissimus. Quantò rectiùs Clariss. Whitakerus in dissentatione adversus eundem, Patres (inquit) in maximis judiciis sunt nostri, in levioribus varii, in paucissimis ac minutissimis vestri. Ante Campiani tempora ineunte regnum sacratiss. memoriæ Elizabetha in 26. quæst. non minimi momenti, provocavit ad PP. reverendiss. Episc. Juell. provocavit (inquam) & victoriam non obstantibus omnium Romanensium objectamentis & machinamentis. Hardingi, Rastelli, Sanderi & aliorum gloriosorum reportavit. Clariss. item Overallus in Vesp. Comitiorum An. Dom. 1606. me audiente hæc habuit, nullum in nostrâ Ecclesiâ dogma publicè propositum, quod non fundamentum habet in antiquis Patribus.

Nihil in Symbolo Apostolorum quod est regula credendorum, nihil in decalogo qui est norma charitatis, nihil in regula sperandorum & petendorum, sc. in Oratione Dominica nihil in doctrina Sacramentorum, & in administratione Ecclesiæ, & sacro ministero, nihil (inquit) in his omnibus, ut à nostra Ecclesia explicantur, habetur quod cum Patribus pugnat, imò quod eorum certis testimoniis non comprobetur. Unde jure (inquit) Juellus & Whitakerus ad Patres provocarunt.

Addo ego duas Theses. 1. Sit hæc, Neminem ex Romanensibus demonstrare posse positivas assertiones & definitiones Concilii Tridentini, de fide & cultu essentiali quæ in confessione nostræ Ecclesiæ impugnantur consonas esse perpetuæ traditioni Ecclesiæ à temporibus Apostolorum.

2. Nos qui tenemus doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ 39. articulis comprehensam, possumus demonstrare positivas assertiones in dogmatibus fidei & cultu essentiali in dicta confessione comprehensas, consonas esse & conformes perpetuæ traditioni Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus.

Unde in libro quorundam Canonum disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ in Synodo Londinensi habita Ann. 1571. Canon iste c. 19. de concionatoribus sancitus est, Inprimis verò (inquit Synodus) videbunt [concionatores] ne quid unquam doceant pro concione, quod à populo religiosè teneri & credi volunt, nisi quod consentaneum sit doctrinæ veteris & novi testamenti quodque ex illa ipsa doctrina Catholici Patres & Veteres Episcopi collegerint.] Videtis quantum Ecclesiæ nostræ Antistites, qui tum vixerunt, antiquorum Patrum authoritati tribuerunt, ut statuerint publico decreto, ne concionatores quid, ut supra.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Pro certitudine Gratiæ Testimonia adversariorum.

IN hac ipsa quæstione in qua versamur, Antiquos Patres nobiscum sentire non solum nostri Theologi scriptis prodiderunt, sed ex Romano-Catholicis non pauci qui eandem sententiam nobiscum amplexi sunt. Siquidem Author Historiæ Concilii Tridentini testatur Amb. Katharini & Antonii Marinari sententiæ, qui nostram sententiam tuebantur in Concilio Tridentino, adhæsisse spectatissimos è præsulibus multos, inclamante in contrarium D. Soto, nimis favorabilem esse hanc eorum sententiam Lutheranis, aliis vicissim asserentibus, Lutherum non fuisse damnandum, si dixisset post justificationem fidem illam sequi, sed damnari, quod dicat eam esse fidem justificantem. Id quod nos etiam asserimus. Hæc Pater Paulus Venetus Author Historiæ lib.2.

Ambros. Katharinus scripsit Assertiones 14. circa Articulum de certitudine inhærentis gratiæ ad Synodum Trident. In hisce sunt ista,

1. Non probari ex ullis Scripturæ locis quæ producuntur, neminem citra specialem & privilegiatam revelationem posse ex fide certum esse sua adeptæ gratiæ & justitiæ.

2. Irrefragabiliter de Scripturis sanctis hanc certitudinem gratiæ ex fide venientem comprobari.

3. Quod nullus veterum patrum repugnat certitudini præsentis gratiæ, quam asserimus.

4. Innumera esse sanctorum patrum testimonia pro hac certitudine, gratiæ quam defendimus venientem ex fide.

Hæc Katharinus quas assertiones fusè probat in illo Tractatu.

Martinus item Eisingrenius, Cæsareæ Majestatis Ecclesiastes, vir doctus, scripsit de certitudine gratiæ Tractatum Apologeticum pro vero ac germano intellectu Can. 13. Sess. VI. Concil. Trident. In quo docet virum Christianum non solum dolentem de offensa Dei per peccata sua, & præterea seriò proponentem, Christo in quem credit juvante, in posterum pro virili sua ab illis abstinere: verùm etiam aliquamdiu jam ejusmodi veram seriamque pœnitentiam egit, Talis (inquit) de remissis sibi peccatis non debebit dubitare; non trepidare, non diffidere, sed potius firmiter sperare, certamque fiduciam concipere, imò certò credere sibi propter Christum remissa esse peccata, seque Deum habere propitium; eoque tranquillam, pacatam lætamque habebit conscientiam, Deoque Patri pro tantis beneficiis sibi per filii sui meritum, gratis atque adeo clementer collatis, devotissimas gratias aget] Hæc ille cap. 6.

Hanc fuisse sententiam veterum patrum luculenter docet cap. 9. ex duobus testibus fide dignis, quorum primus est, testimonium propriæ cujusque conscientiæ; alter est sp. sanctus conscientiam pacificans, & de gratia Dei & peccatorum remissione testificans, cap. item 10. ex instrumentis item & sigillis quæ sunt divina sacramenta fusè probat.

Idipsum docet optimè idem Eisingrenius ex formulis quibus solebant sub Papatu animam agentes consolari, & verbis quibus ipsos alloqui consuetum c.8. Harum nonnullas proferam.

Augustinus Meditat. c. 13. Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea & infinitas negligentias meas, nisi verbum tuum Deus caro fieret & habitaret in nobis; sed desperare jam non audeo, quia cum inimici essemus reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum; omnis namque spes & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos & propter salutem nostram; in ipso respiro & in ipso confisus ad te per-

pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam quæ est ex filio tuo Domino nostro Jesu Christo. Et cap. sequenti c. 14. Hæc nempe mihi tota est spes, omnisque fiducia; est enim in ipso Jesu Christo Domino nostro uniuscujusque nostrûm portio, caro & sanguis, ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco; ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio; quamvis peccator sim, de hac communione gratiæ non diffido. Etsi peccata mea prohibent me, substantia mea requirit; etsi delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit.] Hîc Augustinus in negotio salutis docet firmam spem & certam fiduciam concipiendam de nostra salute, quippe cum sit in ipso Christo uniuscujusque nostrum portio, caro & sanguis: Ubi ergo (inquit) portio mea regnat, ibi me regnare credo] Ex communione naturæ fiduciam colligit regnandi cum Christo.

Interrogatio facienda infirmo in extremis constituto, quam præscripsisse dicitur Anselmus quondam Archiepiscopus Cantuariensis. Cassander ait, operi Epistolarum ejusdem hanc formulam insertam reperiri.

Infirmus (inquit) languens in extremis debet sic interrogari, & sic respondere: Frater, lætaris quod in fide Christiana moriaris? Respondeat, etiam; fateris te non ita bene vixisse sicut debuisse? Respondeat, etiam; fateris te tam male vixisse, ut meritis tuis pœna æterna debeatur? Respondeat, etiam; Pœnitet te? Respondeat, etiam. Habes voluntatem emendandi te, si spatium haberes vivendi? Resp. etiam. Credis quod Jesus Christus filius Dei natus fuit ex Maria Virgine gloriosa? Resp. etiam. Credis quod Jesus Christus filius Dei pro te mortuus fuit? Resp. etiam. Agis ei gratias propter ista beneficia? Resp. etiam, Credis te non posse nisi per istius mortem salvari? Resp. etiam, Age ergo, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe: huic morti te totum committe, hâc sola te totum contege, totum immisce te in hac morte; totum confige, hac morte te totum involve, & si Dominus tuus te voluerit judicare, dic, Domine mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium: Aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic Domine; mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & mea peccata: si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere nec habeo; si dixerit quòd tibi est iratus, dic, Domine mortem Domini nostri Jesu Christi oppono inter me & iram tuam. Quo expleto, dicat infirmus ter, In manus tuas commendo spiritum meum, & clero in idipsum respondente securus moritur] Hæc Anselmus. Addit M. Eisingrenius ubi verò hic vel unicum iota quod dubitationem, timorem, formidinem, aut diffidentiam aliquam redoleat? nonne expressè hominem in agone constitutum, etiamsi peccator sit iramque ac judicium Dei, ac sempiternam damnationem commeruerit, nihilo seciùs (modò verè de peccatis doleat) de remissione eorundem & perpetua salute, propter Christi meritum, indubitatam fiduciam habere debere? si peccata illi objiciat Deus, si indignetur ipsi, si judicare eum voluerit, docet hunc debere sibi Christum & merita illius prætendere, his inniti, totaque fiducia incumbere, & securè deinceps moriturum.

Caspar Utembergius Pontificius ingenuè fatetur, ubi harum quæstionum meminit, eas totam humanæ salutis rationem, adeoque thesaurum & nucleum Christianismi quasi brevi pugillo amplecti lib. de causis, &c.

De D. Bernardo quoque legimus apud Gulielmum Abbatem l. 1. c. 12. de vita Bernardi, cum extremum (inquit) jam trahere spiritum videretur in excessa mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari: adfuit autem & Satan ex diverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi verò ille omnia fuerat prosecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nihil territus aut turbatus ait: Fateor non sum dignus ego, nec propriis possum meritis obtinere regnum cœlorum, cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus & homo Dei in se reversus est. Hactenus Gulielmus in vita Bernardi.] Sanè hinc relucet Bernardum nullis Diaboli terriculamentis in diffidentiam aut dubitationem aliquando adactum, sed spretis impro-

probis de peccato accusationibus, nihil territum & turbatum ad uberrimum Christi Domini meritum confugisse, & ex eo securam fiduciam hausisse. Extat sacra institutio baptizandi juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ ex decreto Concilii Tridentini restituta, in qua etiam quæ apud infirmos in extremis laborantes officia fiunt, continentur——edita Parisiis An. D. 1575. ubi habentur interrogatoria sequentia: quæ eadem habentur in Sacerdot. Roman. Venetis An. 1585. in quarto, p.116. sub titulo,Petiones faciendæ infirmo morienti.

Sacerdos. Gaudes mori in fide Domini nostri Jesu Christi? Respondeat infirmus, Gaudeo. Sacerdos: Cognoscis te multum offendisse Dominum Deum Creatorem tuum, à quo tanta beneficia recepisti, & à quo habes quicquid boni habes? Respondeat infirmus, cognosco. Sacerdos: Doles ex corde de omni offensa contra Dominum Deum, & teipsum & proximum tuum qualitercunque commissa? Respondeat infirmus, doleo. Sacerdos: Doles de omni negligentia & omissione bene operandi & de contemptu gratiarum à Domino Deo tibi datarum? Respondeat infirmus, doleo. Sacerdos: Desideras recordari omnium peccatorum tuorum oblitorum, ut de ipsis habere possis specialem contritionem, & dolorem & pœnitentiam? Respondeat infirmus, desidero. Sacerdos: Proponis de cætero, si Deo placuerit te de hac ægritudine sanatum, deinceps toto tempore vitæ tuæ cavere à peccatis mortalibus, & vitam tuam mutare: & potius quodcunque damnum temporale & corporalem mortem sustinere quàm de cætero Deum per peccatum mortale offendere? Respondeat infirmus, propono. Sacerdos: Vis omnia, integrè restituere illis à quibus acquisivisses, recepisses, vel habuisses per te vel per alios injustè & indebito modo, & per hoc totam facultatem tuam si totaliter satisfacere non posses, exponere & eidem renunciare? Respondeat infirmus, volo & paratus sum. Sacerdos: Credis non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Respondeat infirmus, Credo. Sacerdos: Credis quod Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit: & quod ex propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ejus? Respondeat infirmus, Credo. Sacerdos: Doles quòd postquam veniam de peccatis tuis à Domino Deo consecutus es, recidivans reversus es ad eadem vel similia, vel majora peccata? Resp. infirmus, doleo. Sacerdos: Si occurrerit tibi Diabolus, ei semper appone merita passionis Christi. Respondeat infirmus, apponam. Sacerd. Si te tentaverit de fide, dices te omnia credere & confiteri, quæ credit Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia. Resp. infirmus, dicam. Sacerd. Si Dominus Deus voluerit te secundum tua peccata judicare, dicas, Domine Deus ego pono mortem Christi Jesu Domini mei inter me & judicium tuum & quamvis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tantum meritum passionis ejusdem loco meriti quod ego miser deberem habere, & non habeo. Item Domine pono eandem passionem & mortem Domini mei Jesu Christi inter me & iram tuam, & in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Resp. infirmus, dicam, &c.]

In hisce interrogatoriis Sacerdos monet ægrotum ut propriam indispositionem consideret, ut de peccatis commissis verè & sincere doleat, vitamque in melius se commutaturum statuat. Hæc si præstet ægrotus non vult Sacerdos, ut trepidet aut formidet, sed non obstantibus diaboli tentationibus, aut cogitatione de divinæ justitiæ districtione, semper tamen vult peccatorem apponere merita passionis Christi, & fiducialiter interponere mortem Domini Jesu Christi inter se & judicium divinum & iram Dei, atque ita fiducialiter in manus Dei commendare spiritum suum.

In hortulis animæ qui non ab Ecclesiasticis solum, verum etiam à cæteris Christianis in Papatu quotidie legebantur in hunc modum ægros consolandos esse reperimus. Lætaris quod in fide Christiana, & sanctæ matris Ecclesiæ unitate & obedientia morieris? Respondeat, lætor. Recognoscis te Deum graviter offendisse, & non tam bene vixisse sicut debuisses? Respondeat, Recognosco. Doles ex toto corde de omnibus peccatis contra Dei Majestatem commissis, & bonis omissis & neglectis, non solum timore mortis vel pœnæ, sed magis amore Dei in justitia & charitate, qua tenemur Deum super omnia diligere? Respondeat, doleo.

Petis super his omnibus à Deo veniam? Resp. Peto.

Ha-

Habesne sincerum propositum & explicitam voluntatem vitam tuam in melius commutare, atque corrigere, si vita comes superfuerit? Respondeat, Habeo.

Rogas etiam Deum, ut tibi gratiam præstet hoc propositum continuandi, veram scilicet contritionem habendi? Resp. Rogo. Esne conscius tibi ipsi alicujus peccati mortalis, de quo non sis confessus? Resp. Non.

Optasne etiam cor tuum illuminari ad oblitorum criminum (si quæ sunt) habendam notitiam, & si scires, tu libenter confitereris ea? Resp. Opto.

Vis ablata per te restitui integraliter, quantum ad id teneris juxta tuarum facultatum valorem, etiam ad omnium bonorum tuorum cessionem & renunciationem, ubi aliàs satisfactio fieri non valeret? Resp. Volo.

Indulges ex corde omnibus, qui tibi nocumentum intulerunt, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, à quo & veniam speras, & petis similiter indulgeri tibi, & remitti ab his, quos verbis & factis læsisti?

Respondeat, Peto & indulgeo.

Tu credis & recognoscis Jesum Christum filium Dei pro te mortuum esse, & aliter te non posse salvari, nisi per meritum passionis ejus?

Respond. Credo.

Agis ei de hoc ex toto corde gratias in quantum vales?

Resp. Ago.

Si bono corde responderit ad prædicta, signum est quod sit de numero salvandorum. Age ergo dum in te est anima tua ei semper gratias. Hac sola ejus morte te totum contege, eique te totum involve. Et si Dominus voluerit te judicare, dicas, Domine mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & te & judicium tuum, aliter tecum non contendo.

Si dixerit quòd merueris damnationem, dic, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & mala merita mea, ipsius dignissimæ passionis meritum offero pro merito quod ego habere debuissem, & heu! non habeo.

Dicat tertio, Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter te & iram tuam. Deinde dicat infirmus, in manus tuas commendo spiritum meum. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.

In veteri hoc hortulo qui ante multos annos excusus est, ita artificiosè quæstiones hæ institutæ sunt, ut si nihil aliud haberemus, ex iis discere abunde liceret, quo pacto æger dejectus, spe & consolatione erigendus sit. Tantum abesse vult Hortulus, ut æger ex propriæ indispositionis consideratione animum despondeat, ut si verè & sincerè doleat de peccatis, & proponat in posterum vitam in melius commutaturum, apertè doceat signum esse, eum in numero salvandorum inveniri, monstrat ei meritum Christi, spem omnem & fiduciam ut in eo collocet jubet, in hoc solo se totum contegere hortatur, eique se totum involvere.

Addit ad extremum Hortulus, hæc si præstiterit æger, securus morietur, & non videbit mortem æternam.

Joan. Gerson. lib. de mendicitate Spirit. part. 3. sic Dæmonibus ad desperationem sollicitantibus respondet: Non opus est ut mihi mea peccata commemoretis, inferentes hinc me cœlestibus prœmiis esset penitus indignum, id enim scio: sed scio quod pius ille meus Pater Jesus Christus meum debitum solvit, & mea omnia, quotiescunque mihi displicuerint, delevit peccata; mihique suo pretiosissimo sanguine cœleste regnum lucrifecit & emit, & hoc titulo & nullo alio possessionem hujus regni præstolor.] Hæc Gerson.

Quorsum diceret Gerson, & mea omnia, quotiescunque mihi displicuerint, delevit peccata, si non sibi potuisset constare de sua peccatorum displicentia, & certò constare?

Idem Eisingrenius pag. 484. ait, in cœnobio quodam ordinis Augustini, cui nomen (inquit) Rhamse erat, vetustate fere consumptum libellum inveni, in quo quæstiones similes ferè superioribus continebantur, quarum hæc octava est.

Credis propter te Christum esse mortuum, & te non posse salvari nisi per meri-

meritum ejus, cum se in ara crucis sacrificium cruentum Deo Patri pro nobis obtulerit? Agis ex toto corde Deo hoc nomine gratias? Hæc si affirmet ex animo, signum est illum esse è numero electorum; sic itaque illi loquendum, Dilecte, si ita sentis ut ostendisti, certifico tibi quod salvaberis & nunquam à Deo separaberis, hac causa commenda te Deo, ut quando velit, mori paratus sis. Hic tui causâ in cruce pependit, & cum jam in agone constitutus sis, cogita de salute tua & vita illa quæ in æternum duratura est, te Deo commenda, omnem curam ac spem in ipsum conjiciens. Tota mente de ipso cogita, passionem, crucem, vulnera & mortem Christi recole, curas temporales quæ prodesse nequeunt excute. Pete ab iis qui tecum sunt & adhuc incolumes pro tua salute Deum ut orent—— Toto animo ad crucem & vulnera Christi confuge, in nullo alio fiduciam habens.

Afferri huc possint alia multa quæ affert Eisingrenius ex Agendis Veteribus, Wirtziburgensi, Saltzburgensi, Moguntinensi & aliis huc spectantia.

CAPUT XLV.

Occurritur rationibus Bellarmini pro incertitudine Gratiæ.

Superest ut in hac controversia occurram rationibus quibusdam, quas affert Bellarm. l.3. c.8. pro incertitudine gratiæ.

Prima Ratio Bellarmini proponitur c.3.6 p.171. ubi etiam habetur ejus solutio.

Secunda Ratio: Nemo tenetur certò credere certitudine fidei sibi remissa esse peccata, nam ejusmodi articulus in nullo Symbolo Fidei continetur. Et ejusmodi præceptum in nullo Canone Ecclesiastico reperitur.

Percurrantur (inquit) Symbola, Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasii, nunquam reperietur articulus, credo me esse justum. Quod si dixerimus in Symbolo, dicitur, credo remissionem peccatorum, Bellarm. respondet, hoc tantum significari in Ecclesia dari Baptismum in remissionem peccatorum, ut explicatur in Symbolo Constantinop.

Sol. Resp. In Symbolis nihil credendum proponitur nisi quod fide Catholica & generali credendum est, qualia sunt ea quæ dicuntur dogmata seu articuli fidei. At ista fides qua credo me esse justum, est fides specialis cùm speciale habeat objectum, nimirum mihi esse remissa peccata proinde non mirum, si nusquam in Symbolo aliquo occurrat ejusmodi articulus. Atque hinc solvuntur Bellarmini illationes.

1. Hæc est. Si ejusmodi articulum fidei haberemus, credo mihi esse remissa peccata sequeretur omnem hominem qui peccat quocunque genere peccati mortalis, continuò fieri hæreticum, atque ita nullum esse peccatorem qui non simul esset hæreticus; neque enim potest qui voluntariè peccat credere se esse justum, nisi falsum deditâ operâ credere velit. At certè (inquit) inauditum est in Ecclesia nullum esse peccatorem, qui non sit hæreticus.

Sol. Resp. Non sequi omnem peccantem continuò fieri hæreticum, nemo enim censendus est hæreticus nisi qui pertinaciter oppugnat ea quæ omnibus credenda pro-

ponuntur in Symbolis Apostolorum, Nicæno, & reliquis Symbolis. At omnibus non proponitur in ullo Symbolo credendus iste articulus, Credo mihi esse remissa peccata, ergo illico non hæreticus censendus qui hunc articulum non credit. Iste enim articulus, Credo mihi esse remissa peccata, non omnibus credendus proponitur, non impœnitentibus, & non verè credentibus; sed solummodo verè pœnitentiam agentibus & verè in Christum Redemptorem credentibus ob remissionem peccatorum. Ejusmodi enim solummodo possunt & debent credere peccata sibi esse remissa. Porro non usquequaque verum est voluntariè peccantem non teneri ad credendum remissionem peccatorum, verè enim non tenetur in sensu composito quamdiu voluntariè peccat, sed sensu diviso tenetur deponere hanc voluntatem, tenetur pœnitentiam agere, & credere in Christum Redemptorem ob remissionem peccatorum, atque hæc si fecerit, potest & debet credere peccata sua esse remissa.

2. Illatio. Cùm omnes hæretici ab Ecclesia separentur sequeretur (inquit) nullum peccatorem in Ecclesia esse posse, quæ fuit hæresis Donatistarum, & ab Augustino & aliis Patribus manifestè refutata est.

Sol. R. Non hinc sequi nullum peccatorem in Ecclesia esse posse. Imò peccatores esse possunt in Ecclesia visibili vocatorum, fidem Christi profitentium, neque tamen peccatores tales sunt dicendi hæretici, atque ita ab Ecclesia submovendi, nisi fidem adhibere recusent, idque pertinaciter articulis fidei, qui in Symbolis omnibus credendi proponuntur.

Quod si qui non credunt in Christum Redemptorem, atque adeo non sibi peccata esse remissa, esto dici possint infideles, at nullo modo hoc nomine hæretici.

3. Ratio. Non expedit ut homines habeant ordinariè certitudinem de propria gratia: Nam (inquit August. de Corrept. & Grat. c.13.) In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Idem docet Christus Luc.18.11. Contra, ignoratio hujus secreti humilitatem conservat & auget.

Sol. R. Non expedire, nisi simul adsit cura, solicitudo & studium retinendi & conservandi gratiam. At Deus vult curam & solicitudinem comites esse gratiæ, & ejusdem vigiles custodes, ne aliquando obrepat carnalis securitas aut superbia, maxima gratiæ inimica. Unde & sancti in cœlis & beati Angeli gratiæ pleni, maximè soliciti sunt ut Deo in omnibus placeant, & ne ipsum aliquando vel levissimè offendant.

2. Resp. Ubi quis propria & inhærente justitia & propriis suis actibus & operibus justificatum se confidit fieri potest ut quis infletur & superbiat; at qui abrenunciatis propriis operibus gratis sibi remissa esse peccata credit, novit in Domino non in sese gloriari, cum novit nihil se habere, quod non à Deo accepit.

Augustinus in Psal.45. enarrans illud Apostoli 1 Cor.6. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis sed sanctificati estis. Si ergo (inquit) sanctificatos dicit, dicat unusquisque fidelium sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te superbus es; rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus 1 Cor.4. non ait, non habes; sed ait, Quid enim habes quod non accepisti? Non arguebaris quia dicebas te habere quod non habebas, sed quia ex te tibi volebas esse quod habebas. Imò & habere te agnosce, & ex te nihil habere, ut nec superbus sis nec ingratus. Dic Deo tuo, sanctus sum quia sanctificasti me, quia accepi non quia habui; quia tu dedisti non quia ego merui.] Hæc Augustinus & quidem præclarè.

3. Certitudo gratiæ ex se non parit superbiam, si enim ex se gigneret semper eam gigneret, nec Deus aliquibus speciali revelatione aliquando justificationem suam manifestaret. Si ergo in aliquibus pariat superbiam, id fit per accidens, & hominum malitiam & abusum.

4. Ratio: Deus singulari beneficio revelavit quibusdam remissionem peccatorum suorum, ut de Sancto Antonio & Sancto Francisco Authores testantur. Hæc est quorundam prærogativa specialis, non ergo omnium fidelium est fides ista communis.

Sol.

Sol. Fieri poteſt ut Deus ob cauſas ſpeciales aliquibus poteſt explicare & evidenter oſtendere id, quod tamen omnes tenentur ſcire. Chriſtus Paulo ſingulari vocatione revelavit fidem Chriſti, cujus tamen notitia eſt omnium fidelium communis: Ad Petrum dicitur, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, tu autem converſus confirma fratres, Luc. 22 32. Paulus ait ſe miſericordiam conſecutum πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν in exemplum aliorum qui crediturі ſunt.


5. Viri perfectiſſimi & ſanctiſſimi trepidârunt & dubitârunt de ſtatu ſuo, & remiſſione peccatorum, quomodo igitur omnibus incumbit, ut certi eſſe poſſint de remiſſione peccatorum.

Sol. Dubitatio ſanctorum eſt nota infirmitatis, non firmamentum incertitudinis. Oſtendit quorundam dubitatio quid aliquando fiat de facto, non quid fieri debeat de jure. Pontificii dubitationem in ipſis fidelibus laudant & ad virtutem humilitatis referunt, nos ad peccati reliquias pertinere dicimus.

F I N I S.

ERRATA.

IN *Præfatione pag.*1.*lin.*9. *lege* in eamque *p.*4. *l.*7. ſcripta. *In Libro p.*3.*l.*22.*l.*Romanos *p.*4.*l.*55. deſertionem *p.*6.*l.*2. agonotheta *p.*7.*l.*12. ſeu modo *p.*11.*l.*27. δικαιῶν *p.*12.*l.*14. ſeminantis *l.*17. quæ *p.*13.*l.*2. ſciſcitantem *l.*45. ſi *p.*14.*l.*16.*l.* inniti *p* 15 *l.*12. ..oto *l.*20. ſit *l.*24. ſyllogè *l.*39. *l.* ſolennibus his comitiis *p.*16. *l.*7. dicimus *l.* 14. ut *p.* 17. *l.*40. effective *p.*22.*l.* 1. actibus *p.* 23. *l.*34. pars *p.* 24. *l.*36. ſpe *p* 26.*l.*33. fœdera *p.* 28.*l.*50. id *p.* 29.*l.*22. viri *p.*31.*l.*20. ſupernaturali *p.*40.*l.*43. juſtitia *l.*55. conſtitutus *l. ult.* obedientiæ *p.*42. *l.*4. quæ *p.*46. *l.*20. nudum *p.*49. *l.*47. ut *l.*49. ſolennibus comitiis *p.*59. *l.*7. peccatum *p.* 61. *l.* 12. cœ â *l.*35. illius *p.*62. *l.* 15. definiendá *p.*63. *l* 22. Hâc *p.*66.*l.*3. Quæritur *l.*18. audirent *l.*30. expunge *p.* 68. *l.*9. ſufficientia *p.*69. *l.* 42. accedunt *p.*73 *l.*19. quæ aggregata *p.*76. *l.*36. eorum *p.*77 *l.*6. impertiri *p.* 78. *ult.* ream *p.*80. *l.*6. quia *l.*38. ἀγγέλως *p.*82.*l.*44. Synodo *p.*113. *l.* 9. manſurum *p.*116. *l.*42. futuram *p.*149. *l.*16. contendit *p* 155. *l.*4. teſtamento *l.*39. teſtamento *p.*158.*l.*25. quendam *p.* 171. *l.* 36. hoc *p.* 177. *l.*40. nec *p.*178. *l.*9. ſpiritualiter *p.* 209. *l.*21. ſuo actu elicito *l.* 31. crediďiſſet *l.*51. exercere *l.*55. ut *p.*211. *l.*53. ἀποϱηʹτικοὶ *p.*213. *l.*34. domum ſuam *p.*214. *l.*43. audaciâ *p.*216.*l.*18. unuſqui que ad cor ſuum *p.* 223. *l.* 28. promittentis *p.* 239. *l.* 42. quod *p.* 235. *l.* 25. *dele* ad omnes *p.* 237. *l.* 24. ſit *p.* 242. *l.* 54. multa *p* 243. *l.*44. converſionemque *p.* 252. *l.*34. propitiatione *p.*253. *l.*25. futuro *l.*26. ſibi *p.* 256. *l.*40. abſolutè *l.* 45. Apoſtolus *p.* 257. *l.* 43. ſimpliciter *p.* 265. *l.* 19. remiſſione.



PRÆLECTIONES
DE
Peccato Originali.

Cap. I.

Ubi sententia Ecclesiæ Anglicanæ de Peccato Originali ex ejusdem Ecclesiæ Articulis ac Homiliis eruitur & proponitur.



Anctus Augustinus (Epist. 157. ad Optatum, & Serm. 12 de verb. Apost.) Articulos duos illos, de hominis lapsu unum, alterum de restitutione per gratiam, in fidei Christianæ fundamentis Numerat. Nos, quoniam de gratiâ copiosiùs aliquando disseruimus, de altero illo capite, (humanæ naturæ depravatione) operæ pretium duximus fusiùs disserere; ut de gratiâ Christi, & ejus excellentiâ rectiùs Judicemus.

Unde autem potiùs exordium sumam, quàm ab art. 9. nostræ confessionis de originali peccato? Ubi sic habetur.

Peccatum originis non est (ut fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm; Sed est vitium, & depravatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturalitèr propagati, quâ fit, ut ab originali justitiâ quàm longissimè distet, id malum suâ naturâ propendeat, ita ut caro semper adversus spiritum concupiscat, unde in unoquoque nascentium iram Dei, atque damnationem meretur: Manet etiam in renatis hæc naturæ depravatio: quâ fit, ut affectus carnis (Græcè φρόνημα σαρκός; quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur) legi Dei non subjiciatur. Et quanquam credentibus & Baptizatis nulla propter Christum sit condemnatio; peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

Ex hoc Articulo evidentèr deducuntur propositiones, seu conclusiones sequentes.

1. *Peccatum originis non est in imitatione Adami situm.*] Hæc propositio posita est adversus Pelagianos.

2. *Peccatum originis est vitium, & depravatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati.* Hæc propositio expresè totidem verbis habetur in articulo.

3. *Omnis homo post lapsum ratione hujus depravationis naturæ ab originali justitiâ longissimè distat*] Hoc ex eo constat, quòd, ut supponit Articulus, hâc originali justitiâ ob culpam primi parentis meritò Privatus sit.

4. *Omnis homo post lapsum ratione hujus depravationis naturæ, & elongationis ab originali justitiâ, ad malum suâ naturâ propendet, & carnem habet semper adversus spiritum concupiscentem.*

5. *Hoc vitium, & hæc naturæ depravatio, quia facit, ut quilibet homo ab originali justitiâ longissimè distet, & ad malum suâ naturâ propendeat, & ut carnem habeat semper adversus spiritum concupiscentem, ideò in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur*] Unde jure infertur esse veri nominis culpam. Hæc propositio quoad singulas partes apertè in ipso Articulo continetur. In illis enim verbis [*Unde in unoquoque nascentium iram Dei, atque damnationem meretur,*] illud *Unde* causalitèr ponitur, atque satis apertè denotat, conditores articuli sensisse, hoc vitium, hanc naturæ depravationem, in unoquoque nascentium, iram Dei, atque damnationem mereri triplici de causâ. 1. Quoniam facit, ut ab originali justitiâ longissimé distemus. 2. Quia facit, ut ad malum naturâ propendeamus. 3. Hac fit, ut caro adversus spiritum semper concupiscat.

6. *Manet etiam in renatis hæc naturæ depravatio*] Hæc propositio explicitè totidem verbis exprimitur.

7. *Ratione hujus depravationis reliquiarum naturæ, fit, ut affectus carnis seu φρόνημα τῆς σαρκὸς, legi Dei non subjiciatur*] Hæc etiam conclusio in terminis in ipso articulo continetur.

8. *Renatis, & credentibus etsi insint reliquiæ concupiscentiæ pravæ; tamen propter Christum, nulla est iis condemnatio*] Hæc etiam conclusio, quoad sensum, apertè in ipso Articulo comprehenditur.

9. *Reliquiæ concupiscentiæ in ipsis Renatis habent in se veram rationem Peccati, fatente Apostolo.*] Hæc etiam conclusio in fine articuli, verbis ferè expressis habetur. Hæ novem conclusiones optimè exprimunt sensum ecclesiæ nostræ de Originali Peccato.

Sed & alibi Ecclesia nostra de hoc articulo quid sentiat non uno in loco explicat.

Prima parte Homiliæ de miseria hominis sic habet: D. Paulus in multis locis omnes homines quid naturalitèr sint, graphicè depingit. ut ubi ait, nos naturâ esse filios iræ, cùm primum nascimur, ad Ephes. 2. ubi etiam ait nos non sufficientes esse ex nobis ad benè cogitandum multò minus ad benè loquendum aut benè agendum ex nobis. *Et postea explicans illud Davidis, Ab occultis munda me, hæc habet. Peccata sua accurate pensitat ab originali radice & fonte; satis persentiscens inclinationes, provocationes, motus, seu agitationes peccatorum, incentiva item, germinationes, ramos, fæces, sapores, odores, sensus eorum in se etiam renato superesse, unde ait ecce in iniquitatibus conceptus sum*] En, non ait in iniquitate, sed iniquitatibus, numero plurali, eo quòd ex uno peccato ut fonte dimanant cætera omnia, & antea in eadem Homilia adducit illud, Jobi 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et ejusdem Hom. parte 2. *In nobis ipsis tanquam ex nobis nihil invenimus quo liberari possimus à misera illa captivitate in quam conjicimur, invidiâ diaboli prævaricando Dei mandatum in primo nostro parente Ada, omnes facti sumus immundi, sed non possumus nosmetipsos mundare—— Nos sumus naturâ filii iræ Dei, sed non possumus nosmetipsos facere Dei gloriæ hæredes.*

Et in Homilia de salute generis humani Part. 1. Infantes baptizati in infantia morientes, sacrificio mortis Christi abluti sunt à peccatis] En, infantes ablutione indigent. Et part. 2. Fidendum est unico sacrificio Christi in cruce oblato —— ut adipiscamur remissionem tam originalis peccati in baptismo; quàm actualium post baptismum. Et in Homil. de Nativitat. Domini ubi fusè describitur miseria in quam Adamus suo peccato incidit—— ait, Adamum lapsu factum fuisse massam peccati & Dei justo judicio factum fuisse obnoxium æternis pœnis —— sed hæc miseria non

solùm

solùm in Adamum incidit, sed in omnes ejus posteros, unde tota Adami progenies iisdem pœnis obnoxii fiunt quas Adamus culpâ suâ justè meruerat, idque probat ex Rom. 5. Sicut per unius delictum in omnes homines reatus in condemnationem; et unius Adami inobedientia multi constituti sunt peccatores] Quibus verbis docemur ut quemadmodum in Adamo omnes universalitèr peccarunt: Sic in Adamo omnes in universum mercedem peccati receperunt sc. mortales facti sunt, morti obnoxii, habentes in se non nisi æternam condemnationem, tum animi, tum corporis. Facti sunt, dicente Davide, corrupti & abominabiles, omnes declinaverunt; non est qui faciat bonum, non usque ad unum. O miserum & deplorandum statum hominis! ubi unius hominis peccatum omnes perdit & damnationi addicit homines unde nihil hominibus expectandum erat aliud quam mortis angores & pœnæ infernales. Unde mirum non fuisset si homo ad desperationem planè adactus fuisset quandoqu dem in tantum cecidisset à vita ad mortem, à salute ad perditionem, a cœlo ad infernum] Hæc in dictâ Homiliâ. Ex quo loco constat, juxtà Ecclesiæ nostræ sensum.

1. Omnes homines in Adamo peccavisse.

2. Omnes homines in Adamo peccantes, iisdem pœnis obnoxios factos, quibus & ipse Adam, æternæ sc. condemnationi, tum animi, tum corporis.

Hæc eadem egregiè explicantur in 2 Homilia de morte & passione salvatoris, p. 181. hisce verbis.

Quo magis concipiamus ingentem misericordiam & bonitatem salvatoris Christi in perpetienda morte universalitèr pro omnibus hominibus in conscientiam nostram altiùs descendere oportet, & diligentiùs perpendere primam & principalem causam quâ impulsus est ut hoc faceret. Cum magnus noster progenitor Adam Dei mandatum prævaricatus fuisset in pomo vetito in paradiso commedendó, uxoris suasa, non solum erga se sed & posteros æternam, justam iram & indignationem Dei concitavit, qui juxta sententiam prius latam ad mandati promulgationem se & posteros suos æternæ pœnæ tum corporis tum animi addixit: sic enim Dominus, Genes. 2. 16. *Præcepit ei dicens ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*] Jam prout Dominus locutus est, ita reipsa contigit, Adam de ligno vetito comedit & sic morte moriebatur (i.e.) mortalis factus est, Dei favore excidit, è paradiso ejectus est, non diutius mansit incola cœli, sed inferni titio & manceps Satanæ —— Huc facit illud Pauli, per offensam unius Adami mortem venisse in omnes in condemnationem] Hinc est quòd nec ipse nec ejus posteri jus ullum habeant ad regnum cœlorum, sed facti sunt reprobi & rejectanei, æternis pœnis inferni adjudicati.]

Ex hoc loco constat, ex sensu nostræ ecclesiæ.

1. Adamum prævaricando præceptum Dei, in se & posteros in æternum, justam iram & indignationem Dei concitasse—— Se & posteros suos æternæ pœnæ tum corporis, tum animæ adixisse.

2. Dei favore excidisse, Paradiso ejectum fuisse, non diutiùs mansisse incolam cœli sed inferni titionem & mancipium Satanæ, et tum illum, tum posteros factos fuisse rejectaneos & æternis pœnis inferni adjudicatos.

Similia occurrunt in formula Baptizandi quæ in Ecclesiasticis officiis publicis præscribitur. Ubi

1. Affirmatur omnes homines in peccatis conceptos esse & natos.

2. Preces Deo, nomine Ecclesiæ, offeruntur pro remissione peccatorum parvulorum qui sistuntur baptizandi, & ut spiritu sancto imbuantur.

Ex istis non obscurè constat quid Ecclesia nostra sentiat de naturæ humanæ per lapsum Adæ depravatione quæ omnes homines ex lapsu pervasit.

CAP. II.

Ubi eadem Doctrina ex Scripturis Sacris & rationibus è Scriptura petitis fusiùs demonstratur.

HIsce ita præmissis, superest, ut hanc Ecclesiæ nostræ erutam sententiam de hoc articulo è Scripturis sacris, & rationibus è Scripturâ petitis, fusiùs demonstremus.

Ut autem rem ipsam Paulò altiùs repetamus: Quandoquidem naturæ nostræ depravatio ex Adami peccato personali originem traxit, operæ-pretium erit de hoc Adami peccato personali paucula præmittere, et quos effectus in ipso produxit. Ubi

I. Dicendum est Adamum, inobedientiâ suâ in pomo vetito comedendo, seipsum meritò privâsse originali illâ justitiâ, in quâ primitùs conditus est] Peccatum illud primum Adami ipse Apostolus, *inobedientiæ* nomine, signantèr indigitavit, ad Rom. 5. Quæ denotat tum subjectionis negationem, tum obedientiæ renuntiationem. Illa autem inobedientia perpetrata est prævaricando præceptum de non comedendo pomo vetito, ut constat ex Gen. 3. Ex prævaricatione autem hujus præcepti Adamum meritò suo re ipsâ privatum fuisse originali justitiâ certissimum est; cum etiam omnes ejus posteros eadem orbari, notius est, quàm, ut ullâ probatione indigeat. Notum est illud, supernaturalia prorsus sublata.

II. Dico secundò, hoc peccatum personale inobedientiæ ab Adamo perpetratum, quo se meritò privavit originali justitiâ, reliquisse post se in eo aliquid permanens, unde ipse meritò peccator & dicebatur, & erat] Id ex eo potest intelligi quod qui peccatum aliquod commisit, post perpetratum peccatum, rectè dicitur, & jure appellatur propriè, & formalitèr peccator; item rectè dicitur esse in peccato, habere peccatum, & , si, pænitentiam egerit, mundari à peccato, & peccati remissionem consequi. Ut hoc rectiùs intelligatur, dicendum est, peccati nomen bifariam sumi posse.

1. Uno modo pro liberâ prævaricatione præcepti.

2. Alio modo pro eo, quod remanet in animo peccatoris, post actum illum prævaricationis, quod quidem, quamvis sit aliquo modo effectus ejusdem actionis, tamen est aliquo modo tam conjunctum cum ipsâ actione, ut proinde non metonymicè, sed propriè peccatum dici possit.

Duplex hæc significatio Peccati non est dicenda significatio duarum rerum, sed unius, ac ejusdem rei alio, atque alio modo se habentis: Unde peccati perversio, seu obliquitas, ut est in Motu, dicitur peccatum juxta significationem priorem; ut autem denotat aliquid permanens in animâ peccantis ex actu obliquo, dicitur peccatum in significatione posteriore. Quemadmodum enim qui à sole avertitur, manet aversus in tenebris, donec ad solem iterum revertatur: Sic etiam, qui per peccatum à Deo avertitur, non solùm, dum peccat, sed, postquam peccavit, manet à Deo aversus, donec per pœnitentiam convertatur ad Deum. Hoc autem, quod manet in animâ post actum peccandi, *maculam* appellant Scholastici. Dicitur autem Macula, quia, sicuti, dum manus soli objicimus, umbram in facie nostrâ producimus, quæ instar maculæ, major, aut minor esse potest pro magnitudine manûs, aut ejusdem majore, aut minore distantiâ à facie: Ita, quando peccata contra Deum patramus, quæ inter nos, & ipsum dividunt, dicente Prophetâ Isaiâ, c. 5. 9. Cùm ipse sit lux animæ nostræ, pro magnitudine istorum peccatorum contrahimus in animâ nostra, quasi maculam quandam, post peccatum commissum permanentem. Sic Malderus, 1, 2 q. 86. art. 1, & 2. Vel, ut Barth. Medina; Macula importat defectum nitoris ex recessu à lumine rationis, & legis divinæ, ratione cujus, anima est ingrata, & invisa Deo. Medin. ibid. p. 1167. vide & Thom. 12. q. 109. art, 7. Quod autem post peccatum aliquid in homine remaneat quod maculæ nomine rectè insigniatur,

insigniatur, patet ex sacris literis, Jer. 2. Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus Deus, Josh. 22. 17. Joshua compellans Israelitas, ubi meminit peccati, quod commiserant Israelitæ in adorando Baal-Peor [Numb. 25. 3.] usque ad præsentem diem Macula hujus sceleris in nobis permanet] uterque locus satis indicat post actum peccati per actum, & præteritum in ipsis peccantibus mansisse Macculam aliquam, unde delinquentes meritò dicuntur peccatores. Sic David post commissa, & transacta peccata Adulterii, & homicidii, sic precatur Dominum: Aspergas me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor, Psal. 51. 9.] Ubi ex perpetrato peccato planè agnoscit, se maculatum, ac contaminatum fuisse, ac indigere mundatione, & ablutione ab illâ maculâ. Sic Ephes. 5. 26. Apostolus dicit, Christum se pro Ecclesiâ suâ tradidisse, ut exhiberet eam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed, ut sit Sancta, & immaculata] Et Christi sanguis dicitur nos purgare ab omni peccato, (i.e.) ab omni maculâ, & inquinamento peccati. Atque hinc est, quod etiamsi nulla esset à Deo constituta pœna pro peccato, nihilo minus ex eo, quod homo peccavit, manet ante remissionem in statu, peccati maculatus hac labe, & pollutus. Consistit autem hæc macula propriè in privatione habituali conformitatis ad legem, quam aliquis est transgressus per peccatum actuale, quatenus ejusmodi privatio manet in ipso per modum termini, peccati actualis, & ut propensio ad contrarium malum. Alii appellant aversionem habitualem, seu privationem rectitudinis habitualis. Alii offensam Dei, voluntate hominis, contractam, & Dei voluntate nondum remissam. Alii Privationem gratiæ, ut gratum faciebat, vide Malder. in 1. 2 qu. 86. art. 1, 2. Optimè omnium Apostolus appellat ἀνομίαν (i) defectum conformitatis cum lege, in peccatore manentem post peccatum commissum, ut Joan. 1. 3.

Cùm igitur omne peccatum relinquat post se in animâ cujuslibet peccantis ejusmodi maculam permanentem, ex quâ verè propriè, & formaliter peccans, peccator denominatur, & est; Proculdubiò, & inobedientia Adami ejusmodi maculam permanentem in Adami animâ post se reliquit, unde ipse verè, propriè, & formaliter peccator & dicebatur, & erat.

III. Dico tertiò, Ipsam privationem originalis justitiæ in Adamo, quæ dicit carentiam justitiæ debitæ inesse, proprio suo demerito contractam, culpæ personalis habitualiter manentis propriè dictæ, rationem habuisse]

Dico, ipsam privationem originalis justitiæ, quâ dicit carentiam justitiæ debitæ inesse, culpæ rationem habere; siquidem, carere illo bono, quod beneficio conditoris collatum est, idque eâ intentione, ut ad indebitam gloriam supra naturam eveheretur, nec retinere, quod retinuisse, ex quo collatum est, tenebatur, meritò Adamo vitio vertendum erat.

Addo [*Proprio demerito contractam*] ex hoc enim talis carentia justitiæ originalis, quæ contracta est proprio demerito Adami, puta Infidelitate, quâ non credidit Dei comminationi, Superbiâ, Curiositate, Inobedientiâ, &, si quod aliud ejusmodi fuerat; talis, inquam, carentia, meritò culpæ rationem habuisse dicenda est, siquidem talis carentia Adamum meritò culpabilem fecit, ejusque personam Dei conditoris oculis vituperabilem, invisam, & exosam sistebat.

Non ergo existimandum est, ejusmodi carentiam habitualem pœnæ duntaxat rationem habuisse; (quamvis & pœnæ rationem habuisse non dubitemus, quatenus ejusmodi carentia in vindictam tantæ inordinationis voluntariæ à Deo infligitur:) Sed dicimus insuper, dictam carentiam, quâ dicit carentiam justitiæ debitæ inesse, et retineri, ex quo data est ex largitate conditoris, et Adami inobedientiâ voluntariâ amissæ, culpæ propriè dictæ rationem habuisse.

Quòd autem carentia justitiæ originalis in Adamo lapso, culpæ personalis propriè dictæ rationem habuit, probatur, 1. Ex Scripturi, 2. Rationibus ex Scripturis. Ex Scripturis probatur, hanc carentiam originalis justitiæ esse veri nominis peccatum 1. Cùm Deus Adamum vocat, & ei dicit, Ubi es? Gen. 3. 9. Quando ex ipso quærit, Quis indicavit tibi, quòd nudus esses? vers. 11. Satis indicat, hanc nuditatem esse culpabilem, & illi exosam; non enim fuit hæc ignorantis, sed increpantis

vox.

vox. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 34. eſt enim, ac ſi dixiſſet; cur de nuditate erubeſcis? Annon agnoſcis carentiam debitæ juſtitiæ ex peccato ortam? Sic Apoſtolus, Rom. 3. Ubi hominem lapſum depingens, ſic habet; Non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum; omnes declinaverunt, non eſt, qui faciat bonum, ne unus quidem. verſ. 17. viam pacis non cognoverunt. v. 18. non eſt timor Dei ante oculos eorum. Quæ verba averſionem hominis à Deo, & juſtitiæ debitæ carentiam denotant. Cum enim conqueratur Deus de toto humano genere lapſo, non inter eos eſſe vel unum, aut juſtum, aut intelligentem, aut Deum requirentem, aut bonum facientem, ſed omnes declinâſſe & deviâſſe; omninò inde evincitur, tum Adamum lapſum, tum omnes ejus poſteros rectitudine in eſſe debita culpabilitèr carere, ac proinde obnoxios fieri iræ divinæ.

2. Hoc idem probatur rationibus ex Scripturâ deductis. Nam

1. Primò, Hæc carentia habitualis, ſeu averſio habitualis in animâ Adæ, orta ex actuali averſione voluntatis, formalem habuit pugnantiam cum illa lege, quæ exegit ab Adamo habitualem conſervationem doni collati; quandoquidem hac lege donum originalis juſtitiæ collatum eſt Adæ, ut ſtudiosè ab eo conſervetur, excolatur, & ad debitum finem conſequendum uſurpetur, & accommodetur, juxta illud, quod indictum eſt Eccleſiæ Thyatirenſi (id enim omni homini dictum intelligendum) Tene, quod habes, Apocal. 2. 25. juxta illud item ſalvatoris; Cui multum datum eſt, ab eo multum repetetur. Ipſe inutilis ſervus conjicitur in tenebras exteriores, quanto magis talentum abjiciens.

Hæc igitur carentia originalis juſtitiæ, cùm ſit defectus in animâ, propriâ voluntate Adæ contractus, talis (inquam) defectus evitabilis, meritò imputatur deficienti Adæ, ut erga tantum benefactorem ingrato, nec retinenti, aut cuſtodienti curæ ejus commiſſum tantum depoſitum.

2. Hæc carentia eſt carentia rectitudinis, ſeu juſtitiæ, in Adamo debitæ ineſſe; Ergò talis carentia meritò in genere moris eſt, culpabilis, & vituperabilis in eo licet peccatum fuit perſonale, non originale eſſentialiter G. de Valent. de peccat. Conſeq. probatur; quia, in creaturâ rationali, carere juſtitiâ, debitâ, & requiſitâ, concreditâ, & curæ ejus cuſtodiendâ demandatâ, eſt meritò culpabile in eo, qui hanc carentiam rectitudinis debitæ debuit, & potuit vitâſſe: meritò enim culpandus eſt, qui tantum malum à ſe diſpellere potuiſſet & tamen noluiſſet.

Antecedens probatur; quia hæc juſtitia, & rectitudo, poſtquam beneficio conditoris collata eſt Adamo, conſervanda erat, & retinenda: debuit enim retinuiſſe, & ſtudiosè conſervâſſe tantum donum, curæ ejus demandatum.

Ob: Dices; Illius dicimur debitores, cujus habemus præceptum:
At Adam non habuit præceptum conſervandi juſtitiam originalem.

Vid. Aug. de lib. Arb, l. 3. c. 13.

Sol. Reſpondeo, Aliquid dici poſſe debitum & illud [Tene quod habes] æquè dictum putandum eſt Adæ & cuicunque, qui donum aliquod à Deo accepit, atque olim dictum eſt Angelo Eccleſiæ Thyatirenſis, Apocal. 2. 25. Datum repetetur, &, cui multum datum eſt, ab eo multum repetetur, depoſitum repoſcetur, *Luk.* 12 48.
1. Quia cadit ſub præcepto formali; ſic debemus diligere Deum.
2. Ratione beneficii, etiam ubi non habemus expreſſum præceptum de juſtitiâ conſervandum, ſiquidem lex naturæ dictat, ubi accepiſti beneficium reddendum eſſe officium.

Hugo de Sancto Victore, lib. 1. de Sacram. part. 6. c. 7. ait,

Duo præcepta data eſſe primo homini. Præceptum
1. Naturæ, quod intus aſpiratum eſt per naturam.
2. Diſciplinæ, quod foris appoſitum eſt ad diſciplinam de non commedendo pomo.

Præceptum naturæ erat ipſa diſcretio naturalis, quæ intrinſecus aſpirata eſt, ut per eam homo erudiretur de iis, quæ ſibi vel appetenda, vel fugienda erant; quaſi enim quoddam præceptum dare erat, diſcretionem, & intelligentiam agendi, cordi hominis aſpirare. Quid ergò cognitio faciendorum fuit, niſi quædam ad cor hominis facta præceptio? Et quid

rurſus

rursus cognitio vitandorum fuit, nisi quædam prohibitio? quid verò cognitio eorum, quæ media fuerunt, æstimanda est, nisi quædam concessio? ut illic homo arbitrio suo relinqueretur, ubi quamcúnque partem elegisset non læderetur.] Hæc Hugo.

Sic Angles. in 2. Dist. 30. p. 211. Lex Fidelitatis exigit, serva depositum: Lex Discretionis naturalis, Tene, quod habes: Lex Gratitudinis, Beneficium collatum ne sperne.

Hac secunda ratione tenebatur Adam sub pœna reatûs justitiam conservare; cùm propter acceptum tantum beneficium omne debitum obsequium benefactori reddere, ob collatum beneficium, teneretur, saltem non spernere, aut parvi facere tam magnum beneficium. Angelorum malorum prævaricatio in hoc potissimum constitit, quod non servarent suam originem, sed domicilium suum relinquerent, Judæ, 6.] tenebantur ergò servâsse originem, &, quià non servârunt, vinculis æternis sub caligine reservantur, judicio extremo; & carentia hujus originis iis in omnem æternitatem, ut grande peccatum, meritò imputatur. *Vide Whitak. de peccat. orig. p. 73.*

3. Omne peccatum propriè sumptum est carentia justitiæ debitæ inesse, & quale fuerit peccatum, talis erit carentia justitiæ: Ergò, ut Adæ actuale peccatum proprii nominis est carentia justitiæ actualis, quæ deberet voluntati, seu volitioni Adæ inesse; ita habitualis, seu permanens carentia (post actum perpetratum) justitiæ originalis, quæ debebat inesse, est verè, & propriè peccatum habituale.

4. Quemadmodum anima, seu voluntas Adæ, dono justitiæ originalis prædita, conversa dicitur ad Deum *Justa habitualiter*, & *Deo accepta*; sic etiam eadem anima dono illo privata, *Non-conversa*, &, Non justa dicitur. Et, si ipsa se à Deo averterit, & donum illud excluserit, *Aversa, Injusta, Invisa*, & exosa, optimo jure dicetur, atque adeò macula peccati propriè dicti, infecta, cùm Deus nihil propriè odio habeat, præter peccatum. Vide *Bellarm.* lib. 5. c. 19. de amiss. grat. & stat. peccat. Sect. Igitur. p. 566.

5. Ipsa carentia scientiæ debitæ, seu ignorantia eorum, quæ tenebatur Adam scire, (in quibus sunt ignorantia ultimi finis, Error etiam in dignoscendo ultimo fine, Ignorantia item mediorum ad finem, ignorantia item propriæ mentis, & id genus alia in mente) erant defectus verè culpabiles in Adamo, contracti ex dictâ carentiâ originalis justitiæ. Carentia item rectitudinis in voluntate, quatenus Deo non mansit subdita; infirmitas item in Irascibili, carentia item subjectionis in concupiscibili, quatenus non jam ampliùs imperio rationis, prout debet, ordinatè subjicitur; omnes hi sunt defectus verè culpabiles, & vituperabiles in Adami animâ ex privatione hac orti, ac proinde veri nominis peccata.

Dices, privationem justitiæ originalis, & ejusdem ablationem à personâ Adæ fuisse à Deo, ergo non fuisse formaliter peccatum, seu peccatum proprii nominis.

Sol. Respondeo privationem sumi, vel

1. Activè, pro actu Dei privantis, seu auferentis justitiam originalem; &, ut sic, erat actus Dei punientes actuale peccatum Adæ.

2. Passivè, pro defectu habituali hujus justitiæ debitæ inesse, qui inhæret animæ, ex prævaricatione ejus liberâ contractus: Sic enim recessus est à lege jubente, Tene quod habes; vel potiùs à lege jubente habitualem conformitatem hominis *seu humanæ naturæ* cum prima institutione, & defectus habitualis conformitatis cum illâ lege. *Vide Cr de Valent. de pecc. orig. 17 n. 4.*

Dices: Si Deus ob carentiam Originalis justitiæ Adamo irasceretur, cùm illa ipsa videatur in pœnam inobedientiæ ejus illi inflicta esse, fore progressum in infinitum. Si enim Deus, propter peccatum Adami actuale iratus, puniret illum illâ carentiâ; & rursus propter illam ipsam irasceretur & aliam pœnam infligeret; & simili de causa propter ipsam secundò inflictam pœnâ tertiò irasceretur: succedentibus sibi mutuò, & sæpè reatu, & pœna, sine interventu ullius peccati actualis. Armin. ad 31. Art. p. 168.

Sol.

Sol. Nos non dicimus, omne peccatum esse pœnam alterius peccati, sed quædam; ea videlicet, in quæ quis incidit meritò peccati ante commissi; atque inter ea esse carentiam justitiæ originalis, quæ in pœnam primæ inobedientiæ Adæ inflicta est. Esto, jam Deus propter hanc carentiam culpabilem, secundò eum puniat; at non necesse est, ut illa etiam pœna peccatum habituale sit quod novam pœnam mereatur: Sed ex istâ carentiâ justitiæ, & inde secutâ inordinatâ concupiscentiâ, quæ naturam ejus infecit, & pervasit, ultrò fluunt actualia peccata, teste Arminio thesi public. 8. n. 13. p. 86. & privat. 31. ut de progressu in infinitum vanus planè metus, & prorsus sit imaginarius, cùm non omnia peccata pœnæ sint alicujus peccati; hoc enim verum non potuit esse in primo peccato. vid. Est. in 2. dist. 36. sect. 2. quod & docet Augustinus expositione in Psal. 57.

[IV. Dico quartò, ex hoc personali peccato Adæ non solùm secutam fuisse in Adamo privationem justitiæ originalis verè calpabilem, sed & vitium, & depravationem virium animæ, pronitatem inordinatam, & propensionem ad omnimoda mala, quæ & Concupiscentia prava dici solet, quæ verè, & propriè peccatum dicebatur, & erat]

Quòd hæc mala omnia expertus sit Adam post admissum inobedientiæ peccatum, (vitium, & depravationem omnium virium animæ, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, difficultatem in irascibili, concupiscentiam in concupiscibli) omnes ferè theologi admittunt: quòd & expertus sit pronitatem inordinatam, & propensitatem ad omnimoda mala, concupiscentiam item pravam in utroque appetitu, tum sensitivo, tum rationali, nemo ferè est, qui diffiteatur.

An autem hæc Concupiscentia prava quam certum est animam totam pervasisse, & ejus omnes vires occupâsse sit veri nominis peccatum, id jam accuratiùs discutiendum, & ventilandum est.

Cap. III.

Ubi Quæstio hæc ventilatur, An Concupiscentia sit veri nominis Peccatum?

PER *Concupiscentiam* non intelligimus Appetitum in genere, ut suâ notione rationalem simul, & Sensitivum appetitum complectitur; neque sensitivum appetitum, qui Irascibilem, & Concupiscibilem appetitum Comprehendit; neque eum, qui peculiaritèr Concupiscibilis appellatur, qui contradistinguitur Irascibili; nec aliquam vim, facultatem, aut potentiam ab animæ essentiâ fluentem: Omnes enim istæ potentiæ, & facultates, ab animæ naturâ dimanantes, in Adamo integro repertæ sunt, & à Christo una cum veritate humanæ naturæ sunt assumptæ.

Sed intelligimus vitium naturæ, quod per peccatum inobedientiæ primò contraxit Adam, & per eum in naturam humanam subintravit; Malam sc. pravam, & vitiosam Concupiscentiam, quæ Adamum primùm, & in eo humanam naturam culpabilitèr infecit. Complectitur autem hoc vitium, quod primùm Adamum ipsum invasit, tum vitium illud, quo jam pronus sit Adam, & proclivis ad appetenda bona sensibilia contra ordinem rationis; quod vitium in inferiori parte animæ est, quæ & sensualitas solet appellari: tum etiam vitium illud in superiori parte animæ (i.) in intellectu, & voluntate Adæ situm, quo istæ facultates propensæ, & proclives ad appetenda objecta, legi divinæ contraria factæ sunt, & Deo, & ejus voluntati immorigeræ factæ debitam subjectionem, & subordinationem præstare recusant.

Concupiscentiam modò descriptam, generali notione sumptam, quatenus est vitium, tum inferiori, tum superiori parti animæ inhærens, hoc loco intelligimus, quæ aliis nominibus à Theologis indigitari solet: scriptura appellare solet *Carnem*, Iniquitatem, immunditiem, mortem animæ, legem carnis, legem membrorum.

Patres

Patres, & Scholastici languorem naturæ, affectionalem qualitatem, malam valetudinem, morbidam qualitatem, affectionalis qualitatis ægritudinem, fomitem peccati, ut alia nomina præteream.

Concupiscentiam pravam hoc modo descriptam, Theologi multi non infimi nominis, Philosophorum insipientiam sequentes, qui nihil aliud, quam consuetudinem naturæ jam currentis attendentes, neglectâ Scripturâ sacrâ, quæ primi hominis in creatione describit puritatem, naturalem fuisse Adamo contendunt, & à principiis puræ naturæ absq; gratiâ consideratæ profluxisse, audacter affirmare non dubitant; Pronunciantes, Adamum, primum hominem, si ex naturali conditione æstimetur, naturaliter habuisse vulnera illa singulis facultatibus congenita, & ex naturæ principiis emanantia quæ illius naturæ post lapsum adhærebant, & quæ jam cernimus cuique homini à primâ nativitate adhærescere; ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu ἐπιθυμητικῷ, infirmitatem in θυμικῷ: Beneficio autem, & largitate creatoris Dei vulnera hæc fuisse ligata, vel sanata, medente quodam supernaturali dono, eundémque hominem primum per dona hæc gratuita naturæ integræ superaddita fuisse sublimatum, & ad debitam filiorum Dei conditionem evectum, & adoptatum: Eo modo, quo imaginantur Pelagiani, suos infantes sine peccato nasci, & per baptismum à nullo peccato liberari, sed tantum beneficio Creatoris, ex filiis hominum vitæ cuidam inferiori destinatis, in Dei filios adoptari, qui regnum possiderent æternum, ut patet ex Augustino, lib. 2. contra 2. epist. Pelagianorum, c 6. & l 4. c. 2. Quasi, videlicet, homo non fuerit naturaliter ad hoc conditus, ut soli Deo serviret, & postea beatitudine frueretur. Sed, ut in naturali quadam vivendi ratione, quæ absque peccato esset neque in ordine ad cœlestem beatitudinem, vitæ suæ cursum transigens, tamdiu naturalem quandam beatitudinem acciperet, cujus neq; locus, neq; ratio in Scripturis invenitur, sed à vanis, & male feriatis hominibus juxta Pelagii sensum ex Philosophiâ contingitur, ut rectissimè M. Baius. Videtis erroris hujus originem ex Pelagio profectam, qui eum ex philosophiâ hausit. Unde etiam eundem hausisse nonnullos Scholasticos, & modernos Jesuitas, & eorum asseclas, credibile est.

Nos verò confessionis nostræ Articulum nonum suprà recitatum sequentes, dicimus, vitium illud, & naturæ depravationem, totámque illam pronitatem ad omnimoda vitia, rectæ rationi, & divinæ legi contraria, sive in inferiore, sive in superiore animæ parte, quam in Adamo jam lapso cernimus, non fuisse *Naturalem* hominis primi conditionem, nec à principiis naturæ Adæ ortum habuisse; sed ex lapsu Adæ subintrâsse, & naturam ejus peccavisse, corrupisse, & penitus depravâsse, & culpabiliter infecisse; ut merito hoc vitium potentiis animæ Adæ adhærescens dicamus esse veri nominis peccatum, atque adeò reatûs, æternæ mortis inductivum.

Id jam ex Scripturis demonstrandum restat. Scriptura testatur, primum hominem conditum fuisse ad imaginem, & similitudinem Dei, Gen. 1. 27. Hæc imago quæ, & qualis fuerit, docet Apostolus, ubi meminit hujus renovationis, hortans Ephesios, ut renoventur spiritu mentis, & ut induant illum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitiâ, & sanctitate veritatis, ad Ephes. 4. 23. 24. vel, ut alibi hortatur, ut induant novum hominem, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit, seu creavit, ad Coloss. 3. 10. ex quorum locorum collatione constat, hominem in eo conditum fuisse ad imaginem Dei, quatenus conditus est, in justitiâ, Sanctitate, & Scientiâ veritatis. Hanc autem imaginem Dei, vitiosa concupiscentia, postquam intravit in Adæ animam, hanc justitiam, sanctitatem, & scientiam corrupit, planè exclusit, delevit, ut ejus ne vel extrema lineamenta in naturâ nostrâ superfint, eamque replevit injustitiâ, immunditiâ, & ignorantiâ, tum ultimi finis, in cujus adeptione sola hominis beatitudo consistit, tum mediorum ad finem conducentium, tum etiam mentis propriæ, unde fit ut ipse, qui voluntate propriâ peccat, non possit sæpe discernere, an verè peccaverit, an deliberatâ voluntate consenserit, necne. Est ergo hæc concupiscentia veri nominis peccatum, ut quæ formaliter destruit, & corrumpit imaginem illam primævam, in qua conditus est Adamus.

2. Testatur Salomon, Eccles. 7. 30. Deum fecisse hominem (i.) πρωτόπλαστον Adamum, rectum, (i.) in illâ rectitudine & integritate, quæ reddebant ipsum in specie suâ undequâq; perfectum; vel, ut Chaldæus Paraphrastes velit, *rectum ante se*, & innocentem. Aug. l. 14. de Civ. Dei. c. 11 Fecit Deus hominem rectum, (ac pro hoc bonæ voluntatis & corrept. & grat. c. 10. Fecit Deus hominem rectum, (i.) absq; omni vitio. Et in eandem sententiam Prosper contra Collatorem, c. 18. ait; Rectum, atq; omni vitio carentem esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eúmq; tale accepisse liberum arbitrium: ut, si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare, quia vellet. Damascenus de Orthod. Fide, l. 2. c. 12. eundem locum aludens, sic habet, ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἄκακον, εὐθὺ ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ καταγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα, &c.

[Fecit Deus hominem purum, pravitate carentem, rectum, virtutibus præditum, sine dolore, & anxietate, omni virtute decorũ, bonis omnibus ornatum. Hugo Cardinalis sic. Fecit Deus hominem rectum. (i.) erectum naturaliter, ad cœlum, & interiùs, & exteriùs; figura enim corporis attestatur rectitudini animæ. Lyra exponit, *Rectum*, (i.) originali justitiâ præditum, & in perfectione, quæ potest convenire humanæ naturæ in præsenti vitâ: vel *Rectum* (i.) in rectitudine naturali, per quam nulla rebellio esset in viribus sensitivis contra ordinem rationis. Ex horũ interpretatione, rectitudo hæc, in quâ conditus est homo, effulgebat præcipuè in parte sensitivâ, & rationali, in quarum utrâque duplicem cernere erat rectitudinem, unam *absolutam* quâ utraq; facultas promptè, facilè, & expeditè. & constanter in licita objecta ferebatur; alterum *comparatam*, quâ appetitus sensitivus rationis & voluntatis nutui, & imperio libenter, placidè & delectabiliter obtemperabat. Ipsa verò superior pars vicissim moderatè, leniter, & suaviter, inferiorem partem dirigebat & gubernabat: Quæ tamen ipsa Dei conditoris sui nutui morem usq; quaq; gerebat. Hæc fuit primæva rectitudo, in quâ primus homo conditus est. At hæc rectitudo, post lapsum, non mansit in Adamo, quin potius obliquitas, curvitas, & deordinatio in omnibus animæ facultatibus successit: quâ fit, ut in uno eodemque homine vel superiora inferioribus turpiter serviant, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, ut habet Augustinus. Atque huc respicit Sapiens, ubi enim dixit, Deus fecit hominem rectum; statim subjungit, At ipse se infinitis immiscuit, quæstionibus, (i.) rixis & pugnis carnalibus seu curiosis quæstionibus, siquidem ex lapsu curiositas quædam Adamum, & omnes posteros invasit, seu libido cognoscendi non necessaria, aut occulta, & arcana, quæ scrutari fas non est; est autem hæc curiositas, cùm in actum sese exerit, manifestum peccatum actuale: ergò & ipsa habitualis pronitas mentis ad talem scientiam, quæ in Adamo fuit, huic rectitudini formaliter opposita est, ac proinde veri nominis peccatum. Hanc curiositatem Parisiensis eleganter appellat Prostitutionem virtutis rationalis, rectéque infert, non esse leve peccatum, aut parvam turpitudinem, sacratum primæ veritati intellectum prostituere *se*, & venerandum hoc matrimonium multiplicibus adulteriis violare. Parisiens. de tent & resist. c 1. p. 18.

Secundò prava concupiscentia, quæ fuit in Adamo post lapsum, erat ἀνομία, Ergò erat veri nominis peccatum.

Consequentia patet, quia omnis ἀνομία est veri nominis peccatum. Quod enim non est conforme legi, sed ei repugnat, est peccatum definiente S. Joanne, 1 Joan. 3. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία peccatum est legis transgressio.

At prava concupiscentia in Adamo lapso non erat conformis legi divinæ, sed ei repugnabat. Ergò Bellarm. de amiss. grat. & stat. peccat. lib. 5. cap. 14. Duo respondet.

1. Exceptio: Non omne quod repugnat legi, esse peccatum, sed ipsam discordiam, repugnantiam, seu recessum à lege, ac deviationem propriè esse ἀνομίαν, & formaliter peccatum. Repugnat enim inquit, legi Diabolus, homo, qui peccat; sed neuter peccatum est, sed ille iniquitatis lusor, hic author sic concupiscentia inquit, repugnat legi mentis, Rom. 7. 23. sed hæc non est formalis repugnantia, neque enim, inquit, repugnat, ut actio recedens à normâ legis, neque ut potentia, vel persona, quæ normam sequi tenetur; sed ut incitans, solicitans, & impellens ad prævaricandum legem.

Sol.

Sol. In pravâ concupiscentiâ duo sunt attendenda; vel { 1. Vis, seu potentia concupiscendi, 2. Pravitas potentiæ inhærens.

Jam, vis concupiscendi non nisi efficienter pugnat cum lege, quomodo Diabolus & homo peccans; at pravitas, quæ inest potentiæ formaliter pugnat cum lege: quomodo & malus Dæmon, & malus homo non nisi effectivè pugnant cum lege, cùm sint personæ; at horum malitia, ratione cujus pugnant cum lege formaliter pugnat. Idem dici potest de omnibus actualibus peccatis, in quibus aliud est { Actus, Malitia, seu pravitas actus. ipse actus effectivam habet pugnantiam cum lege Dei, at malitia, pravitas, seu deordinatio actûs formalem habet pugnantiam cum lege Dei. Sic homicidium quatenus dicit actum, pugnat cum lege, non nisi efficienter; at actûs inordinatio formaliter pugnat cum lege: Sic Latrones cum lege principis pugnant effectivè, at ipsum Latrocinium, quâ vitium denotat, pugnat cum lege formaliter.

Secunda exceptio. Concupiscentia prava, licèt sit peccatum naturæ, quale est surditas, claudicatio; non tamen est peccatum contra ullam legem, cujus prævaricatio reatum inducat.

Sol. Imò, concupiscentia prava est peccatum contra legem primæ institutionis naturæ humanæ, & regulam primævam, & justitiam insitam, quam humanæ naturæ Deus impressit, cum fecit Adamum ad imaginem suam. Licèt enim in brutis animalibus, & plantis, & reliquis creaturis, imò etiam in homine, quod ad corpus, & partem animæ vegetativam attinet, non sit peccatum reum faciens, si non fuerit conformia primæ institutioni, v.g. si brutum fuerit claudum, aut surdum, aut planta fuerit infrugifera, aut sterilis: vel denique si corpus hominis fuerit morbidum aut leprosum, licèt (inquam) hæc fuerint naturæ ἁμαρτήματα, seu peccata nullum reatum inducentia; tamen, si voluntas, & intellectus, & sensitivus, appetitus hominis (quæ sunt subjecta peccati capacia, & susceptiva) non fuerint conformes suæ primæ institutioni, omnino sequitur peccatum reum faciens. 1. quia nasci sine originali justitiâ, quæ in hisce facultatibus propriè sedem habuit, & cum pronitate effrœni ad omnimoda mala, seu concupiscentiâ pravâ inde ortâ, conficit hominem in necessitatem peccandi; non sic claudum, vel surdum, vel morbidum, & leprosum nasci. 2. Respondeo, Quia homo, in primâ institutione naturæ suæ, præditus intellectu, & voluntate, habuit perfectam voluntatis libertatem, proinde in potestate suâ habuit hanc primam naturæ suæ institutionem retinere, & conservare: Et, licèt in sensitivo appetitu non sit formalis libertas, tamen in homine est aptus natus obsequi, & obtemperare imperio voluntatis; & si non obtemperat, non est tantùm obliquitas naturalis: qualis est in corpore, si curvum nascatur sed etiam Moralis reatum inducens, & veri nominis iniquitas, & injustitia contraria rectitudini naturali, in quâ conditus est primus homo. Hinc Augustinus nusquam concupiscentiam pravam naturalem esse dicit, Imò simpliciter removet à naturâ, & ubiq; malum appellat, non quomodo mortem, & alias puras pœnalitates, quas etiam Christus suscepit, malas dicimus, sed quia pugnat cum lege Dei, & incitat ad peccandum, & tale sit, de quo homines erubescunt, & postea videbimus. Hinc Augustin. l. 5. contra Jul. c.3. Iniquum est, ut caro concupiscat contra spiritum, & l. 5. c. 3. compellans Julianum sic ait; Si prudenter hic saperes profectò esse iniquitatem videres, quâ pars inferior hominis repugnat superiori, atque meliori Et antea eodem capite, concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis. Et l. 6. contra Julian. c. 8. Neq; enim nulla est iniquitas, cùm in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt; inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Et Epist. 29. ad Hieronym. Plenissima charitas, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, illud, quod minus est, quàm debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terrâ] quòd impedit justitiam, & constituit reum, non est vitium merè naturale, quale est cæcum & surdum nasci, sed morale, talis est defectus

Vide Damasc. de Fid. orthod. c.12. prope finem.

fectus plenissimæ charitatis ex concupiscentiæ pravæ admixtione ortus. Et Ambrosius de Isaaco & anim. c. 8. ait, in renatis, & sanctis manere iniquitatem, contra quam iis assiduè pugnandum sit.

3. Concupiscentiam pravam in Adamo fuisse veri nominis peccatum, probatur ratione sumptâ ex ambitu legis divinæ, quæ cùm sit Spiritualis, teste Apostolo, & norma justitiæ exactissima, conformitatem absolutam, non solùm actuum, sed & habituũ, sed & dispositionũ, sed & inclinationũ, & affectuũ exigit, utpote, quæ actionũ ipsarum fontes, & principia sunt, ipsasque animæ potentias ornant, condecorant & perficiunt, si bonæ fuerint; sin pravæ, commaculant, & denigrant. Cùm ergo certum sit, vitiosos habitus, & dispositiones, quales sunt Superbia, Avaritia, Adulterium, invidia, etiam in dormientibus per se vituperabiles esse, & odio dignos, licèt in actus pravos non erumpant: Idem etiam proculdubio pronunciandum est de habituali illâ pravâ concupiscentiâ, & effræni, & præcipiti ad omnimoda vitia inclinatione, tum in inferiori, tum in superiori animi parte, quæ inhæret animæ Adæ, ex eo tempore, quo originali justitia privatus est: hæc enim omnes animi potenti s, & facultates denigravit, commaculavit, & deturpavit; ut jam in conspectu Creatoris creatura ejus exosa facta sit, & abominabilis. Quare hæc concupiscentia prava formalem habet pugnantiam cum originali justitiâ, & Spirituali lege Dei, quomodo & habitus Avaritiæ formalem habet pugnantiam cum Spirituali lege Dei Mandante inclinationem ad liberalitatem, imò & habitum liberalitatis.

Obj. Dices, *Habitus vitiosos acquisitos formalem habere repugnantiam cum habitibus contrariarum virtutum, sed non itidem concupiscentiam pravam cum inclinatione ad virtutem.*

Resp. Tam formalem repugnantiam fuisse in Adæ animâ inter inclinationem ad virtutem aliquam, puta moderatam largitionẽ, seu liberalitatẽ, & concupiscentiam pravam circa largitionem, ut mutuò non possint consistere, quomodo nec in unâ, eademque animâ habitus liberalitatis, & avaritiæ, seu profusionis. Quamvis enim habitus addant inclinationibus, firmitatem, & facilitatem ad actus, tamen formalis repugnantia tam reperitur inter inclinationes contrarias, atque inter habitus, cùm gradus non mutet essentiam.

4. Concupiscentia vitiosa in Adamo cum lege naturali, & ejus dictamine pugnat. Siquidem lex naturalis dictat, Deum diligendum esse ex toto corde, ex totâ animâ, totis viribus, totâ cogitatione, gradu sc. amoris summo, & perfectissimo; &, qui sic non diligit (cum toto sc. posse) hoc ipso peccat contra hanc legem dilectionis primam, & maximam: At concupiscentia prava in animâ Adami lapsi inhærens, ratione inclinationis ad φιλαυτίαν, & inordinatum amorem rerum terrenarum, formaliter impedivit, quò minùs hanc legem dilectionis perfectè implere potuit, prout debuit: Ergo & inter veri nominis peccata connumeranda est.

Obj. Dices, *Legem hanc* Doctrinalem *tantùm esse, non obligatoriam, & indicativam finis, quò tendendum, non imperativam mediorum sub pœnâ reatûs: ac proinde, perfectæ charitatis defectum non esse culpabilem; Id quod ex Augustino Confirmare nititur Bellarminus, & Stapletonus etiam.*

Resp. Ineptissimum est dicere maximum legis mandatum, à quo universa lex pendet, esse minimè obligatorium, imò nullatenus obligatorium, cùm vis obligatoria sit de essentiâ cujuslibet legis, ut habet alibi ipse Bellarm. de laic. l. c. Lex enim dicitur à ligando, sic Thom. & habet ἀναγκαστικὴν δύναμιν juxta Aristotelem, vim cogendi, & necessitandi; atque certè ita cogit lex divina, ut levissima ab illâ recessio sit peccatum in moribus. Quantò rectiùs pronunciavit Augustinus epist. 29. ad Hieronym. Plenissima charitas, quæ jam non potest augeri, quandiu hìc homo vivit, est in nemine; quandiu autem ageri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, in vitio est; propter quod vitium, si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.] En defectum plenissimæ charitatis, & vitium, & peccatum appellat; & si vitium sit, & peccatum quomodo ad illud vitandum non obligamur sub pœnâ reatûs? Prodeat alter locus lib.

lib. de perfec. justit. resp. 15. *Peccatum est, cùm vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia, si potest, præsens voluntas hoc facit; si non potest, præterita voluntas hoc fecit.* En defectum charitatis, quæ esse debet (plenissimæ sc. charitatis) peccatum appellat, sive vitari possit, sive non. Prodeat 3. locus, lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum c. 7. *Virtus, quæ nunc est in homine justo, perfecta hactenus nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat, etiam ipsius imperfectionis in veritate cognitio, & in humilitate confessio.* Si omnis virtutis imperfectionem & agnoscere, & confiteri teneamur, tum culpabilis est illa imperfectio, cùm non nisi culpam confiteri teneamur. Ac proinde ex mente Augustini, sola virtus, & charitas beatifica est inculpabilis, & perfecta.

Obj. Dices, Agustin. de sp. & lit. cap. ult. contrà ait; *Neque enim* (inquit) *si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectéque debetur, jam culpa deputandum est.*

Resp. Cùm ait August. defectum beatificæ dilectionis non esse culpæ deputandum; intellige, non esse actu culpæ deputandum: non tamen negat in se esse culpabilem, sed non esse culpæ deputandum. Non enim sensit non esse culpabilem defectum plenæ dilectionis suâ naturâ, quandoquidem sponte se privavit homo illâ facultate, quâ potuit plenè, & perfectè Deum dilexisse; sed, non esse culpæ deputandum, quoties in operibus charitatis quotidianis de novo hosce defectus prodat. Sensit enim August. illum defectum plenæ charitatis remissum fuisse in Baptismo, & de novo non imputari personæ, etiamsi millies in Die imò in omni actione aliquem defectum charitatis prodamus, ac apertè constat ex loco citato ex Epist. 29. ad Hieron. ubi sic ait, *Propter quod vitium, defectum plenissimæ charitatis, etiam quantum libet profecerimus, necessarium est nobis dicere, dimitte nobis debita nostra, cùm jam omnia in Baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sunt.* Hoc enim inprimis observandum est juxta Theologiam Augustini, carentiam primævæ justitiæ, & charitatis, atque adeò omnes involuntarios motus concupiscentiæ, qui absque omni nostro consensu ex solâ carentiâ illius justitiæ, & dilectionis oriuntur, in primâ nostrâ renascentiâ planè remitti, nec nobis postea ad pœnam propriè dictam imputari, licèt suâ naturâ sint defectus culpabiles; atque in hunc sensum intelligendus est dictus locus Agustini, quem toties urgent Romanenses.

5. Concupiscentia prava in Adamo post lapsum oborta pugnat formaliter cum mandato ultimo, *Non Concupisces*; quæ lex dictat, non esse concupiscendum, non tantùm actu voluntario, sed nec involuntario. Quis est enim luce cœlestis veritatis in Scripturâ lucentis vel mediocriter illustratus, & leviter perfusus, qui non judicat, omnes contra legem motus, sive secundo-primos, sive etiam primo-primos, & prorsus indeliberatos, qui omnem voluntatis actum præveniunt, esse pravos, deformes, & summo odio habendos? Imò, quis non ipsam inordinatam, effrænem, & præcipitem inclinationem animæ ad omnimoda mala, non esse vituperabiliter malam existimet, oppugnandam, & summè exosum esse debere, utpote culpabiliter abducentem, atque avertentem, ab eo, quod summè amandum est? Imò quis est, qui non judicat, totum hominem debere eosdem sensus, & motus cum Deo habere, ut loquitur Tertullianus; imò potentias animæ debere esse originali rectitudini conformes, habitualiter item perfectas, & congruentes legi Dei semel cognitæ? Quis non judicat, iniquissimum esse cum Augustino, *Cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur?* Imò quis non videt, manifestam esse hanc omnibus hominibus legem divinitùs inditam, & impressam esse ab ipso ortu, ut divinæ sibi insculptæ imagini per omnia respondeant, & conformes fiant? Quare non dubium est, quin hæc prava concupiscentia, quæ jam ex lapsu omnes animi partes infecerat, & pervaserat Adami, formalem habuerit cum lege divinâ, *Non concupisces*, pugnantiam; ac vi hujus legis prohiberi, & damnari.

Hoc totum confirmatur de concupiscentiâ, non tantùm, quæ fuit in Adamo post lapsum, sed & de concupiscentiâ, quæ in omnibus ejus posteris inest. D. Paulus hoc testatur de concupiscentiâ in se inhabitante Rom. 7. 7. *Peccatum* (inquit) *non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum nisi lex* diceret

non

non Concupisces. Hîc Paulus apertè testatur, Concupiscentiam esse peccatum propriè dictum. Nam 1. dicit, se cognovisse peccatum per legem, idque de peccato propriè dicto intelligendum est. 2. Peccatum illud fuisse concupiscentiam. 3. Legem, per quam illud cognovit, fuisse ultimum præceptum; *Non Concupisces.*

Obj. *Objicit Bellarm. l. 5. c. 10. de amiss. gr. & stat. Pecc. Concupiscentiam hic accipi non pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, qui prohibitus est lege, mandato sc. ultimo. Nam non cognoscebant* (inquit) *homines actus interiores, ut desiderium uxoris, vel rei alienæ esse peccata nisi lex dixisset,* Ne Concupiscito, *quod patet ex Matth. 5.*

Resp. Sed falsum hoc. Nam primò ex contextu manifestè evincitur Apostolum agere de peccato inhabitante, & pravitate naturæ; tum ex antecedentibus, & hoc versu 7. tum ex omnibus ferè sequentibus, v. 9, 11, 13, 17, 20, 23. 2. Ipse Paulus planè refellit hanc interpretationem, Agit enim de eâ cupiditate, quæ molesta fuit menti servienti legi Dei; & addit, se per illam facere malum, quod oderit, & de hoc genere cupiditatis exclamat, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et addit, se invitum, & reclamantem ad illam Captivum trahi, & legem Spiritualem esse, se verò carnalem, & venundatum sub peccato. 3. Christus Matth. 5. docet concupiscentiæ actum voluntarium, quatenus castitati cordis repugnat, prohiberi mandato 7. ubi ait, Qui viderit uxorem proximi sui ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Eâdem ratione dici potest, si appetas domum, agrum, bovem, servum proximi, jam furatus es in corde. Hinc & 1 Joan. 3. 15. Joannes docet, internum proximi in corde odium esse homicidium, atque ita prohiberi mandato 6. Ergò alia concupiscentia, quàm interna illa cum consensu, prohibetur mandato ultimo; Alioqui efficeretur, decem non esse præcepta, sed 9. tantùm. Ex hac enim hypothesi sequetur, postremum mandatum, *Non Concupisces,* non esse novum mandatum, sed superiorum tantùm, quod ad internum adulterium, factum, homicidium attinet, repetitionem. 4. Ex lege naturæ post lapsum omnes homines tam Ethnici, quàm Christiani nôrant, alienum nihil actu voluntario concupiscendum. Et licèt fieri potuit, ut in nonnullis (in quibus erant Pharisæi) hoc lumen extinctum esset; tamen hanc conpiscentiam voluntariam communis ratio semper improbavit. Sic 12. Tabulæ Romanorum, citante Crasso apud Ciceronem; (sub. finem. l. 1. de orat.) *Authoritate, nutúque legum docemur ab alienis mentes, animas, manus abstinere.* Et * Philemon Poeta Ethnicus apud Justinum Martyrem de Monarchiâ, ait, *Hominem bonum, quem Deus diligit, oportere alienum nihil appetere, aut aspicere, non fœminam præstantem, non domum, non puerum, aut ancillam, aut equum, aut boves, aut jumentorum aliquod, imò ne filum acûs.* Si ergò ratio naturalis dictet, alienum nihil concupiscendum, ne filum acûs; tum actum voluntarium internum concupiscendi prohibet. Atque hîc obiter mirari satis nequeo Archiep. Spalentensis novellum assertum, qui dicere non dubitat, motus internos voluntarios ad actum externum peccati in lege naturæ ante præceptum Mosaicum, *Non Concupisces,* non fuisse peccatum, aut saltem non iniquitatem fuisse; ac proinde, legem naturalem non dictare hosce motus voluntarios esse veri nominis peccata. At contrarium constat ex instantiis allatis. Nonne etiam inter causas diluvii, quod totum genus humanum (exceptis Noah, & domesticis ejus) perdidit, & delevit, illud recensetur, Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terrâ, & tactus dolore cordis intrinsecus, *Delebo* (inquit) *hominem, quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cœli: Pœnitet enim me fecisse eos,* Gen. 6. v. 5, 6, &c. Videtis, causam præcipuam invecti diluvii, quòd multa malitia hominum esset in terris, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; Quod non accipiendum est de solâ actuali malitiâ, opere, & ore perpetratâ, sed & cordę conceptâ de motibus ipsius cordis, de figmento cordis ad malum prono, ut explicatur, c. 8. v. 21. Fuere autem hæc pronitas ad malum, & ejus pravi motus tam involuntarii, quàm voluntarii, tam exosi Deo, ut pœnituerit Deum se fecisse hominem, ideóque cogitaret

* *Clemens Strom. 5. Hos versus tribuit Menandro.*

Spalat. l. 7. de rep. Ecc. c. 11, n. 236, 237.

cogitaret de delendo genere humano, & magnâ creaturarum parte: quomodo igitur illi motus, non imputati ad peccatum ante legem Mosaicam latam? sed jam non ampliùs tangam hoc ulcus. Paulus ergò, Rom. 7. 7. loquitur de concupiscentiâ, quam nemo, nisi lege edoctus, malam esse vel levi suspitione assequi potuisset. Ergo ipsum *Fomitem* damnat, & actus involuntarios inde profectos, cùm ait, concupiscentiam nesciebam, nisi lex dixisset, Non concupisces.

5. Licet verbis præcepti actus concupiscentiæ tantùm exprimatur, tamen non solus actus prohibetur: nam ut in 6. Homicidium, in 7. Adulterium, in 8. factum tantùm exprimuntur, & tamen interni morbi iræ, alienæ conjugis concupiscentiæ, & avaritiæ prohibentur ex interp. Christi Mat. 5. Ita etiam decimo præcepto actus concupiscendi duntaxat verbis exprimitur, sed morbus, seu vitium concupiscendi, quod Deus aversatur, & prohibet simul intelligitur.

6. Apostolus Joannes, 1 Joan. 2. 16. sic habet, *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, non est ex patre, sed ex mundo est.* Apostolus hîc apertè docet, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, non esse ex Deo: Ergò in Adamo ex Deo ortum non habuit. Intelligit autem Apostolus inordinatum appetitum voluptatum, divitiarum, & honorum, ex fomite pravæ concupiscentiæ ortum, non esse facultatem naturalem appetendi jucundia, & molesta fugiendi (hæc enim facultas à Deo est, Authore naturæ, & fuit in Christo servatore) sed esse vitium naturæ inclinans hominem ad ea appetenda, quæ lex divina prohibet, & ad aversanda, quæ præcipit, hoc vitium non est à Deo, teste Joanne,] De hoc vitio, & quomodo non sit à patre, agit Augustinus, l. 4. contra Julian, c. 13. ubi non obscurè innuit, formaliter pugnare inter se libidinem, & pudicitiam, luxuriam, & continentiam, continentiam, & concupiscentiam, ut quæ in uno, eodémque homine unà consistere nequeunt.

7. Ratio sumi potest ex variis effectubus, quos habuit in Adamo. Utpote ex eo primò, quòd concupiscientia solicitet ad peccatum, & inclinet, & suo modo impellat ad peccatum, non suggerendo duntaxat, quod malum est, quâ ratione Diabolus ad peccatum solicitat; nec per accidens tantum & occasionaliter suscitando mala desideria in homine, eo modo, quo vinum, aut pulchritudo mulieris ad libidinem, aut auri conspectus ad furtum solicitat; sed per se, & suapte naturâ, & proprio suo actu, interiùs cõmovendo & perturbando. Hujus enim pravæ concupiscentiæ proprii motus sunt desideria prava, ut docet Apost. Rom. 6. & 7.[a] Quod autem hoc modo Adamũ, & ejus progeniem ad actuale pecatum solicicitat, incitat, provocat, quomodo non culpabiliter, & vituperabiliter est vitiosum, ac proinde reatûs inductivum; cùm etiam regula illa recepta verissima sit,[b] & conformis dictamini rationis, Quod per se impellit ad malum, eadem lege prohibetur, quâ ipsum malum? [Davenant. p. 252] est Bellarm. argum. unum lib. 5. de amiss. grat. & st. peccat. c. 14. secunda ratio.

2. Prava concupiscentia, quæ orta est in Adamo per inobedientiæ lapsum, ejus naturam vitiavit, & facultates eas, in quibus originalis justitia vigebat, mentem, voluntatem, & appetitum sensitivum ita corrupit, & depravavit, ut nullum actum elicere jam possint, cui non culpabilis aliquis defectus adhæreat. Hinc Augustin. de nuptiis & Concupisc. l. 1. c. 32. ait, *Adamum ex oleo in Oleastrum peccando conversum fuisse, ac tam magnum fuisse Adami peccatum, & tam magnam ex eo peccato factam fuisse naturæ in deterius mutationem, ut totum genus humanum fecerit Oleastrum*: Et eadem ferè verba repetans, l. 2. c. 34. sic habet, *Magno illo peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata non solùm facta est peccatrix, verùm etiam genuit peccatores, & tamen ipse languor, quo benè vivendi virtus periit, non est utique natura, sed vitium.* [c] Idque illustrat eorum exemplo, *Cujus rei* (inquit) *mirabilis mirabile creator in oliva, & oleastro produxit exemplum: ubi non solum ex oleastri, verùm etiam ex olivæ semine non nisi oleaster exoritur.* Illud autem vitium, quod ita corrumpit naturam Adæ, ut illa jam facta sit peccatrix, & gignat peccatores, quomodo non erit veri nominis peccatum? cúmque corrumpat, & inficiat illas facultates, in quibus vigebat justitia primæva, quomodo non erit veri nominis injustitia? Non enim formaliter corrumpit justitiam nisi veri nominis injustitia; quomodo solus morbus

Vide Ciril. de festis Pasch. Hom. 6. p. 53. circa med. in explic. Esa, 2715.

[a] *Rom. 6. 12. Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore ut obediatis concupiscentiis ejus. &c, c. 7. 5. Cum essemus in carne passiones peccatorum quæ per legem erant operabantur in membris nostris & fructificarent morti.*

[b] *De Civ. l. 13. c. 23, Eo die mutata in deterius est, vitiataq; natura: Iob. Diaconus de incarnat. c. 6 Totus secundum corpus & animam in deterius commutatus est.*

[c] *Sicut certè mala in corpore valetudo non est ulla substantia vel natura, sed vitium.*

morbus formaliter corrumpit sanitatem. Est ergò formalis pugnantia, nec solùm effectiva.

3. Prava Concupiscentia non solùm vitiavit, sed & vulneravit naturam Adæ: neque enim Adamus peccando spoliatus est duntaxat gratuitis, sed & vulneratus in naturalibus, ut docet Lombardus 2. dist. 25. sect. H. ex Ambrosio, & Bedâ in c. 10. luc. & Augustino l. 2. qq. evangelicarum, q 19. & de nat. & gr. c. 3. * Sunt autem hæc vulnera 4 Quorum etiam meminit Thom. 1.2. p.85. a.3. Ignorantia in intellectu, Malitia in voluntate, Concupiscentia in Concupiscibili, Infirmitas in irascibili. Cùm autem hæc vulnera insint in iis animæ potentiis, quæ sunt peccati capaces, non possunt aliud esse, quàm ipsum peccatum. Illud enim, quod vulnerat potentias, quæ capaces sunt peccati, non potest aliud esse, quàm peccatum ipsum. Solum enim peccatum est vulnus animæ. Quemadmodum, quod illæsas, integras, & sanas conservat istas potentias, non aliud est, quàm ipsa justitia. Cùm ergò justitia formaliter hisce vulneribus opponatur; Certum est, hæc ipsa vulnera peccati propriè dicti rationem habere. Hinc Augustin. l. 2 de nupt. & concup. c. 24. *Vulnera,* (inquit) *quæ corporibus infliguntur, membra faciunt claudicare, vel ægrè moveri, non eam virtutem, quâ justus est homo: vulnus autem, quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat, quâ rectè vivebatur (i.) ipsam justitiam.* Peccatum ergò ipsam animæ vitam, quæ rectè vivitur (i.) ipsam justitiam vulnerat, juxta Augustinum; & quidem solum peccatum. Et, 4. cont. Julian. c. ult. Non aliquid diabolus, quod ad naturam hominis pertinet, condidit; sed, quod Deus benè condiderat, peccati persuasione violavit; Ita, ut illo vulnere, quod factum est per duorum hominum liberum arbitrium, totum genus claudicaret humanum.] Est autem hoc vulnus hæc ipsa vitiosa concupiscentia, quæ formaliter impedit, quò minùs rectè incedere potuit Adamus, sed in omni actu suo, & incessu claudicaret. Et in lib de nat. & gr. c. 3 *Natura hominis primitùs inculpata, & sine ullo vitio creata est; natura ista hominis, quâ unusquisque ex Adamo nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vitâ, sensibus, mente, à summo Deo habet, creatori & artifice suo: Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat, & infirmat ut illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio scil. Adæ.* Hic satis apertè docet Augustinus, vitium, quod inhæsit Adamo post lapsum, in sensibus, & mente, quò hæc bona infirmantur, & medico indigent, & curatione opus habent, formalem habere pugnantiam cum naturâ hominis primitùs inculpatâ, seu primævâ justitiâ. Tale autem vitium non est nisi vitium reum faciens æternæ mortis (i.) peccatum proprii hominis.

* *Vitia quæ sunt Privationes naturali cum bonorum sunt vulnera, & morbi animorum. Hug. Enchirid. c. 11.*

4. Inter alia effecta pravæ Concupiscentiæ, connumeratur meritò & erubescentia. Siquidem de Concupiscentiâ solent homines erubescere. Nemo autem rationabiliter de iis passionibus erubescit, quas habet à naturâ. Unde sic narrat Moses, Gen. 2. 25. de primis nostris parentibus, *Erat uterque* (inquit) *nudus, Adam sc. & uxor ejus, & non erubescebant.* At post esum pomi vetiti c. 3. v. 7. eodem Mose narrante, *Aperti sunt oculi amborum; cúmque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* ——Et vers. 9. *Vocante Deo Adam, & dicente, Ubi es? respondet, vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Cui dixit, *Quis tibi indicavit, quòd nudus esses? Nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, Ne comederes, comedisti?* Ex quâ Mosis narratione constat, hanc utriusque eorum erubescentiam de conspectâ nuditate, ex peccato inobedientiæ ortum habuisse. Nemo enim rationabiliter de iis passionibus erubescit, quas habet à natura, nisi insint ei per aliquam culpam. Cùm igitur Adam, & ejus posteri naturaliter ex motibus concupiscentiæ erubescant, rectè colligitur, & infertur, quòd Adam, ratione hujus pravæ, & inordinatæ concupiscentiæ, non solùm pænaliter, sed etiam culpabiliter suâ origine corruptus fit. Hinc Augustinus de nuptiis, & concup. l. 2. c. 9 Ubi ostendit, Concupiscentiam non esse opus Dei, eò quod neminem pudere debet de opere dei: *Quid enim* (inquit) *potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere? Et, quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine, cùm omnes opifices, quantò possunt labore,*

labore, & industriâ id agant, ne de suis operibus erubescant? Sed profectò (inquit) *illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Ista est pœna peccati, illa plaga, vestigiúmque peccati, illa illecebra, fomésque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis, illa ex nobismet ipsis adversus nosmet ipsos inobedientia, justissimo reciprocatu in obedientibus reddita, hujus nos pudet, & meritò pudet: nam, si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio, vel de pœnâ nostrâ, sed de Dei confunderemur operibus.* Ubi ostendit, concupiscentiam pravam, & libidinem, de quâ erubescimus, non esse opus Dei, sed pœnam peccati; sed plagam vestigiúmque peccati; imò illecebram, fomitémque peccati, imò legem in membris, repugnantem legi mentis, denique illam ex nobismet ipsis adversus nosmet ipsos inobedientiam, justissimo reciprocatu inobedientibus redditam, cujus nos pudet, & meritò pudet. Non potuit verbis tam paucis res tanta magìs graphicè depingi. Ubi ostendit, & pœnam esse ipsius peccati Adæ, & causam peccati, utpote illecebram & fomitem peccati, imò peccatum ipsum, esse enim legem in membris, repugnantem legi mentis qualis pugnantia non potest esse, quæ non sit culpabiliter vitiosa; & inobedientiam adversus nosmet ipsos ex nobismet ipsis, & cujus meritò nos pudet. Quæ omnia satis evincunt hanc pravam Concupiscentiam formaliter esse peccatum. vid. & l. 1. c. 5. & 6. & cont. Jul. l. 4. c. 16.

8. Ratio sumitur ex pugnâ, quam habet concupiscentia prava cum integrâ naturâ Adami, quâ conditus est ad imaginem, & similitudinem Dei. Siquidem illa naturæ integritas illum Deo gratum, & acceptum reddidit: Concupiscentia autem prava naturam integram, & imaginem Dei formaliter depravans, & Corrumpens, Adamum meritò Deo exosum reddidit, & æternæ pœnæ obnoxium. Ergò est veri nominis peccatum. Sunt enim integra natura, & concupiscentia prava formaliter opposita, atque adeò φθαρτικὰ ἀλλήλων, sese mutuò interimentia?

Hîc insurgunt contra nos Jesuitæ, & magna pars Romanensium, & scholasticorum; quibus accedunt Arminius, cum Remonstrantibus Belgicis; qui, (ut viam muniant dogmatibus suis de Originali peccato, de liberi arbitrii viribus, hominis lapsi naturalibus, tum in cognoscendo vero morali, tum in faciendo bono morali, dogmati item de perfectione justitiæ, tum habitualis, tum actualis, & aliis ejusdem farinæ in hisce fundatis) in hunc modum Philosophantur.

1. Effrænem, quæ inerat in Adamo lapso, & in ejus posteris jam cernitur, Concupiscentiam, naturalem esse, & à principiis naturæ humanæ, cùm primùm conderetur, naturaliter fluxisse; siquidem hominem ex duabus naturis, Angelicâ, & bestiali; seu spirituali, & animali componi quasi, & consistere. Harum utramque habere naturalem propensionem ad objecta sibi convenientia. Cùmque sæpe ferantur naturali suo impetu ad diversa, plerumque ad contraria, hinc existere pugnam quandam, & luctam, & benè agendi difficultatem, dum una propensio alteram impedit.

2. Divinam aiunt Providentiam in Adæ creatione, ut remedium adhiberet huic morbo, seu languori humanæ naturæ, ex conditione materiæ (ut ait Bellarminus) orto, indidisse homini originalis justitiæ donum, quo, velut aureo quodam frœno, pars inferior animæ parti superiori, & pars superior Deo, facilè subjiceretur. Cujus tamen conservatio, aut amissio penes voluntatem Adæ fuit.

Hinc diducunt tria Corollaria.

1. Adamum lapsum non aliter differre ab homine, imaginario, in puris naturalibus condito absque omni gratiâ, quàm Nudatum à Nudo.

2. Præcipitem inclinationem ad omnia vitia, seu concupiscentiam pravam, qualis fuit in Adamo lapso, & qualem cernimus in homine lapso, in homine in puris naturalibus condito extituram fuisse, ac proinde suâ naturâ veri nominis peccatum non esse, sed morbum naturalem, qualis est rubigo in ferro aut surditas nativa.

3. Originalem justitiam Adæ, quæ concupiscentiam coercebat, & in ordinem cogebat, fuisse donum merè supernaturale, & indebitam naturæ exaltationem, ac proinde absque illâ potuisse humanam naturam benè esse, maloque carere.

Nos ut huic pernicioso dogmati occurramus,
1. Fundamentum ejus concutiemus,
2. Dogma hoc impugnabimus,
3. Argumenta adversariorum refellemus.

In quibus omnibus diligentiùs elaborandum est, eò quòd adversarii nullum non movent lapidem, ut huic insano dogmati fidem faciant.

Cap. IV.

Sententia Jesuitarum, Romanensium plurimorum, & Scholasticorum, Arminii item & Remonstrantium Belgicorum, Sententiæ supra stabilitæ opposita (fundamentum ejus Concutiendo) Convellitur.

1. De hujus Dogmatis Fundamento agendum est.

Fundamentum opinionis hujus petunt Jesuitæ è Scoto in 2. dist. 29. q. unic Ubi in hunc sensum Philosophatur. Cùm homo constet ex duabus naturis, Spirituali, & animali, quarum utrâque habet naturalem propensionem ad objecta sibi convenientia; & cùm *ergò* plerúmque ferantur naturaliter ad diversa, sæpè ad contraria, hinc existit pugna quædam, & benè agendi difficultas, dum una propensio impedit alteram.

Resp. Propendere, & ferri in ea, quæ sunt delectabilia sensui, esse revera bruto purè naturale. Sed in homine, qui secundum Philosophum magìs est intellectus, quàm sensus, &, in quo omnia, quantum fieri potest, ratione gubernanda sunt, naturale est sensualitati, ut sensualitati, ferri in delectabilia secundum frænum, & directionem rationis; unde, cùm sensualis appetitus in homine sit facultas illius animæ, quæ rationalis dicitur, eò quod in eâ ratio dominetur, omnino naturale est sensitivo appetitui, rationali, ejúsque nutui obtemperare, & nihil appetere, quod à rationis dictamine aliquo modo abhorreat. Quare, licèt sensualitas sit æquè in homine, atque in bruto; tamen specie diversa. Siquidem, in brutis sensualitas est suprema facultas, cùmque ratione careant bruta, illorum sensualitas non est apta nata obedire rationis imperio, unde neque peccare dicuntur, ubi id faciunt, quod homo judicat non esse faciendum: Sed in homine, qui ratione præditus est, sensualitas est κατήκοος λόγυ, ἢ πειθαρχικος, apta nata obedire rationi, ut docet Philosophus Ethic. 1. 13. Unde in motibus sensualitatis potest esse peccatum, ut passim docet Augustinus. Hinc Damascen. de fide, orthodox. l. 2. c. 12. τὸ λογικὸν φύσει κατάρχει τῦ ἀλόγυ, pars rationalis naturaliter dominatur parti irationali.

Et partem irrationalem dividit in
τὸ ἀνήκοον λόγῳ, *ut* pars vegetativa.
τὸ κατήκοον, ἢ εὐπειθὲς τῷ λόγῳ, *ut* pars sensitiva.

Et Gul. Paris. de vitiis, & peccat. c. 2. p. 252. col. 1. *Etsi secundum animale nostrum communicamus cum brutis, in spirituali tamen nostro præcellimus iis: & ideò secundum illud, quod in nobis nobilius, atque sublimius est, nos vivere, atque operari oportet; omnino enim indecens & incongruum est, præferre, quod inferius, atque ignobilius est, superiori, atque nobiliori; sequique illud, atque obedire illi, rebellare autem isti, nostrum animale absurdum videtur esse.* Hæc Parisiensis. Thomas etiam 3. p. q. 15. ar. 2. ad 2. Caro naturaliter concupiscit id, quod est sibi delectabile concupiscentiâ appetitûs sensitivi; Sed Caro hominis (qui est animal rationale) hoc concupiscit secundum modum, & ordinem rationis, & 1. 2 q 85. art. 3. *Ad* 1: *Concupiscere*

cupiscere (inquit) *est homini naturale in quantum est secundum ordinem rationis; inest autem homini contra naturam, in quantum transcendit limites rationis.* vide & q. 85. art 3. ad 2. Naturale ergò erat homini concupiscere, sed ex rationis moderamine, & justo imperio. Falsum ergò illud ex variis propensionibus, sensibili, & intelligibili, oriri pugnam, & difficultatem. Nam pugna variarum propensionum nulla admittenda est, ubi ejusmodi propensionum naturalis subordinatio existit, qualem asserimus fuisse in primâ hominis institutione. Atque licèt in bruto, & homine, singuli externi sensus habent suas propensiones ad propria objecta, unde ex visibilis jucundi aspectu homo, & brutum naturaliter feruntur ad illud objectum, & ex soni delectabilis auditu ad illum etiam propendent: tamen, si uno, eodémque tempore objecta eorundem, vel diversorum sensuum nobis obversantur, non tamen hinc propriè nascitur pugna, cùm facultas semper superior, in homine quidem *ratio*, in bruto *æstimativa facultas*, hanc litem dirimant, dirigántque appetitum ad illud prosequendum, quod illæ judicant Creaturæ toti convenientissimum. Sic in homine integro appetitus sensitivus, cùm sit facultas ordinis inferioris, naturaliter subjiciebatur rationis dictamini, cujus judicio placidè acquiescebat, nec unquam obluctabatur; Ut nec in beatis in regno cœlorum post resurrectionem obluctabitur.

2. Si ideò homo habeat concupiscentiam, quòd constet è duplici naturâ, intelligibili, & sensibili; tum Christo Domino, quatenus homo, naturalis erat hæc prava concupiscentia. Si enim fluat ex integris, & puris naturalibus hominis, cùm Christus omnia habuerit, & sumpserit humanæ naturæ principia, & factus fuerit nobis per omnia similis, excepto peccato, necesse est, ut habuerit, & in se sumpserit hanc pugnam variarum propensionum.

Obj. 1. Dices, *In ipso Christo fuisse pugnam variarum, imò contrariarum propensionum. Siquidem Christus oravit, ut ab eo transferretur calix, & tamen certum est mortem illum obiisse voluntariam, & liberè sese crucifigendum exhibuisse.*

Sol. Distinguunt Scholastici inter appetitum { Sensitivum, | Rationalem, qui dicitur, } { per modum naturæ. | per modum rationis.

Licèt autem in istis appetitionibus diversitas fuerit, non tamen contrarietas Subordinatio fuit, non resistentia, aut pugna; contrarietas non fuit, quia oppositio non erat in eodem, & secundum idem. Licèt enim appetitus sensitivus, & voluntas Christi ut natura, aliud voluerunt, quàm voluntas divina, & voluntas ejus ut ratio; non tamen erat sub eâdem ratione: Divina enim Christi voluntas, & humana ejus, considerata ut ratio, volebat mortem, ut medium ad salutem humani generis à Deo ordinatum; Appetitus autem sensitivus, & humana Christi voluntas, ut natura, refugiebat mortem, non, ut erat medinm ad salutem humani generis ordinatum, (quia motus sensualitatis ad hoc pertingere non potuit) sed, ut malum particulare ipsius appetitûs. De voluntate, ut naturâ, idem dictum puta, quæ naturaliter refugit ea, quæ sunt naturæ contraria, &, secundum se, mala, ut mortem, cruciatus, & ejusmodi. Nulla igitur in Christo pugna fuit inter appetitum inferiorem, & superiorem, cujusmodi in nobis est ex vitiatâ origine; quâ fit, ut caro concupiscat adversus Spiritum, & spiritus adversus carnem; quâ quidem fit, ut homo sit & sibi, & Deo, contrarius. vid. Alv. in. 3. p. q. 18. art. 6. & Estium in 3. dist. 15. sect. 4. & dist. 17. sect. 3. Et Field. de eccl. l. 5. c. 18. Meisn. decad. 1. Anthropol. p. 45. Et Hooker l. 5. sect. 47. p. 283

Inst. 1. Dices, *Christum assumpsisse naturam humanam sed non naturæ vitia non cæcitatem, non surditatem, non morbos, lepram, epilepsiam, &c. Atque adeò, nec concupiscentiam pravam, quæ est naturæ humanæ vitium, licèt nullius reatûs inducti-vum.*

Resp. Verum est, Christum assumpsisse naturam humanum, verum itidem non est assumpsisse personales defectus, seu vitia hominum, in quibus sunt cæcitas, surditas, lepra, epilepsia, & id genus alia: sed æquè verum est, suscepisse omnes defectus, & infirmitates, quæ humanam Naturam comitantur, in quibus sunt lassitudo, sitis,

sitis, fames, mors, & id genus alia, quæ individuo nexu humanam naturam comitantur, utque scriptura ait, *per omnia nobis similis factus est, dempto peccato.* Si ergò prava concupiscentia, sit vitium, quod individuo nexu humanam naturam lapsam comitatur, utpote quæ fluit à principiis naturæ, ex duplici propensione sensitivi, & intellectivi appetitûs; fieri non potest, ut Christus verè sumpserit naturam nostram integrè, prout jam in homine lapso superest, quin hoc vitium etiam sumendum erat, si, juxta Jesuitas, veri nominis non sit peccatum. Debuit enim Christus per omnia nobis similis fieri, & tentari, dempto peccato, ut de veritate humanæ naturæ assumptæ omnibus constaret.

Inst. 2. *At respondet Bellarm l. 5. c. 14. de amissi. grat. & stat. peccat. ex Thoma, Christum noluisse assumere aut ignorantiam, aut concupiscentiam, licèt neutra peccatum sit, si sit omninò involuntaria. Cur autem ignorantiam, & concupiscentiam Christus habere noluerit, docet Thomas, 3. p. q. 15. art. 2. & 3. Tum, quia duæ istæ miseriæ nihil proderant ad redemptionem generis humani, sed potius oberant; tum etiam, quia plenum gratiâ, & veritate Christum esse oportebat, quibus duobus donis concupiscentia, & ignorantia manifestè repugnant.*

Resp. Quamvis Ignorantiam proprii nominis, quâ nescitur id, quod ignorari non debuisset, non suscepit Christus; tamen rectè dici potest, nescientiam quorundam habuisse Christum, Cùm certum sit, Christum profecisse in cognitione, & sapientiâ, teste Lucâ, c. 2. 22. Ac quanquam hoc non intelligendum sit de infuso habitu scientiæ omnis, quem certum est Christi animam ab initio conceptionis habuisse; rectè tamen intelligi potest de actuali cognitione, & experimentali Christi, quam non habuit, nec adeptus est, nisi discurrendo, & ad phantasmata sese convertendo: Quomodo habitus principiorum sunt animæ à natura inditi, tamen assensus non fit hisce principiis nisi priùs cognitis, & explicatis eorum terminis ope sensuum. Atque hinc est, quòd Christus dicitur ignorâsse ficus in arbore, Marc. 11. 13. & diem Judicii, cùm esset in terris, Mar. 13. 32. ut annotârunt Origen. tract. 3. in Matth. & Cyrill. l. 9. thesaur. c. 4. quibus accedunt Jansen. in concord. evang. cap. 123. & Maldon. in Marc. 24 36. vid. Field. l. 5. c. 14. At longè alia ratio est concupiscentiæ, quàm hujus ignorantiæ, quam Nescientiam appellamus. Siquidem hæc est planè inculpabilis; At Concupiscentia planè culpabilis est, & veri nominis peccatum, ac proinde à Christo nullo modo assumi potuit. Nec rationes, quas à Thomâ accepit, cur concupiscentiam non suscepit Christus, nodum solvunt. Nam, si concupiscentia fluat ex unione partis sensitivæ, & intellectivæ, quùm in Christo facultas sensitiva, & intellectiva reperiatur, Ergò quicquid naturaliter resultat ex harum facultatum connexione, etiam in Christo reperiri necesse est, saltem causaliter, & in suis principiis, quomodo in Adamo integro, licèt refrænata, & cohibita est, quò minus in actus erumpat, quod tamen nullo modo admittendum est.

3. Etiamsi demus, hanc pronitatem concupiscendi inordinatam in appetitu sensitivo, ex principiis naturæ (quod Bellarminus contendit, licèt falsò) ortum habuisse: Hinc tamen ratio reddi non potest eorum vulnerum, quæ in superiori animæ parte agnoscuntur, ut ignorantiæ in intellectu, & malitiæ in voluntate. Quæ tamen ex sententiâ Bellarmini, in puris naturalibus condita extra gratiam extitissent. At planè incredibile est, malitiam, quæ inest voluntati, rerum item cœlestium odium, & præcipitem inclinationem, & propensitatem ad bona sensibilia, à puris naturalibus hominis dimanâsse. Ex iisdem principiis sequetur, effrænatam illam pronitatem ad omnimoda mala, quæ in ipsis dæmonibus reperitur, ex remotione originalis justitiæ, seu gratiæ, ex puris naturalibus Dæmonum proficisci, & dimanare. Siquidem Bellarm. ex Dionysio de divin. nomin. c. 4. part. 4. contendit, naturalia manere integra etiam in Dæmonibus. Unde necesse est, ut statuant, Luciferum (i.) Angelorum principem, *Stantem*, & *Lapsum* non magis à se discrepare quam spoliatum, à nudo, quoad naturalia; Undè rectissimè infertur, & ex principiis Bellarmini, & Jesuitarum sequetur, præcipitem, & effrænem inclinationem ad omnimoda mala, ex insitis suæ naturæ principiis ortum habere. Quomodo ergò Deus, quà Author naturæ, non erit author peccati, cùm nemini dubium esse potest, quin

De superbiâ & invidiâ Dæmonum, vid. Aug. de civ. D. l. 14 c. 304.

præceps inclinatio Dæmonum ad peccatum sit veri nominis ἀνομία, & legis primæ institutionis prævaricatio, seu defectus conformitatis ad imaginem Dei, Deo merito exosus, & Dæmonem ipsum Deo invitum reddens?

Cap. V.

Vindicantur ab objectionibus Bellarmini argumenta ab ipso allata (cap. 7. de Grat. prim. Hom.) quibus justitiam Originalem Adamo naturalem fuisse demonstratur.

Labefactato, & concusso hoc primario fundamento, jam reliqua structura dejicienda est.

Et quidem primò vindicabimus argumenta, quæ affert Bellarm. c. 7. de gratiâ primi hominis: deinde alia adjiciemus.

Ubi imprimis illud animadvertendum; etsi Bellarminus instituat hanc controversiam inter Romanenses, & Protestantes, tamen omnia argumenta, quæ adducit, tanquam nostra, causæ suæ adversantia, non ex ullo protestantium libro peti, sed plerúmque esse argumenta Stapletoni, l. 2. de corrup. nat. c. 7. Michaelis Baii de primi hominis justitiâ, hominum pontificiorum. Quod mirum est fugisse eruditissimum Whitakerum, cùm Stapletoni librum refutaret.

Arg. 1. Prima ratio. Si justitia originalis supernaturalis fuisset, sequeretur concupiscentiam carnis futuram fuisse naturalem, ac per hoc bonum, & à Deo.

At Joannes 1 epist. c. 2. dicit, Eam non esse ex patre, sed ex mundo. Et Paulus ad Rom. 7. dicit, se eam odisse: & Agustin. l. 6. cont. Julian, c. 5. & aliis multis in locis probat, eam esse malam & naturæ contrariam.

Respondet Bellarm. *Concupiscentiam carnis nunc quidem pœnam peccati esse; tamen homini condito in puris naturalibus fuisse sine dubio naturalem; non quidem, ut bonum aliquod naturæ, sed, ut defectum, & quasi morbum quendam naturæ ex conditione materiæ consequentem: quare rectissimè dici, non esse ex Deo; odio, non amore dignam, malam, naturæq; contrariam; Duabus de causis, 1 quia non ex intentione authoris naturæ, sed præter ejus intentionem in homine extitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset. 2. Quia Deus illam sustulerat, & ex ipsius hominis culpâ in nobis locum habet.*

Sol. Concupiscentiam homini in puris naturalibus condito naturalem fuisse, ut defectum quendam naturalem, & morbum quendam naturæ duntaxat ex conditione materiæ consequentem falsò asseritur; Neque enim existimandum est, bonitatem Dei, quâ author naturæ, unquam permittere voluisse, ut homini naturaliter ingeneraretur ejusmodi morbus, seu præceps inclinatio in appetitu sensitivo, quæ naturæ esset contraria, quâ ferretur ad sensibilia contra dictamen rationis, atque adeò contra legem Dei; ac per hoc naturaliter inesset ei inclinatio contra finem suum naturalem, & inclinationem totius suppositi, ex quo sequetur tum hominem omnium creaturarum longè imperfectissimum, & miserrimum esse; cùm secundum naturalia imperfectior esset qualibet aliâ creaturâ quibus omnibus insita est naturalis inclinatio ad finem naturalem consequendum nulli autem inclinatio fini naturali contraria. Dicendum ergò est, concupiscentiam carnis non pœnam duntaxat esse Adami inobedientiæ, quod concedit Bellarm. sed & morbum, & defectum in naturâ hominis ex lapsu obortum, qui suâ naturâ sit culpabilis, & Deo exosus, & reatûs æternæ mortis inductivus. Idq; Joannes innuit loco citato, cùm ait, Concupiscentiam non esse ex patre, sed ex mũdo, eamque ponit eodem ordine cum superbiâ vitæ: at in puris naturalibus non esset superbia vitæ quin inesset veri nominis peccatum: ergò nec concupiscentia. Neque in statu purè naturali, aliquid esset ex mundo, ex quo concupiscentia est, sed solum à Deo. Porrò, quando Apostolus ait, ad Rom. 7. *Se eam odisse*, non ait se odisse duntaxat, ut defectum, & morbum naturæ, ex conditione

tione materiæ consequentem; sed, ut peccatum proprii nominis, quod patet, 1 ex eo, quòd intelligit tale peccatum, quod opponitur gratiæ: 2. de illo, quod abluitur Baptismo. 3. de peccato, quod Christus cruci affigebat, v. 6. 4. de illo, quod opponitur justitiæ, vers. 18. & 20. tale autem peccatum est peccatum proprii nominis. Porrò, nullos morbos, qui non sunt peccata, sed meræ pœnæ, odit Deus. Morbi autem ut & vulnera animi, quæ insunt in potentiis iis, quæ capaces sunt peccati, non possunt esse alii, qui non sunt peccata (*vide Davenant. de Iustit. habit.* 291, 292.) nihil enim animam morbidam reddere potest, aut vulnerare præter peccatum; ut nec quicquam hosce morbos, aut vulnera sanare, præter gratiam. Unde Augustin. l. 5. cont. Julian. c. 5. agens de concupiscentiâ, & cupiditatibus carnis: *Ista vitia non medicos ullos corporum quærunt, sed gratiâ Christi medicante curantur. Priùs, ut reatu non teneant; Deinde, ut conflictu non vincant; Postremò, ut omni ex parte sanata, nulla omninò remaneant. Proinde* (inquit) *cum malum concupiscere, malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum, quamdiu hic vivitur, non quiescat, cùm caro concupiscat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; quis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?* Ex hoc loco apertè constat concupiscentiam, & carnis cupiditates non curari, nisi medicante gratiâ Christi; ac proinde hosce morbos veri nominis peccata esse, nec posse quenquam liberari à pugnâ inter carnem & spiritum, nisi gratiâ Christi. Adhuc, cùm Apostolus ait, Rom. 7. 15. Malum, quod odi hoc facio; agit de eo, quod exosum est, & esse debet cuilibet renato; tale autem nihil est, præter veri nominis peccatũ. Nihil invisum, & exosum est Deo & sanctis præter peccatũ; Deus enim nihil eorum odit, quæ fecit, sapient. 11. 25. & sanctis nihil exosum esse debet, præter peccatum. Cùm ergò juxta Bellarminum, concupiscentia sit mala, & odio digna, quomodo non erit malum culpæ? Nam malum pœnæ non debet exosum esse piis, sed patienter sustinendum: Malum culpæ duntaxat oppugnandum est, & justo odio prosequendum. Adde, fieri non posse, ut concupiscentia ex naturæ principiis oriatur, seu ex conditione materiæ, quæ pars est naturæ humanæ, & tamen eadē sit humanæ naturæ contraria; nisi velimus, ita condidisse Deum hominē in puris naturalibus, ut naturaliter emanaret ex principiis naturæ intestinus hostis, qui naturam ipsam destrueret, quod cum sapientiâ, justitiâ, & bonitate creatoris pugnaret. Illud etiam adjiciendum, concupiscentiam, si ex principiis naturæ à Deo conditæ orietur; ejus authorem esse Deum, utpote qui naturæ author est; at Joannes ait, Concupiscentiam non esse ex patre.

Respondet Bellarminus, 1. *Non ex intentione authoris naturæ, sed præter ejus intentionem extitisset, si in puris naturalibus homo creatus esset.* 2. *Deus illam sustulerat, & ex ipsius hominis culpâ locum in nobis habet.*

Sol. Sed neutra responsio est admittenda.

Nam 1. Quis existimare potest, sapientissimum authorem naturæ, voluisse, ut homo primitus constaret è duabus naturis, spirituali & animali, in quibus naturaliter inessent diversæ, & sæpe pugnantes propensiones, quæ tamen præter intentionem conditoris existerent? Quomodo enim unio propensionum, quæ sæpe ad contraria ferrentur, intenta à sapientissimo conditore esset; & tamen ipsa pugna præter intentionem existeret, si in puris naturalibus conditus fuisset? nisi velimus Deum prospecturum simul, ne pugnantes propensiones unquam actu pugnarent. Et certè hîc σοφὸν φάρμακον excogitat Bellarminus: ait enim secundo in loco, Deum sic prospexisse, ne pugnantes istæ propensiones, quæ in homine in puris naturalibus condito inerant, unquam pugnarent, si per hominem non staret; Deum enim illam pugnam sustulisse, adhibito fræno supernaturali originalis justitiæ, quæ pugnantes naturaliter propensiones in ordinem cogeret, ut, nisi ex hominis culpâ, locum in nobis non haberet. At hoc modo prospectum tantùm est, ne actu pugnarent istæ propensiones, ut actus secundus cohiberetur, & reprimeretur duntaxat; manente interim propensitate ad pugnandum; néque enim qui fræno equum ferocem cohibet, hoc ipso ferociam tollit, sed duntaxat coërcet. At qui dixerit Deum, opificem potentissimum, optimum, & sapientissimum, voluisse, & instituisse primitùs, ut in naturâ humanâ, secundum puritatem ejus, & integritatem naturalem, quam ab

eo

eo habet, ejusmodi pugnantes propensiones inessent; aut, ut esset inclinatio ulla in homine, quæ contra Deum moveretur, aut sensus ejus abstraheret à Deo, summo bono, rebúsque divinis, & inclinaret ad peccatum? Facere enim ut hoc sit homini naturale, si non sit prorsus impossibile, saltem parum videtur divinæ bonitati consentaneum, cui proprium est, secundum Dionysium, omnia ad se attrahere.

Secunda ratio, quæ est Mich. Baii, de prim. hom. just. c. 4. est ex Augustin. in Enchirid. c. 11. qui ait, Animorum quæcúnq; sunt vitia, naturalium esse privationes bonorum. Sunt autem vulnera nobis ex peccato primi parentis relicta vitia quædam animorum: igitur ea vulnera naturalium sunt privationes bonorum; justitia igitur originalis, & prima illa naturæ humanæ integritas cui privativa vulnera opponuntur, naturalis erat.

1. Bellarminus quadrifariam respondet, primò (inquit) *Videtur Augustinus per naturalia bona, non formas, sed subjecta intelligere naturalium bonorum; quia in bonis naturis insunt, eásque contrariis virtutibus privant; idque ex eo probare nititur, quòd paulò ante dixerat, eâdem formâ loquendi utens corporales morbos esse privationes bonorum, quia substantia bona est, quæ accedente morbo sanitate privatur. Hanc acceptionem agnoscit, ut verissimam, néque pugnare contra sententiam suam.*

Resp. Falso dici, Augustinum eodem loco non formas, sed subjecta intelligere, Agit enim non de subjecto, quod privatur, sed de bono (seu forma) quo subjectum privatur. Id ostendit eodem loco, quo sanitatem effert, ut exemplum boni, quo privatur subjectum, est autem *Sanitas*, non subjectum, quod privatur, sed *corpus sanum*; sed est forma, & bonum, quo privatur corpus sanum. *Non enim* (inquit) *ulla, substantia, sed carnalis substantia vitium est vulnus aut morbus; cum caro sit ipsa substantia, profectò aliquod bonum est cui accidunt ista mala,* (i.) *privationes ejus boni, quod dicitur sanitas. Ita etiam & animorum quæcúnque sunt vitia naturalium sunt privationes bonorum. Quæ (vitia) cum sanantur, non aliquò transferuntur, sed ea, quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* Hæc August. ubi ait, *Vulnus & morbum non esse ullas substantias, sed substantiarum, seu subjectorum vitia. Et ipsas substantias, in quibus hæc vitia reperiuntur, esse aliquod bonum, cui accidunt ista mala (i.) Privationes ejus boni, quod dicitur sanitas; ut ergò morbus, & vulnus non sunt substantiæ ullæ, aut subjecta, sed substantiæ inhærentia vitia, privantia substantias, quibus accidunt, bono sanitatis: Ita etiam animorum quæcúnque sunt vitia naturalium sunt privationes bonorum.* Morbus autem, & vulnus, quâ privant sanitate, non sunt ipsa subjecta, sed vitia, quæ privant subjectum bono sanitatis, seu formâ insitâ; & sic, vitia animorum, in quibus concupiscentia prava, sunt privationes naturalium bonorum, seu naturalis illius sanitatis, seu boni sanitatis, quod naturaliter inest animis: Hæc mens, hic sensus Augustini, idque ex cap. 12. seu sequenti, clarè constat; ubi sic habet: *Cùm vero corrumpitur* (Natura *ideò malum est ejus corruptio, quia eam qualicúnque privat bono.* Malum est, quod privat naturam aliquo bono, sc. formâ & pergit: Nam, si nullo bono privat, nec nocet; nocet autem adimendo bonum. Quamdiu itáque natura corrumpitur, inest ei bonum, quo privatur. Videtis Augustinum agere de ablatione boni, quod inest naturæ, & de bono, quo privatur natura (i.) de ipsis formis, quæ subjectis insunt, non de ipsis subjectis, id quod pluribus ostendit eodem cap. 12.

2. Respondet Bellarminus, *Augustinum agere de vitiis, quæ sunt habitus quidam, per iteratos bonos actus acquisiti; non de concupiscentiâ, ignorantiâ, infirmitate, & malitiâ, cum quibus nascimur.*

Sol. Augustinus agit de omni malo animi quod insiti à Deo boni privatio est: néque tam agit de vitiis acquisitis, quæ non privativè sed positivè opponantur bono eique morali; vel si privationes dicenda sunt, non tam naturalium bonorum privationes dicenda sunt, quàm acquisitorum; ubi virtutes acquisitas expellunt; alioquin vitia, quæ habitus per iteratos malos actus acquisiti sunt corruptioni post lapsum naturæ humanæ adhærenti superinducuntur, néque tam privationes dicenda sunt naturalium bonorum quàm malorum, cum quibus nascimur, auctaria.

Augustinus

Augustinus agit ergò de vitiis animi, quæ sunt privationes bonorum, in quibus creati sumus, qualia non erant illi vitiosi habitus per iteratos actus acquisiti, sed qualia ex privatione originalis justitiæ contraximus; quæ quamvis à principiis naturæ humanæ, naturali emantaione, non fluxit nec eo sensu naturalis dicenda erat; tamen rectè naturalis dicta est, quæ requisita erat ad naturam humanam perficiendam, ita ut sine eo aut omnino esse, aut bene esse non potuit, malóque carere, aut finem, ad quem ordinata fuit, consequi nequivit; hujus autem naturalis boni rectissimè privationes dicuntur vulnera illa, quæ dicuntur animi concupiscentia, ignorantia, infirmitas, & malitia voluntatis, cum quibus jam post lapsum nascimur, quomodo & originalis justitia naturalis, *Sanitas* rectè dici potest sensu supra dicto.

3. Respondet Bellarm. *Vitia omnia privationes esse naturalium bonorum* (i.) *naturalis rectitudinis, non qualis in primo homine fuit, sed qualis esse potuit si in puris naturalibus conditus fuisset. Natura enim creata sine justitiâ, & sine peccato* (id enim(inquit) *vocamus in puris naturalibus) suam quandam habet rectitudinem, quatenus, scil. nullam habet vitii curvitatem.*

Sol. Agit Augustinus de vitiis largè acceptis, & hisce contrariis bonis naturalibus, non quæ esse possunt, aut potuerunt; sed, quæ revera existebant in homine, prout à Deo reipsa condebatur, de rectitudine naturali hominis imaginarii, & fictitii in puris naturalibus conditi ne per somnium cogitavit Agustinus. Agit de animorum vitis, quæ in rerum naturâ reperiuntur, non quæ fingi possunt existere. Quomodò enim agit de corporibus animalium, quæ revera existunt, *Quibus* (inquit) *nihil est aliud, morbis, & vulneribus affici, quam sanitate* (*sc. naturali*) *privari, quæ actu exstitit ante hæc vulnera, & morbos inflicta.* Ita etiam, inquit, *Et animorum quæcúmque sunt vitia naturalium sunt privationes bonorum. Nihil hic de privatione sanitatis naturalis, quæ in corporibus animalium per vulnera, & morbos esse potuit, sed quæ fuit; ita nec de animorum vitiis, quæ privationes sunt naturalium bonorum, quæ fingi possunt in puris naturalibus, sed quæ actu existebant.* Quod verò subjungit de naturâ creatâ sine justitiâ, & sine peccato, quæ suam quandam habet rectitudinem quatenus sc. nullam habet vitii curvitatē; fictitium est absq; omni ex scripturis fundamento, aut ex antiquis patribus; cùm medius ille status, qui fingitur hominis in puris naturalibus cōditi absque gratiâ, & absque peccato, qui tamen cum ignorantiâ in intellectu, cum malitiâ in voluntate concupiscentiâ in concupiscibili, & infirmitate in irascibili consistere potest, fit nuperum inventum quorundam Scholasticorum Ecclesiæ veteri incompertum, & multorum errorum fundamentum, ut postea declarabimus.

4. *Denique* (inquit *Bellarminus*) *Si cogeremur per naturalia bona apud Agustinum intelligere justitiam originalem divinitus datam, & superadditam naturæ; promptum esset respondere, donum illud naturale bonum vocari, quia naturam non destruat, sed perficiat; quemadmodum è contrario vitium dicitur contra naturam, quia naturam non perficit, sed corrumpit.*

Resp. Originalem justitiam dici naturale bonum non quòd naturam humanam qualitercúnq; perficiat, sed quòd ad naturam perficiendam adeo necessaria erat, ut sine eâ aut omnino esse, aut bene esse non potuit, maloq; carere, & absq; quâ finem, ad quem ordinata est, nullo modo consequi potuit, quicquid autem ita perficit naturam, ut absque eo natura imperfecta fuerit, ad integritatem naturalem spectat; talis est rectitudo illa primæva, & justitia originalis. Unde & concupiscentia prava vitium est, & contra naturam, quia hoc bonum naturæ expellit, & corrumpit. Atq; hæ de secundâ ratione.

Tertia Ratio. S. *Augustinus* lib. 12, de Civit. Dei. c. 1. Sic loquitur de Angelis: Cùm vitium creaturæ Angelicæ dicitur, quòd non adhæret Deo, hinc apertissimè declaratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire. Quòd si naturale est Angelo adhærere Deo, certè naturale erit etiam homini: non igitur opus fuit dono aliquo supernaturali, ut primus homo Deo adhæreret, ac per hoc justus & rectus esset. Hic locus adducitur à Mich. Baio. de prim. hom. just. c. 4

Respondet Bellarminus: Convenire naturæ Angelicæ, ut per charitatem adhæreat Deo; sed non naturaliter convenire, quasi possit Angelus suis solis viribus per charitatem inhærere; aut certè, quasi donum charitatis infusæ necessariò Angelis debeatur,

debeatur, ita, ut naturale, non fupernaturale, debitum, non gratuitum dici debeat. Id quod ex Auguftin. docere nititur lib. eodem de Civit. Dei, c. 9. Denique nihil hoc loco de Angelis dicit, nifi quòd de hominibus dixit de prædeft. Sect. 2. c. 8. Poffe habere fidem, & charitatem, naturæ eft hominum, habere autem gratiæ fidelium.

Resp. Juxta Auguftinum, *Ita convenire naturæ Angelicæ, ut per Charitatem Deo adhæreat, & ita naturaliter, ut abfque illâ Charitate, Angelica natura bene effe non poteft, nec malo carere; fed, vitiata fit, neceffe eft: utpote abfque quâ beatitudinem illam confequi nequeat, ad quam confequendam creata erat, & ad cujus Confecutionem appetitu naturali fertur. Eft autem Auguftino, illud naturale, cujus carentia cedit in malum creaturæ, eique nociva eft, fic enim ille Paulò ante eodem capite. Huic naturæ [Angelicæ] quæ in tantâ excellentiâ creata eft, ut licèt ipfa fit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono (i.) fummo Deo, beatitudinem confequatur; nec expleat indigentiam fuam, nifi utique beata fit; eique explendæ non fufficiat, nifi Deus: Profectò non illi adhærere vitium eft; omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contrà naturam eft.* Ubi apertè oftendit, naturæ Angelicæ adeò naturale fuiffe inhærendo in commutabili bono; fc. Deo beatitudinem confequi, ut cùm non expleat indigentiam fuam, nifi utique beata fit, eique explendæ non fufficiat, nifi Deus; fequitur, neceffe fit, ut non Deo adhærere vitium fit, & naturæ nocivum, ac per hoc naturæ contrarium. Hæc poftea uberiùs confirmat. *Sicut ergò* (inquit) *cùm vitium oculorum dicitur cæcitas, id oftenditur, quòd ad naturam oculorum pertinet vifus, & cùm vitium aurium dicitur furditas, ad earum naturam pertinere demonftratur auditus: Ita, cùm vitium naturæ Angelicæ dicitur, quòd non adhæreat Deo; hinc appertiffimè demonftratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire.* Ut ergò vis videndi naturaliter convenit oculo, & vis audiendi auri; fic vis Deo per Charitatem adhærendi, naturaliter Angelicæ naturæ competit. Quid difertiùs? Concludit Auguftinus, *Quapropter etiam vitio malorum Angelorum, quò non adhærent Deo quoniam omnè vitium naturæ nocet, fatis manifeftatur, Deum tam bonam eorum creâffe naturam, cui noxium fit non effe cum Deo.* Ubi oftendit, adeò naturale fuiffe Angelicæ naturæ adhærere Deo lege Creationis, ut, vitio malorum Angelorum naturæ nocivo fiat, quòd non adhæreant, & noxium iis fit, non effe cum Deo. Ex hifce liquet juxta Auguftinum, naturæ Angelicæ, ut Deo adhæreat, convenire. Sed non minùs hominum, quàm Angelorum vitium eft, quod ait Pfalmifta; Pfal. 73. 27. Qui elongant fe à te, peribunt; Perdes omnes, qui fornicantur abs te. Igitur non minùs naturæ hominum, quàm Angelorum eft, quod apud eundem Pfalmiftam fubditur, verf. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum eft, & ponere in Domino Deo fpem meam. Hinc Guil. Parif. de vitiis, & peccat. c. 2. p. 252. 2. H. Manifeftum eft autem, quòd elongatio hæc, feu mala difpofitio quæ ita fpirituale noftrum impedit à fupradictis fuavitatibus, & bonitatibus, lefio eft magna, & vitium, quod ita nos perverfè habere compellit; perverfitas autem omnis, & omnis difpofitio pervertens nos, vitium effe dubitare non poteft.

Hinc etiam idem Auguftin. volens oftendere, quæ fit naturalis Angelorum, hominùmque conditio, ante omnia jubet intueri, quid juxta Scripturæ facræ teftimonium fit utrique naturæ malum; fic enim ille alibi de Civit. Dei, l. 22. c. 1. *Sicut cæcitas* (inquit) *oculi vitium eft, & idem ipfum indicat ad lumen videndum oculum effe creatum, ac per hoc ipfo vitio fui excellentius oftenditur cæteris membris, membrum capax luminis, (non enim aliâ causâ effet vitium ejus carere lumine) Ita etiam natura, quæ fruebatur Deo, optimam fe inftitutam docet etiam ipfo vitio, quo ideò mifera eft, quia non fruitur Deo.* Illud ergò juxta Auguftinum creaturæ rationali eft naturale, quod competit ei juxta primum ejus inftitutionem, quale eft frui Deo; & contra, naturam ideò miferam effe, quia non fruitur Deo; quomodo naturale eft oculo videre lumen; & vitium oculi privari videndi facultate. Hoc fpectat, quod alibi habet idem doctiffimus pater de Civit. Dei. lib. 11. c. 17. *Non enim vitium effet recedere à Deo* (inquit) *nifi naturæ, cujus id vitium eft, potiùs, competeret effe cum Deo: Nam, ut alibi habet, lib. 12. ejufdem op. c. 1. Cujus rectè vituperatur vitium, procul dubiò natura laudatur; nam recta vitii vituperatio eft quâ illo dehoneftatur*

tur natura laudabilis. Et lib. 12 de Civit. Dei. c. 5. ait, vitia nocere bono naturæ adimendo integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quicquid boni naturæ per vitium detrahi, sive minui consuevit] Ergò integritas, salus, & virtus in bonis naturæ habenda sunt, vid. Aug. de nat. & grat. c. 3.

In hisce, & plerisque aliis Augustini testimoniis, evidentissimè constat, ubique Augustino vitium opponi naturæ, ut aliquid contra naturam: naturam item denotare, primævam omnis creaturæ à Deo institutionem, omnéque illud, quod creaturæ sic institutæ nocivum est, aut cedit in malum, aut miseriam creaturæ sic institutæ, aut ordinem à Deo institutum perturbat, aut impedimenta sit in consecutione finis ad quem ordinata est ab authore naturæ, ut creaturæ illius vitium habendum esse, & proinde contra naturam.

Porrò, cùm dicit Bellarminus, Convenire naturæ Angelicæ, ut per charitatem adhæreat Deo, non tamen naturaliter convenire, quasi possit angelus solis suis viribus per charitatem adhærere; aut certè, quasi donum charitatis infusæ necessariò angelis debeatur; ita, ut naturale, non supernaturale; debitum, non gratuitam dici debeat.

Resp. Juxta Augustinum, convenire angelicæ naturæ, ut per charitatem adhæreat Deo, idque naturaliter juxta primam institutionem naturæ angelicæ; id enim naraliter competit angelo, quod in ejus natura primævâ institutione conferebatur, & ad ejus naturæ perfectionem necessarium erat, & suo modo debitum; & ita debitum, ut ejus carentia cessura erat in malum, & miseriam naturæ angelicæ: tale autem erat donum charitatis naturæ angelicæ, quæ juxta Augustinum loco citato, in tantâ excellentiâ creata est, --- ut explere nequiret indigentiam suam, nisi utique beata esset, néque explendæ huic indigentiæ sufficere quicquam potuit præter Deum, néque Deo frui quisquam potest nisi inhærendo Deo incommutabili bono per charitatem; unde sequetur, non Deo inhærere per charitatem, vitium esse; omne autem vitium (inquit Augustin.) naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est. Iste totus discursus est Augustini loco, quem jam enarravimus, unde ἀναντιῤῥήτως irrefragabiliter sequetur, juxta Augustinum convenire naturæ angelicæ, ut per charitatem adhereat Deo, idque secundum naturam primitus institutam; quod quis aliud est, quàm naturaliter? Imò Augustinus alibi non dubitavit dicere, nos naturaliter factos fuisse ad imaginem Dei, Sic enim lib. de sp. & lit. c. 27. *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in quâ naturaliter facti sumus instauret in nobis.* En vocem, naturaliter, ait, *Nos naturaliter factos esse in imagine Dei, illâ sc. imagine, quam instaurat in nobis spiritus gratiæ. & subjicit; vitium, quippe contra naturam est; quod utique sanat gratia.* —— *Proinde naturaliter homines quæ legis sunt faciunt: Qui enim hoc non faciunt, vitio sè faciunt. Quo vitio lex Dei deleta est de cordibus, ut per hoc, vitio sanato cum illic scribitur, fiunt, quæ legis sunt naturaliter, non quòd per naturam negata sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura.* Quid disertius? Hinc est, quod Augustini discipuli ab hac formulâ loquendi non abstineant, cùm de originali justitiâ primi hominis agunt, cujus eadem omnino ratio est, atque doni charitatis, quæ hujus justitiæ prima pars fuit. Sic enim Prosper contra Cassianum, Collat. c. 18. ubi ait, *Primum hominem tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem Dominum non desereret, posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare, quia vellet.* In hisce bonis erat donum charitatis, quæ pars erat originalis rectitudinis. En, Prosper ait, Hoc bonum originalis rectitudinis naturaliter accepisse hominem à Deo. Similiter Fulgentius de incarn. & grat. c. 23. Potest igitur, Deo donante, homo in Deum naturaliter credere; contra naturam quippe hominis est quòd in Deum non credat.

Quare, cùm Bellarminus dicit, non docere Augustinum, id angelorum naturæ naturaliter convenire, quasi possit angelus suis solis viribus Deo per charitatem inhærere, aut certè, quasi donum charitatis infusæ necessariò angelis debeatur: utcúmque negatur: Nam & primò, Angelus potest suis solis viribus Deo inhærere per charitatem, si de iis viribus agatur, quas ipse à Deo accepit in primâ naturæ institutione, ubi in originali justitiâ creatus esset, cujus pars erat donum charitatis: Secundò, Donum charitatis infusæ necessariò Angelis debebatur, ut naturale, quatenus

nus necessarium erat ad beatitudinem illam consequendam, ad cujus appetitionem ex lege primæ institutionis tanto impetu ferebantur Angeli, ut illius carentia in summum malum, & miseriam Angelicæ naturæ cessura erat, docente Augustino. Nec contrarium docet Augustinus locis citatis ex eodem 12. lib. de Civit.D.c.9.Cùm enim ait,*Et istam* (*bonam voluntatem*) *quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate* (i.) *cum amore casto, quo illi adhærent, creavit*; *Simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Hic inquit Bellarminus apertissimè distinguit Augustinus naturam à charitate, quam Gratiam vocat;Sed apertissimè fallitur Bellarminus, si Augustini sensum excutiamus;Nam, cùm ait, simul in eis & *Condens Naturam*, intelligit per *Naturam*, id,quod initio capitis appellat bonam naturæ, quod malorum Angelorum malâ voluntate minuebatur, & depravabatur, & paulò antè bonam naturam, quam ex nihilo sui capacem fecerat [Deus] ubi per bonam naturæ, & bonam naturam intelligit Augustinus originalem illam justitiam, in quâ Angelus conditus est; Cùm ergò Augustinus ait, In Angelis bonis Deum simul condidisse naturam, & largitum fuisse gratiam, per *Naturam* intelligit originalem justitiam, in quâ Angelus conditus est, & per gratiam intelligit gratiæ adjutorium superadditum quo actum amoris casti, seu charitatis habuit, quo Deo incommutabili bono adhæsit, quem actum Augustinus passim nomine bonæ voluntatis insignire solet. Porrò,cùm dicit hoc in loco Augustinus, non ad solos sanctos homines pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est iis:] Ex quo loco colligit Bellarm. Charitatem, quam gratiam vocat, non per creationem,sed per spiritus sancti inspirationem, diffusam in Angelis.

Resp. Augustinum per gratiam, & charitatem diffusam in Angelis per Sp. Sanct. inspirationem, non intelligere, nisi illud ipsum adjutorium gratiâ, quo sp. sanctus operabatur prædictum actum amoris casti, seu charitatis in bonis Angelis, seu, ut appellat passim, *Bonam voluntatem*, seu primam bonam volitionem, seu actum voluntatis.

Siquidem aliud Augustino est { Donum habituale charitatis; seu gratiæ: / Actus gratiæ, seu charitatis, seu bona voluntas.

Habuit autem per naturam, in quâ conditus est angelus bonus, donum habituale, quo Deo adhærere potuit. At actum charitatis, seu gratiæ,quo Deo incommutabili bono adhæsit, seu bonam voluntatem non habuit, nisi ex specialis gratiæ adjutorio. Unde paulò antè hoc ipso in capite docet, bonos angelos bonam voluntatem, quâ meliores essent (quàm creati sunt) nisi operante adjutorio creatoris, habere non potuisse. Est autem hoc adjutorium creatoris illa gratia specialis, quâ steterunt boni angeli; unde postea dicuntur ampliùs adjuti, quàm mali, qui ceciderunt.

Ad illud, quòd ultimo in loco respondet Bellarm. Nihil aliud hoc loco de angelis dixisse Augustinum, quàm quòd de hominibus dixit, lib. de prædest. S. S. c.8, posse habere fidem, & charitatem naturæ esse hominum; habere autem, gratiæ fidelium.

Resp. Longè aliud velle Augustinum ex eo patet, quòd posse habere charitatem competit angelo,quâ rationalis; non enim denotat, nisi capacitatem, qualis non inest lapidi, aut trunco; vel si potentiam activam denotat, non nisi remotam denotat; quod & ipse Bellarm. alibi fatetur, lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 15. Sect. 2. Sententiæ. Hoc autem modo posse habere charitatem ita angelo competit, ut non possit non habere hoc *posse*, quin desinat esse. At Augustinus ait, Sic naturæ angelicæ convenire, ut Deo adhæreat, quomodo oculo competit visus, & auribus auditus; ita etiam competit, ut vitium sit naturæ angelicæ non inhærere per charitatem bono in commutabili: ad talem autem adhæsionem requiritur donum charitatis, quo angelus habet, propinquum *posse*, seu τὸ *posse* proximè actu primo Deo adhærere, neque id negare potest Bellarminus.

Mitto quartam rationem quæ est M. Baii, l. 1. de merit. operum. c. 1. & 2. ut, quæ non nisi indirectè reducitur à Bellarmino ad hanc controversiam de primâ hominis justitâ;neq;enim hujus meminit Baius in lib. de prim. hom. just. neq; est hujus controversiæ propria.

5 Ratio desumitur etiam ex Augustino lib. 3. de lib. arb. c. 18. ubi sic loquitur: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Respondet Bellarm. Loqui Augustinum de naturâ, qualis fuerat in primo homine, non qualis esse potuit. Nam in eodem lib. idem Augustinus scribit, Si ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia, non potuisse reprehendi, sed laudari creatorem, & satis copiosè disputat, c. 20. & seq. Potuisse hominem creari, qualis nunc nascitur, etiamsi nullum peccatum antea præcessisset.

Resp. Rectè, Augustinus enim non admittit naturam hominis propriè dici, nisi illam, quæ fuit in statu integro primitus instituta: id quod sæpiùs innuit: nam eodem lib. 3. de lib. arb. c. 19. Ipsam naturam *hominis* aliter dicimus, cùm propriè loquimur, naturam hominis, in quâ primum in suo genere inculpabilis factus est: aliter istam, in quâ ex illius dâmnati pœnâ, & mortales, & ignari, & carni subditi nascimur. Juxta quem modum dicit Apostolus; fuimus enim & nos naturaliter filii iræ, sicut & cæteri, quæ repetit lib. de nat. & grat. c. 67. in fine, ex eodem libro, & retract. lib. 1. c. 10. Ipsa *natura, qualis sine vitio condita est*, rectè, ac propriè natura hominis dicitur; translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam, quali nascitur homo, secundum quam dixit Apostolus, fuimus enim & nos aliquando naturâ filii iræ: & ibid. c. 15. *In eo, quod dixi* (inquit) *naturâ esse malæ animæ nullo modo queunt. Si quæritur quomodo accipitur, quod ait Apostolus: fuimus & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri. Respondemus* (inquit) *naturam in his verbis meis me intelligere voluisse eam, quæ propriè dicitur natura, in quâ sine vitio creati sumus. Nam ista propter originem natura appellatur, quæ origo utique habet vitium, quod est contra naturam. Et eodem libro retractans aliud quod scripserat de duabus animabus contra Manichæos, c. 13.* Sc. *Spiritualia diligere & justitiâ jubemur, & naturâ possumus. Quæri potest*, inquit, *Cur naturâ, & non potiùs gratiâ dixerim; sed contra Manichæos de naturâ quæstio versabatur, & utique id agit gratia, ut sanata natura, quod vitiata non potest, possit per eum, qui venit quærere, & salvum facere, quod perierat.* Ex hisce satis patet Augustino illam naturam hominis propriè, & verè dici, & dici debere, in quâ homo creatus est in justitiâ, & sanctitate absque omni vitio; unde sequetur, naturam illam vitiatam, quæ fingitur hominis in puris naturalibus conditi, nec verè, nec propriè naturam hominis dici, aut dici debere juxta Augustinum.

At adhuc instat. Bellarm. August. eo loco loqui de naturâ, qualis fuerit in primò homine, non qualis esse potuit. *Nam eodem libro* (inquit) *idem Augustinus scribit: si ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia, non potuisse reprehendi, sed laudari Creatorem. Et satis copiosè* (inquit,) *disputat. c. 20. & seq. potuisse hominem creari, qualis nunc nascitur etiamsi nullum peccatum antea præcessisset.*

Resp. Agnosco illo ipso libro Augustinum dicere, si ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia, non potuisse culpari, sed laudari creatorem: sed animadvertendum, hæc disputâsse Augustinum contra Manichæos, cùm adhuc laicus esset, ut ipse fatetur de bono perseverant, c. 12. ante exortam hæresin Pelagianorum. Contra quos Manichæos docet, si ignorantia, & difficultas essent primordia naturæ, non tamen sequi (quod contendunt Manichæi) boni, & mali, duas coæternas esse naturas. Non dicit Augustinus lib. 3. c. 20. de libero arb: hominem ab initio talem à Deo creari, qualis nunc nascitur aut creari potuisse, ut falsò Bellarminus; sed, quòd, si talis fuisse conditus dicatur (sicut postea dixerunt Pelagiani) qualis non nascitur, cum ignorantiâ, & difficultate; tamen vincuntur Manichæi, qui duarum naturarum, boni, & mali sc. permixtionem introducere nitebantur. Sicut Augustinus docet lib. retract: 1. c. 9. & lib: de bono perser. c. 11. & 12. in quo capite (12) expressè testatur Augustinus sc. lib. 3. de lib: arb. Secundum utrumque sensum pelagianum & nostrum (i.) Catholicum restitisse Manichæis, licèt unum duntaxat teneret (i.) Catholicum, sc. ignorantiam, & difficultatem non esse primordia naturæ, sed supplicia peccati. Sed hîc porrò diligentur perpendendum juxta Augustinum; si ignorantia, & difficultas essent primordia, naturæ, quandoquidem quisque id naturâ est, quod à Deo Conditus est, ideò talis ignorantia, & difficultas, quæ accidit ex rebellione car-

nis

nis contra spiritum, in tali homine natura esset, non culpa, nec pœna; Imò nec vitium, (quod semper naturalium est privatio bonorum, teste Augustino Enchirid. c. 11.) sed naturæ donum, nulli verecundiæ, nulli reprehensioni obnoxium, quomodo talpæ cæcitas, & libido, & rapacitas brutis qualitates sunt naturales, ac proinde irreprehensibiles. Quæ enim creaturæ non habent legem justitiæ, neq; impressam naturæ suæ, neq; præscriptam à Deo, non peccant, sive habendo eas inclinationes, quæ homines reos constituunt, sive faciendo illas actiones, quæ peccata actualia in hominibus reputantur: V. gr. non dicimus, lupum, aut hircum peccato inhærente contaminatum, quamvis in uno sit inclinatio naturalis propensa ad Cædem, in altero ad Libidinem; nec dicimus peccatum actuale committere, quando hic magna rabie prædam dilaniat, ille inflammato appetitu libidinem exercet; ratio autem, cur rei minimè habeantur, hæc primaria est, quòd hæ inclinationes, atq; actiones horum non repugnant legi illis sive impressæ, sive imperatæ. Cæterum in nobis, qui aliam à Deo naturam sortiti sumus, non potest non esse vitium, quòd caro concupiscit adversus spiritum: & quòd aliquod corporis membrum, citra voluntatis imperium, suo jure, ad opus sibi congruum concitetur. Id quod nobis non solum justè improperatur, sed etiam ad æternam damnationem imputatur, nisi ante hujus vitæ terminum remittatur, Et ideò, sicut Augustinus dicit in Psalmo tricentissimo tertio. Com: 4. Quod equo natura est, homini crimen est: sic etiam dicendum est de illius ficti hominis à Bellarmino excogitati concupiscentiâ, cum quâ naturaliter creatus esse fingitur, sicut novimus creatas esse bestias; quòd concupiscentia illi quidem homini esset natura, nobis autem & pœna, & culpa. vid. G. Paris. de vitiis, & peccat: c. 1. Sed & hoc adjiciendum: etiamsi detur, Deum potuisse creare hominem, in quo ignorantia, & primordia naturæ essent, licèt potuisset Deus eo modo creasse hominem absq; eo esset author peccati; non tamen potuisse ita creâsse, quin animal esset suo genere imperfectum; quomodo, si creâsset hominem cæcum, unoculum, surdum, claudum, vel aliquo naturali membro privatum, creasset, proculdubiò, imperfectum; nec rectè dici potest talis creatus in puris naturalibus, cùm aliquid naturale deesset. Pari modo, philosophandum de homine creato cum ignorantia, difficultate, & concupiscentiâ, seu rebellione appetitus sensitivi contra rationalem, quanquam talis homo creari possit absq; peccato, tamen non dici potest creari in puris naturalibus: si quidem pura naturalia suam quandam habent perfectionem naturalem, qualem non habent ubi aliquid naturale desit, ut fit, cùm appetitus sensitivus appetit contra ordinem rationis, & aliter quam ratio præscripserit, quod in rationali creaturâ est vitium, & merito vituperabile. Ex quibus manifestum est, illam justitiam originalem, quæ sensualem appetitum rationis imperio reddit morigerum, esse quiddam humanæ naturæ debitum, ut absq; quo homo, quoad naturalia, imperfectus sit. Cujus carentia cedit in malum humanæ naturæ, ac proinde ad integritatem naturæ humanæ ipsa pertinet, etiamsi forsan à principiis naturæ non fluat, sed supernaturaliter inditam fuerit, ac proinde non est donum merè gratuitum, quod contendunt Jesuitæ. vid. M. Baiam de orig. pec. c. 5. & Daven: de habit: Just: c. 9. p. 244, 245. & Chamier: Tom: 3, l: 10. de Sanct: c. 16. p. 302, 303.

Vid. pacis: de vit: & vict: 5. p: 258, 259. col: 22.

Arg. 6. Ratio desumitur à Testimonio Leonis M. Sermone 13. de Passione Domini. Ubi vocat innocentiam primi hominis Naturalem, cùm sic ait; libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum Parentum prævaricatione perdidimus, nulla per se sanctorum præcedentium merita receperunt. Hoc testimonium etiam adduxit M. Baius de primi hominis justitiâ, c. 6 Ubi aliud etiam testimonium è Leone adducit, cujus Bellarm: non meminit. Ex sermone primo de jejunio ubi sic ait: Si fideliter creationis nostræ exordium intelligamus, inquit, inveniemus hominem ad imaginem Dei conditum, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat.] Ubi ait, naturalem esse hanc nostri generis dignitatem, quatenus ad imaginem Dei conditi sumus.

Respondet Bellarm. *Innocentiam, eum, naturalem vocare, quia ab initio conditionis cum ipsâ naturâ tributa, & per modum naturæ in posteros propaganda fuerat. Eo sensu, quo peccatum originale dici potest naturale juxta illud, Eramus & nos naturâ filii iræ* ad

Ephes.

Ephes. 2. *Sed, sicut peccatum ejus, quamvis trahatur à nativitate, tamen extrinsecus accedit naturæ, non autem ex naturæ principiis fluit; ita quoq; donum innocentiæ originalis, etiamsi cum naturâ transfusum fuisset; non tamen ex naturæ principiis, sed ex munere supernaturalis gratiæ profluxisset.* Hæc Bellarm.

Resp. Non solùm innocentia naturalis dicitur, quia ab initio conditionis simul cum naturâ tributa est, & per modum naturæ propaganda esset; sed quòd ad naturæ humanæ integritatem requirebatur; non nudè, ut naturæ concomitans, sed, ut ad *esse*, vel saltem ad *benè esse*, & perfectionem hominis necessaria, & debita, absq; quâ humana natura vitiata esset, & vulnerata, manca, & mutila, & infinitis miseris exposita, quæ ex ignorantiâ, difficultate, & rebellione inferioris partis contra superiorem proficiscuntur, quæ omnia, cum naturæ humanæ, propriè sumptæ, integritate, & perfectione pugnant, ut antea ex Augustino observavimus. Neq par ratio est naturalitatis (ut ita loquar) originalis corruptionis, atq; originalis justitiæ, ut hîc contendit Bellarminus. Nam originalis corruptio, quâ sumus filii iræ, dicitur ab Apostolo naturâ esse, quod sit à nativitate, & per modum naturæ propagetur duntaxat, cùm tamen in se sit humanæ naturæ nociva. At originalis justitia non solum dicitur, quòd cum naturâ creata esset, & simul cum naturâ propaganda, sed præcipuè, quia partim à naturæ principiis in primâ creatione fluxit naturali quadam emanatione, ut naturalis quædam sanitas, quæ inerat in potentiis hominis integri, quâ appetitus sensitivus ad objecta delectabilia ferebatur, non nisi ex previo rationis dictamine, utpote ejus actuum summæ moderatricis: partim, quia humanæ naturæ principiis inditæ sunt in primâ creatione supernaturaliter qualitates, (seu habitus,) quæ ita debitæ sunt, & requisitæ ad naturam humanam perficiendum, ut ex hypothesi finis supra naturam, ad quem consequendum ordinabatur homo, omnino necessaria erant, & debitæ, ut absq; his aut omnino esse, aut benè esse non potuit, maloq; carere, aut finem, ad quem ordinabatur, consequi non potuit; Atq; hac ratione innocentia primi hominis dicitur, à Leone, naturalis, & non solum, quòd cum naturæ principiis congenita esset, & per modum naturæ propaganda fuisset, si homo in innocentiâ acceptâ mansisset. Idq satis constat ex altero, quem protulimus è Serm. 1. decimi mensis, ubi ait, *Hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut immitator sui esset Authoris, & hanc esse naturalem generis nostri dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidiè nos utiq; reparat gratia servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Hîc leo ait, *Hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, quòd ad imaginem Dei conditi sumus.* Non ait, supernaturalem nostri generis dignitatem esse, ut contendunt Jesuitæ, quòd ad imaginem Dei conditus est, sed naturalem fuisse homini in statu integro, id quod etiam alibi de nativit. Dom: Serm: 4. affirmat, ubi sic habet; *Primus homo Carnis substantiam accepit à terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem, & similitudinem sui authoris vivens, formam Dei bonitatis, atq; justitiæ in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore servaret, quam natura sua speciocissimam dignitatem si, per observantiam legis datæ, perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Hîc etiam in eo, quod homo conditus esset ad imaginem, & similitudinem sui authoris, & servavit formam Dei bonitatis, atq; justitiæ appellat naturæ suæ speciocissimam dignitatem, non alicujus conditionis supra naturam. Idem Leo, Serm. 14. de passione, per Christum dicit libertatem naturalem reparatam fuisse. Et certè, ipsa regeneratio nostra non censetur reparatio doni alicujus adventitii, & merè supernaturalis, sed restauratio ejus imaginis, ad quam humana natura ab initio conformata fuit, rectè ergò naturæ humanæ speciosam hanc dignitatem hanc originalem justitiam appellat Leo, & libertatem hominis integri libertatem naturalem.

Arg. 7. Si justitia originalis donum esset simpliciter supernaturale, & merè gratuitum; tum peccatum originis nihil aliud esset, quàm privatio doni simpliciter supernaturalis, & merè gratuiti, salvâ, atq; integrâ manente hominis naturâ: At certum est per concupiscentiam ex peccato Ade contractum, vitiatam, depravatum, & in deterius mutatam esse naturam hominis. Hoc argumentum non propono iisdem verbis, quibus utitur Stapletonus, ut qui nitatur authoritate Consilii Tridentini, quæ apud

apud nos nulla est; sed multò fortius, nixus authoritate consilii Arausicani, & Augustini, quamvis ad mentem Slapetoni, sic enim Concilium Arausicanum II. can. I. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ, non totum* (i.) *non secundum corpus, & animam, in deterius dicit commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, pelagii errore deceptus adversatur scripturæ dicenti, Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Iste Canon videtur de sumptus ex Augustino, qui sepiùs affirmat, per peccatum hominis naturam in deterius commutatam, sic lib. I. de nuptiis, & concup. c. 32. ubi ait, peccatam Adæ tam magnam fuisse, ut per illud magna fieret, in deterius mutatio naturæ, & lib. 2. c. 34. *Illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata non solum facta est peccatrix, verùm etiam genuit peccatores, & tamen ipse languor, quo bene vivendi virtus periit, non est utiq; natura, sed vitium; sicut certè mala in corpore valetudo; non est ulla substantia, vel natura, sed vitium.* Hanc mutationem nostræ naturæ per lapsum, illustrat, ut roq; in loco mutatione oleæ in oleastrum; dicitque, Adamum peccando factum ex oleâ oleastrum, totum genus humanum fecisse oleastrum. Similia habet eodem lib. 2. c. 9. ubi agens de militia naturali ex Sapient: 12. & explicans illud Apostoli ad *Ephes.* 2. *Nos natura filii iræ; Num quid* (inquit,) *in Adam ista natura sic condita est? Absit; sed, quia in illo vitiata sit per omnes jam naturaliter concurrit, & currit ut ab hac per litione non liberet nisi gratia Dei per Jesum Christum D. nostrum. Et Paulo post; de vitio hic agitur, quo est depravata natura bona, cujus vitii author est diabolus, non de naturæ ipsius bonitate, cujus author est Deus, qui neque ab ipsâ vitiatâ, depravataque naturâ suam abstulit bonitatem.* Ex Augustini ergò sententiâ non habemus integra naturalia post lapsum, sed naturam vitiatam, & in deterius mutatam. Hanc naturæ depravationem vitium appellat, & angorem, quo bene vivendi virtus periit, & similem vult esse malæ in corpore valetudini. Ex hisce evincitur juxta Augustinum, integritatem illam, quæ hæc vitia excludebat, naturale bonum fuisse, utpote quo ablato, natura ipsa læsa, depravata, & vitiata fuerit.

Sed & accedant alia loca, ex quibus constat, hanc esse perpetuam Augustini sententiam De Civit: D. l. 13. c. 3. [*In eo* [*primo homine*] *natura humana vitiata, atque mutata est, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi.* Quòd ergo homo habeat inobedientiam concupiscendi in membris repugnantem, est ex vitiatione, & mutatione naturæ; Ergò naturaliter homo non sensit, nec habuit hanc inobedientiam in membris. Et lib. 3 c. 14. *Deus creavit hominem rectum, Naturarum author, non utiq; vitiorum; sed sponte, depravatus, justè que damnatus, depravatos, damnatosque generavit. Depravatio ergò naturæ non fluxit à principiis puræ naturæ; Deus enim, ut author naturæ, erat author rectitudinis, quâ ab omni vitio naturæ immanis erat homo.*

Idem Augustinus ejusdem operis lib. 14 c. I. de primis parentibus agens. *A quibus* (inquit) *Commissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissâ.* Et Cap. 12. *Si quem verò movet, cur aliis peccatis sic natura non mutetur humana, quemadmodum illâ duorum primorum hominum prævaricatione mutata est, & tantæ corruptioni quantam videmus, & sentimus, & per hanc subjacere morti, ac tot, tantisque, tamque inter se contrariis, perturbaretur, & fluctuaret affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, utique non fuit: Si quis hoc movetur, ut dixi, non ideò debet existimare leve, ac parvum fuisse illud commissum, quia in escâ factum est, non quidem malâ, nec noxiâ, nisi quia prohibita. Hoc de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præsertim nondum voluntati capiditas resistebat quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitiâ violatum est, quanto facillione posset observantiâ custodiri.* Hic pro confesso habet Augustinus, per peccatum primorum parentum mutatam esse naturam humanam in deterius; & sic mutari, quo modo non ullo alio peccato: Siquidem hoc peccato factum esse obnoxium morti, & corruptioni, & contrariis multis perturbationibus, & affectibus, quas in paradiso non habuit; quam magnam naturæ mutationem deducit à magnitudine injustitiæ in violando, ac non observando tam facili præcepto. Et c. 13. ostendit in prævarica

rica

ricatione Adæ ad opus malum malam præcessisse voluntatem; unde subjungit; *Non ergò malum opus factum est,* (i.) *illa transgressio, uti cibo vetito vesceretur, nisi ab eis, qui mali jam erant. Neque enim fieret ille fructus malus nisi ab arbore malâ. Ut autem arbor esset mala, contra naturam factum est: qui nisi vitio voluntatis, quòd contrà naturam est, non utique fieret: sed vitio depravari nisi ex nihilo facta natura non posset. Ac per hoc, ut natura sit, ex eo habet, quod à Deo facta est; ut autem ab eo, à quo facta est, deficiat, ex hoc, quòd de nihilo facta est.* Ex hisce constat juxta Augustinum, naturam humanam grandi illo peccato, primæ transgressionis, in deterius mutatam esse; & sic mutari peccato inobedientiæ, ut magnæ corruptioni natura nostra subjaceret, & contrariis preturbaretur, & fluctuaret affectibus, qualis in corpore animali ante peccatum hoc non fuit. Porrò Adamum vult factum arborem malam; ut autem esset arbor mala, contra naturam factum est, quia nisi vitio voluntatis, quod contra naturam est, non utique fieret. Ergò juxta Augustinum, secundum naturam suam, & pura naturalia, homo est absque vitio omni; non ergò ex conditione materiæ, & puris naturalibus fluunt ignorantia, malitia, concupiscentia, & difficultas naturaliter, ex mente Augustini, ut falsò Bellarminus. Illud etiam adjicimus, naturam nostram propter peccatam originis, non solùm in deterius mutatam, sed etiam incurrisse nos potestatem diaboli, juxta Augustinum.

Resp. Bellarm. Nemo nostrum negat propter peccatum originis non solùm justitiâ originali, & gratiâ nos esse miserè spoliatos, sed etiam incurrisse in diaboli potestatem, & totum hominem secundum corpus, & animam in deterius esse commutatum. Neque illud dicimus, hominem in puris naturalibus conditum futurum fuisse in diaboli potestate, sed futurum fuisse, quales nos sumus, quoad mortalitatem corporis, rebellionem membrorum, ignorantiam, difficultatem, & similia; ac proinde mutationem totius hominis secundum corpus, & animam in deterius ex amissione justitiæ originalis natum esse; ità, ut non sit opus dicere, Deum, vel diabolum rebellionem carnis nobis inseruisse, aut nos deditâ operâ excæcâsse, cùm ignorantia, & cupiditas, & id genus mala ex amissione justitiæ originalis, ut ex removente prohibens dimanare potuerit.

Sol. Cùm Augustinus, & cum secuti Arausicani patres dicunt, naturam hominis per peccatum Adæ secundum corpus, & animam in deterius commutatam esse, omnino volunt naturam, puram, & integram non mansisse, sed læsam, & depravatam; nec pura naturalia ampliùs superesse, sed vitiata, & in deterius mutata. Unde Arausicani P. p. damnant, ut Pelagianum, si quis dixerit, animæ libertatem illæsam mansisse. Augustinus item vult, ex lapsu languorem contractum esse, quo bene vivendi virtus periit, quem certè noluit Augustinus à naturæ puræ principiis oriri, cùm vitium appellet, quomodo ægritudo est vitium corporis, & tale vitium, quo benè vivendi virtus periit, quod certè non potest esse, nisi vitium reum faciens, inobedientiam appellat Augustinus, primæ inobedientiæ supplicium, & ideò non naturam esse, sed vitium dicit, de civit: Dei. 15. c. 6. Unde, si talis conditus fuisset homo, qualis jam est (semotâ gratiâ,) non pura, ac sana naturalia, sed ægra, ac depravata naturalia habere rectiùs diceretur; nec instar oleæ esset, sed instar oleastri, ipsâ naturâ nostrâ jam mutatâ, & depravatâ. Neque enim in puris naturalibus habiturus esset homo ullum vitium, quo bene vivendi virtus periret, nec ita vitiata natura nostra esset, ut ab hac vitiositate non potuisset liberari, nisi per gratiam Christi. Cum in puris naturalibus non indigebat ullâ liberatione per gratiam Christi. Neque tale vitium haberet homo in puris naturalibus, cujus author esset diabolus, quale est vitium, quod jam ex lapsu invasit naturam nostram, ut docet Augustinus, loco sup. cit: de nupt: & concup: l: 2. c. 9. sic enim ait. *De vitio hîc agitur,* [sc *Concupiscentiæ,*] *quo est depravata natura bona, cujus vitii author est diabolus.* Ac proinde homo sic in diaboli potestate esset, quod tamen hîc ipse Bellarminus non audet asserere. Porrò Augustinus, & P. p. Arausicani cùm aiunt, naturam hominis, in deterius commutatam esse, non intelligunt solum modo respectu status, quem habuit homo in statu innocentiæ, sed etiam respectu status, quem habiturus esset, si in puris naturalibus conditus fuisset: alioqui enim ex eorum sententiâ homo solummodo privatus esset dono merè supernaturali, nec plagam ullam in se ipso ex lapsu accepisse dici potuisset:

Nam

Nam in puris naturalibus nullam habiturus erat homo plagam, nullum vulnus in naturalibus. Denique liberum arbitrium in naturâ lapsâ non habet easdem vires naturales ad bonum, quas habiturum erat, si in puris naturalibus conditum fuisset; non enim potest in naturâ lapsâ absque auxilio gratiæ, elicere ullum actum dilectionis Dei super omnia, etiam ut est author naturæ: Siquidem, ut rectè Augustinus, Epist. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate, perdidimus*: (i.) Perdidimus virtutem ad diligendum Deum per solam facultatem naturæ. Unde patres Arausicani, Can. 25. Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ex hisce intelligi potest, hominem per lapsum non solum gratuitis spoliatum esse, sed vulneratum in naturalibus.

Atque hinc contracta esse vulnera ignorantiæ, difficultatis, & concupiscentiæ; non ex solâ amissione originalis justitiæ, ut ex solo removente prohibens dimanâsse, ut falso Bellarminus (ac si naturaliter ex puris naturalibus remoto supernaturali impedimento originalis justitiæ, hæc animæ vitia, & vulnera ex naturæ principiis pullularent & prodirent) sed ex amissione originalis justitiæ, ut qualitatis naturalis, & debitæ, & ad integritatem naturæ humanæ propriè sic dictæ (ut loquitur Augustinus) necessariæ; atque ita necessariæ, ut ejus carentia humanæ naturæ nociva futura erat, atque per hoc contra naturam, prout à Deo primitus condita, & instituta est. Atq; hæc de septimâ ratione.

Argum. 8. Naturalem carnis nostræ impetum magis non rebellem esse, quàm antè peccatum sine gratiâ futurus erat, ex doctrinâ Augustini clarissima argumenta peti possunt. Primum sanè, *Quòd Adam, ut suis naturalibus perficeretur, accepit quidem gratiam, sed lætam quandam, & facilem, quæ libero arbitrio jam sano facilè cooperaretur. Nos verò, ut in corruptis naturalibus perficiamur, potentem, & majorem gartiam accipimus. Ille in bonis (sc. naturæ) erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat, in quibus nullum patiebatur malum: sancti verò in hac vita in malis sunt. Ille non eguit morte Christi, (sc. ut sanitatem conservaret:) Istos à reatu & hæreditario, & proprio ipsius illius sanguis absolvit. Illum non opus habuisse adjutorio contra rixam carnis: nos illo opus habere: Illum denique accepisse gratiam, quâ potuit, si vellet; nos accepisse, ut velimus, idque tantùm velimus, tantoq; ardore diligamus, ut voluntatem contrria concupiscentem voluntate spiritus vincamus.* Hæc Augustin. de corrrep. & grat. c. 11. Haud dubiè igitur pura illius naturalia, seclusâ gratiâ, & dono justitiæ, multo erant saniora, & puriora, ut quæ minori remedio conservabantur, seu perficiebantur, quàm nostra sunt, sublatâ jam gratiâ. Hæc Stapletonus.

Resp. Bellarm. *Ex verbis Augustini non posse ullo modo colligi, naturalem carnis nostræ impetum magis nunc esse rebellem quàm ante peccatum sine gratiâ futurus erat: atque illud, pura naturalia, fuisse saniora, & puriora ante peccatum, quam modo sunt post peccatum. Nam primùm, non dicit Argustinus,* (inquit) *Adamum fuisse in bonis naturæ, nos esse in malis naturæ; sed hæc* (inquit Bellarm.) *sunt verba ejus, Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Et paulò post, Sancti verò in hac vitâ, ad quos pertinet liberationis hæc gratia in malis sunt &c. ubi nulla fit mentio naturæ. Et ex superioribus verbis* (inquit) *intelligimus eum loqui de bonis gratiæ, non naturæ.*

Resp. Certum esse ex perpetua Augustini sententiâ, rixam, & rebellionem carnis adversus spiritum, quæ jam cernitur in homine lapso, planè præternaturalem, esse, & homini adventitium, imo contra naturam hominis propriè dictam; non enim agnoscit Augustinus, ut supra docuimus, ullam naturam hominis propriè dictam, nisi illam, quæ fuerit in statu integro primitùs instituta, & formata. Hinc est, quòd Retract. 1. c. 10. Ipsa *natura, qualis sine initio condita est,* verè, ac propriè natura dicitur. Unde certum est, rebellionem carnis, quæ fingitur inesse homini in puris natulibus condito à sententiâ Augustini longè abhorrere.

2. Certum est ex Augustino hoc ipso in loco, pura Adæ, quæ dicuntur, naturalia, saniora, & puriora multò fuisse, quæ minori remedio conservari poterant, & perfici, quàm nostra sint, sublatâ jam gratiâ. Nam certum est, primum hominem factum esse absque omni vitio rectum, atque adeò naturaliter bonum, ut hic August.

cap. 10. Cùm omne vitium sit contra naturam, & naturalis alicujus boni privatio, docente August. in Enchirid. ad Laurent. c. 11. Certum est etiam ex eodem cap. 10 de corrept. & grat. Deum creâsse omnia valde bona *bonitate sc. naturali*. Ergò absq; omni vitio naturali et hoc c. 11. ait Augustinus, Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat, (i.) in bonis naturæ, talia enim erant, quæ bonitate sui conditoris acceperat, & quæ Deus, ut conditor, contulit. Addit, Sancti verò in malis sunt (sc. naturæ) qualia sunt omnia vitia; subjungit Augustinus; *Ille in illis bonis (sc. naturæ) Christi morte non eguit: Istum a reatu & hæreditario, & proprio, illius agni sanguis absolvit.* Sed regerit Bellarminus, Ex superioribus verbis intelligimus eum loqui de bonis gratiæ, non naturæ. Sic enim ait. *Quid ergò? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* Tum subjungit, *Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. &c* Hinc infert Bellarm. Itaque sensus eorum verborum esse videtur Adamum, fuisse in bonis gratiæ, originalisque justitiæ, nos esse in malis, quæ ex amissione gratiæ redundârunt.

Resp. Certum est Augustin. ubi ait, *Ille in bonis erat, quæ sui bonitate conditoris acceperat.* Intelligere bona naturæ, quæ opponuntur malis & vitiis, cap. enim præcedente dixerat, *Primum hominem factum esse absque omni vitio rectum,* (i.) naturaliter rectum, & *bonum, cùm omne vitium sit naturæ nocivum, ac proinde contra naturam: & subjungit cœpit habere vitium, ex quo cecidit, & si cœpit, antequam cœpisset, utique sine vitio fuit.* Et mox, *Eo quippe ipso, quod non dicitur nunquam sine vitio fuisse, sed dicitur sine vitio non permansisse procul dubio demonstratur, sine vitio fuisse, in quo bono non permansisse culpatur.* Prius ergo homo conditus est sine vitio, (i.) absque eo, quod naturæ nocet: Nam, dicente Augustino de Civitate Dei, lib. 10 c. 1. *Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Et eodem lib. c. 7 *Vitia nocent naturæ adimendo integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quicquid boni naturæ per vitium detrahi, sive minui consuevit.* Et lib. 11. c. 17 ejusdem. *Non enim vitium esset recedere à Deo, nisi naturæ, cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo.* Et lib. 12. c. 1. *Cujus rectè vituperatur vitium, ejus natura laudatur. Nam recta vitii vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis.* Porrò, ex Bellarmini placitis vitium hoc non tam *Sanatum* fuisse dici debet, originalis justitiæ infusione, quàm cohibitum, & refrænatum, cùm in principiis naturæ humanæ actu primo delituerit, licet effectus suos non exercuerit, prohibente fræno originalis justitiæ, Ac proinde non tam cœpit esse ex lapsu, quam sese exercere per actus secundos, quemadmodum ferocia equi non primum existere incipit, cum laxatur frænum, sed sese exercere Ad argumentum autem quod affert Bellarm ex præcedentibus verbis Augustini. *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem.* Per gratiam intelligit Augustinus adjutorium gratiæ, de quo agit infrà, c. 11. ubi ait, *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, prima est enim, quâ fit, ut habeat homo justitiam, si velit: Secunda ergò plus potest, quâ fit etiam, ut velit.* Et pauló post: *Tunc ergò dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eam fecerat, qui fecerat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.* Et postea: *Nam, ut reciperet Adam bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non potest.* Hîc apertè distinguit Augustinus, inter gratiam, seu adjutorium gratiæ, & bonum, quod Adam receperat, in quo creatus, & conditus erat à Deo, quod non aliud erat, quàm bonum naturæ, quod in prima naturæ suæ institutione à Deo acceperat. Aliud ergò Augustino, loco citato, Gratia, aliud bonum, quod bonitate sui conditoris acceperat, quod non erat aliud, quàm bonum naturæ, puta quòd Deus dicitur, fecisse omnia bona. Adjutorium verò, illud auxilium gratiæ speciale, quo bene uti hac originali justitiâ, seu bono naturæ potuisset.

Sed pergit Bellar. *Fac, Augustinum dixisse, Ille erat in bonis naturæ, nos sumus in malis naturæ; quid inde colliges, nisi Adamum habuisse naturam per donum supernaturale sanatam ab eo morbo, qui ex conditione materiæ nasci potuerit; nos habere naturam, dono illo privatam, ac per hoc naturali ægritudini obnoxiam, atque subjectam?*

Resp.

Resp. Nihil dici posse divinæ bonitati magis derogatorium, quàm dicere Adamum habuisse naturam quæ ex conditione materiæ, ex quâ conflatur, naturaliter morbida esset, & per donum merè supernaturale, & indebitum, ab isto morbo sanata esset. Quamvis revera, juxta hoc dogma Jesuitarum, natura non tam dicenda est sanata per supernaturalem gratiam, quàm repressa, & coërcita, quò minus morbos, seu vulnera ab eâ naturaliter prodeuntia probat. Sic enim homo non diceretur habere pura, & sana naturalia, sed ægra, sed corrupta, sed vulnerata naturalia. Porrò, si Adamus habuit naturam, per supernaturale donum sanatam ab eo morbo, qui ex conditione materiæ nasci potuerat; tum Christus D. qui Adami naturam suscepit integram, imò & omnes defectus Adami naturales, etiam ex lapsu, ex naturæ suæ principiis dimanantes habuit, & quicquid ex puris naturalibus dimanare dignoscitur. Ille Christus D. (inquam) habiturus etiam esset ex conditione materiæ omnia illa vitia ignorantiæ, malitiæ, concupiscentiæ, & difficultatis, quæ ex conditione materiæ ex Adami lapsu sese prodiderunt; alioquin non eandem naturam nobiscum, si conditionem materiæ spectemus, suscepisse dicendus est; sed planè aliam, & diversam, quoad materiæ conditionem, (i.) quoad humanæ naturæ, substantiam haberet, cujus materia est essentialis pars. Quomodo ergò per omnia fratribus suis similis factus est, excepto peccato? aut quomodo nobis ὁμόσιος, & ejusdem substantiæ? Porrò Christo D. nimis injuriosum esset, si in eo fingamus illa pura naturalia, quæ fingit Jesuita in Adamo; aut in eo fingamus tale supernaturale donum, quo rebellio, & rixa in membris delitescens fuerit coërcita, atque repressa. Quæ tamen omnia necesse est, ut Bellarminus agnoscat, si non statuamus, Pura naturalia fuisse in primo homine, secluso omni dono gratuito, saniora, quam in homine lapso.

Præterea, natura, quæ proprie sanatur, recipit sanitatem, naturali sanitati prorsus homogeneam, quâ ipsa ægritudo, quæ curatur penitus tollitur; atque adeo, si purorum naturalium vitia, quæ dicuntur, seu vulnera per originalem justitiam sanentur, & perfectè curentur, tum adventante originali justitiâ, natura Adami ita perfectè sanatur, ut omnis defectus & ægritudo animæ penitus facessat è medio, & in rerum naturâ non amplius existat. Nam, ut ait Augustinus, cap. 11. Enchirid. ad Laurentium. *Neque id agitur, cùm adhibetur curatio, ut mala illa, quæ inerant,* (i.) *morbi, & vulnera recedunt his, ut alibi existant; sed utique, ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus, aut morbus, cùm caro sit ipsa substantia, profectò, aliquod bonum est, cui accidunt, ista mala,* (i) *privationes ejus boni, quod dicitur sanitas; ita etiam & animorum* (inquit) *quæcúnque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum. Quæ cum sanantur non aliquò transferuntur, sed ea quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* Si ergò Deus hæc vitia, & vulnera animæ, quæ appellant ex côditione materiæ pullulantia, ut vult Bellarminus, sanet, indendo originalem justitiam: Et, si sanitas ipsa quoad modum, quo confertur, supernaturalis dicatur, eò quòd modus sanandi supernaturalis fuerit tamen sanitas ipsa collata ad quam actus sanandi terminatur, erit, & dicenda est naturalis, quippe quæ vitium præternaturale, seu, ut vult Augustinus, contra naturam tollit. Quomodo, ubi in Evangelio legimus, verbo servatoris sanitatem febricitanti, aut paralytico, aut visum Bartimæo restitutum, sanitas illa meritò dicenda erat naturalis; cùm morbum præter naturam introductum removebat. Ac proinde, etiamsi ponamus per originalem justitiam naturam nostram sanatam esse, ut vult Bellarm. tamen illa sanitas dicenda est naturalis, quatenus debita est ad naturæ integritatem, & summovenda ea vitia præternaturalia quæ alioqui ab animâ, & corpore hominis fictitii in puris naturalibus conditi (ut loquuntur) dimanarent; ac proinde hujus originalis justitiæ, seu sanitatis cujusdam carentia ex lapsu non erit doni merè supernaturalis, & gratuiti carentia, sed qualitatis naturalis.

Quemadmodum si ponamus, Bartimæum post recuperatum visum Christi servatoris beneficio Mar. 10. iterum vel morbo, vel extremâ senectute contraxisse cœcitatem, illa cœcitas erat carentia qualitatis naturalis, sc. visûs, non supernaturalis alicujus qualitatis, nisi duntaxat quoad modum acquirendi, quatenus modo supernaturali acquiritur. Non ergò originalis justitia dicenda est res merè supernaturalis, naturali

hominis integritati, aut integris naturalibus superaddita, sicut donum prophetiæ, gratia sanitatum, donum miraculorum, & alia multa, quibus sine ullo malo caremus, ut contendit Bellarminus; sed revera res debita humanæ naturæ, & quæ sic inest, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, ut ejus absentia sit homini malum, sive ex humanæ naturæ principiis, tanquam efficentibus, oriatur, sive aliunde accidat; sicut liquidò patet de visu, auditu, sanitate corporis, aliisque qualitatibus ad hominis integritatem necessariis, quas quibusdum natura non contulit, sed Christi gratia reparavit. Has enim nemo supernaturales vocat, aut naturales esse negat, sed earum duntaxat generationes. Quapropter sive ex naturæ principiis, tanquam efficientibus causis, orta fuerit originalis justitia, sive à Deo illi immediatè collata fuerit (sicut plerique de animâ rationali tradunt, quam tamen nemo supernaturalem esse arbitratur, cùm sit altera, & potior pars totius compositi) adhuc tamen illi naturalis fuit, quia sic ad ejus integritatem pertinebat, ut sine eâ non possit bene esse, aut malo, miseriâque carere, sicut de Angelicâ naturâ docet August. in 3 ratione, quam supra protulimus.

Pergit Bellarm. Quod ibidem addit Augustin. *Adamum non eguisse adjutorio contra rixam carnis, nihil est mirum, Cùm in eo originalis justitia sustulerit rixam carnis; Neque enim scribit Augustinus (inquit,) Adamum in puris naturalibus, seclusâ originali justitiâ, non opus habuisse adjutorio contra rixam carnis —— sed non opus habuisse illo adjutorio, quod nos assiduè imploramus, (cùm dicimus, vidio aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis: & infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus:) i.e. illo potentiori adjutorio gratiæ, quo re ipsâ velemus.*

Resp. Revera Augustinus non scribit, Adamum in puris naturalibus, seclusa originali justitiâ, opus non habuisse adjutorio contra rixam carnis; siquidem de illo statu purorum naturalium, quem fingit Bellarm. nunquam vel per somnium cogitavit Augustinus. Cùm autem dicit Augustinus, Adamum in illis bonis, quæ bonitate sui conditoris acceperat, in quibus nullum prorsus malum patiebatur, non opus habuisse illo adjutorio, quod nos assiduè imploramus, cùm dicimus, Vidio aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis, *&c* Non dicit Augustinus ideò, nullum prorsus malum passum fuisse, quòd munere originalis justitiæ, ut munere merè supernaturali, & gratuito ornatus esset, ut vult Bellarminus; ac proinde non opus habuisse illo potentiore adjutorio, quod nos assiduè imploramus; sed ideò nullum prorsus malum passum fuisse, quòd bonum istud, quod beneficio conditioris acceperat, erat bonum naturæ, bonum naturæ suæ debitum, quo carere, absque malo, & miseriâ suâ non potuit, ut supra evicimus ex cap: 10. præcedente, & hoc ipso c. 11. Et tamen licèt Adamus hoc bonum naturæ habuerit, tamen adjutorium ulterius speciale gratiæ divinæ habuit, quo bene uti potuisset hoc bono naturæ, si voluisset; licèt non illud potentius adjutorium, quo nos post lapsum donamur Christi beneficio, non habuerit: quo non tantùm possumus operari justitiam, si volumus; sed reipsa operemur, & operari volumus. Quare, cùm Bellarm: dicit, *Proinde latiore gratiâ donatum fuisse Adamum, nos potentiore; quià gratia in illo non tantum mentem subjiciebat Deo: Sed etiam carnem spiritui, in nobis verò, relictâ pugnâ carnis cum spiritu, gratia Dei tanto ardore mentem subjicit Deo, ut appetitum inferiorem contraria concupiscentem, appetitu superiore vincam?)* Non uno modo fallit. Siquidem per lætiorem gratiam, quâ donatus fuit Adam, mentem subjectam fuisse Deo, & carnem spiritui vult; cum tamen in Adamo tum mens Deo, tum caro spiritui subjiciebantur, non gratiâ aliquâ (*i.*) gratuito ullo dono, quod merè supernaturale erat; siquidem utraq; subjectio facta est vi originalis justitiæ, naturæ nostræ concreatæ, quæ naturæ nostræ debita erat, & ita debita, ut sine eâ carere malo non potuimus.

2. Certum est, per *Lætiorem gratiam* intelligere Augustinum, non originalem justitiam, sed adjutorium gratiæ, seu auxilium spiritûs, quò Adamus benè uti potuisset originali justitiâ ad bene operandum, si voluisset; & per adjutorium potentius, quod homini lapso tribuitur, intelligere illam efficacem gratiam, quæ per Christum datur, quâ certò benè utimur gratiâ habituali, & re ipsâ uti volumus quod Adamo non est datum.

Hæc

Hæc tria sc. accurate distinguenda sunt hoc loco.	1 Bonum naturæ sc. originalis justitia. 2 Adjutorium gratiæ, quo potuimus bene uti bono naturæ. 3 Adjutorium potentius, quo reipsa volumus bene uti bono naturæ.

1. Bonum naturæ Augustino est bonum originalis justitiæ, quod naturæ debitum est, & absque quo natura malo non caret.

2. Adjutorium gratiæ, quo uti benè potuisset bono naturæ, si voluisset, quod lætiorem gratiam appellat Augustinus, & adjutorium, sine quo aliquid non fit,& adjutorium dans posse, si volumus.

3. Adjutorium potentius gratiæ, quod datur homini per Christum, quo reipsa benè uti volumus bono naturæ; quod appellat Augustinus adjutorium, quo aliquid fit, & adjutorinm dans velle, quod possumus.

Hoc ultimum non est collatum homini integro, sed duo priora duntaxat.

Arg. 9. Nona ratio, In parvulis, quam primum adolescunt, maxima vanæ cupiditatis abundantia apparet, suâque sponte immani impetu in vitia vel omnia, vel plurima præcipites feruntur; de quâ re lege Augustinum l. 22. de civit: Dei c. 22. Nam si homo in puris naturalibus in lucem editus fuisset, nuda enim in illo fuisset possibilitas peccandi, non præceps aliqua inclinatio. Est argumentum Stapletoni l. 2. de justific. c. 7.

Resp. Bellarm. Probanda erit assumptio argumenti, Gratis enim assumitur, non talem fuisse futurum hominem in puris naturalibus conditum, ut in eo, præter peccandi possibilitatem, esset etiam præceps in vitia inclinatio, qualis in nobis cernitur post lapsum Adæ. Quin potius apertissima ratio docet, talem omninò fuisse futurum hominem in puris naturalibus, ut in eo esset præceps illa in vitia inclinatio. Tum, quia objecta sensuum propinqua sunt, & præsentia; objecta autem spiritûs, quodammodo absentia, ac longè remota: Tum, quia toto infantiæ, & pueritiæ tempore vix ullum habemus rationis usum ob naturalem organorum indispositionem. Sensus autem, & appetitus inferior quovis tempore vigent: Tum denique, quia, nisi ex materiæ conditione illa inclinatio ad vitia oriatur, nulla ejus causa demonstrari potest.

Resp. Notanda hîc meritò occurrit Bellarmini tantum non effrons impudentia, qui non veretur verbis conceptis minorem Stapletoni negare, ubi ait, Non talem fuisse futurum hominem in puris naturalibus conditum, ut in eo, præter peccandi possibilitatem, esset etiam præceps in vitia inclinatio, qualis in nobis cernitur post lapsum Adæ, & addit- quin potiùs apertissima ratio docet, talem omninò futurum hominem in puris naturalibus conditum, ut in eo esset præceps illa in vitia inclinatio. Hujus etiam assertionis triplicem rationem assignat.

1. Quia objecta sensum propinqua, & præsentia sunt; objecta autem spiritûs quodamodo absentia, & longe remota.

2. Quia toto infantiæ, & pueritiæ tempore vix ullum habemus rationis usum, ob naturalem organorum indispositionem; sensus autem, & appetitus quovis tempore vigent.

3. Quia, nisi ex materiæ conditione illa inclinatio ad vitia oriatur, nulla ejus causa demonstrari potest.

Sed insana est hæc opinio, ideóq; non nullis rationibus accuratè refellenda.

1. Si enim hæc præceps inclinatio ad peccatum ex puris naturalibus flueret: ex ipsius naturæ humanæ principiis orrietur naturaliter impedimentum, quod impediret hominem ab illo officio præstando, ad quod lege naturali tenetur, atque adeò deterior multò fuerit naturalis conditio hominis, quàm cujuslibet creaturæ. Quotaquæque enim creatura est, quæ non promptè, indesinenter, expeditè ea facere potest, ad quæ naturali impetu, & instinctu fertur? Gravia possunt, & solent naturaliter ad inferiorem locum tendere, & etiamsi millies motu violento in aerem projiciantur, naturali tamen impetu ad locum inferiorem, idque rectissimâ, & brevissimâ

mâ lineâ redeunt. Animalium brutorum unumquodque, in suo genere generat sibi simile, & sibi assignata munera ex naturæ viribus promptè, & absq; difficultate expedire potest. Aranea potest telam texere, hirundo niducare, pisces natare, aves volitare, omnes denique creaturæ ex viribus naturalibus in creatione ingenitis possunt officia propria expeditè exequi. Quidni homo ergò, quicquid lex naturalis dictat homini faciendum, vel in honorem Dei, vel in dilectionem proximi, id totum naturæ viribus non tantùm facere, sed promptè, expeditè, constanter facere potest, quod aliis quibuscunque creaturis concessum est? Non ergò ex principiis naturæ, & puris naturalibus, dicendum est, fluere præcipitem illam ad omnimoda mala inclinationem, quâ majus impedimentum dari nequit, quo ab officio fugiendo retardaretur. Si natura tam provida mater adeò solicita fuerit de reliquis creaturis, quas omnes in usum hominis finxit, & fabricavit, num existimemus, unam hominis naturam ab eâ spretam, contemptam, neglectam? num sentiemus cum Jesuitis unicum hominem non potuisse, sibi assignatum munus exequi, nisi gratuito quodam dono naturæ superaddito: vel, num existimabimus ab humanæ naturæ principiis ea naturaliter nascitura, quæ hominem retardarent, quò minùs officia illa, quæ naturalis lex facienda dictat, perageret, Ignorantiam agendorum, malitiam, concupiscentiam, infirmitatem, imò præcipitem inclinationem, quâ ad objecta lege naturali prohibita toto impetu incitaretur! quæ est insana sententia Bellarmini, quæ proculdubio vel in platonicorum Academiâ, vel in peripateticorum Lycæo digna esset, quæ sibillis exciperetur; à Theologorum scholis digna, quæ planè explodatur.

2. Præceps hæc inclinatio ad malum, per se mala est (non ut mors, morbi, deformitas, ceterique defectus naturales, qui per se mali non sunt,) utpote quæ suapte naturâ incitat, sollicitat, impellit ad peccandum, cujus proprii motus sunt desideria prava, uti docet apostolus *Rom.* 6. 7. Unde & ab Apostolo peccatum vocatur sæpiùs, & est veri nominis peccatum, utpote quæ formaliter pugnat cum lege naturali, & lege primæ institutionis: nullum autem veri nominis peccatum, ex principiis naturæ oriri possit, ne Deus statuatur author peccati, qui principiorum author fuit.

3. Posito, non concesso, Deum potuisse creare hominem cum hac præcipiti ad omnimoda mala inclinatione, non tamen homo in puris, & sanis naturalibus talis esset. Potest Deus hominem claudum, varum, surdum, cæcum, paralyticum, epilepticum creare; non tamen quicquam horum competere potest homini in puris naturalibus condito: quare nec præceps hæc ad omnimoda mala inclinatio, quis enim purum, & sanum in naturalibus diceret eum, in quo inest effrænis hæc ad omnia mala inclinatio.

4. Christus D. potuit assumere pura hominis naturalia, imò de facto assumpsit pura hominis naturalia, (alioqui nobis non esset ὁμόσιος:) At nec assumpsit, nec assumere potuit hanc effrænem, & præcipitem pronitatem, & inclinationem ad peccandum. Hinc enim consequens esset, eum peccare potuisse; quia propensa inclinatio ad peccandum, supponit posse peccare.

5. Si homo Bellarmini fictitius in puris naturalibus conditus fuisset cum hac præcipiti inclinatione ad omnimoda mala, etiam cum præcipiti, & turpi inclinatione ad turpem, & inordinatam libidinem; Ergò in illo statu recta ratio suasisset perpetuam continentiam, dissuasisset autem nuptias, imò & nuptiæ excusatione indigerent, prout nunc post peccatum indigent. Igitur in statu purè naturali recta ratio dictaret, nuptias non esse ineundas, & dehortaretur ab opere maximè naturali, & ad illud inclinaret, & incitaret, quod est propagationi naturali, contrarium. Atque ita recta ratio cum naturâ, ejusque conservatione, nullo adhuc interveniente naturæ vitio, ex peccato, quodammodo pugnâsset, quod non nisi valde absurdum videri potest. Porrò hinc etiam consequens esset, matrimonium ex primâ naturæ institutione, seclusâ naturalium consideratione, non tantum esset propter filiorum generationem, sed in remedium incontinentiæ: Quem tamen matrimonii finem Theologi agnoscere non solent, nisi ex occasione peccati.

6. Si homo iste fictitius Jesuitarum in puris naturalibus conditus, haberet hanc præcipitem ad malum omne pronitatem à principiis naturæ pullulantem, consequens esset, neminem in puris naturalibus conditum ordinariè ad salutem pervenire, aut gehen

nam

unam evitare potuisse: sed omnes, saltem adulti, æternæ damnationi addicerentur.

Nemo enim, in quo præceps, & effrænis illa inclinatio inesset, absque dono supernaturali, diu in innocentiâ permanere potest, & omne peccatum evitare. Dices forsan: *Deum ita ordinâsse, ut ejusmodi homo in puris naturalibus conditus, ad beatitudinem non perducendus esset absq; dono aliquo supernaturali, quomodo anima in statu seperationis naturaliter appetit statum conjunctionis, quod tamen absque auxilio supernaturali consequi nequeat, in corporis supernaturali suscitatione.*

Resp. At juxta hosce remissio peccatorum, donum purè supernaturale, æquè debita esset homini in puris naturalibus condito, ac corporis resurrectio, ne viz. cogamur dicere totum genus humanum conditum esse ad æternam damnationem, quomodo nisi resurrectio corporum ibi ponatur, illa sequetur absurditas, animas in statu seperationis (qui per mortem naturalem necessario futurus erat) perpetuò in illo statu permansuras.

Dices adhuc: Deum potuisse hominem per naturalia media absq; omni supernaturali auxilio, ad finem naturalem, qui est ratiocinando inquirere veritatem, perducere, nec altiùs eam evehere. Quod declarat Bellarm. c. 7. de grat. prim. hom. in fine.) Exemplo vespertilionis, qui naturalem habet capacitatem, & appetitum videndi solem, & tamen credibile, nunquam futurum, ut is videat solem, sed lumen tantùm debile, & obscurum, quod est objectum oculorum ejus non tantùm naturale, sed etiam proportionatum.

Resp. Primò, Certum est, æternam beatitudinem finem esse hominis naturalem, docente Thom. 1. p. q. 12. art 1. quemadmodum postea fusius demonstrabo. Non ergò ratiocinando inquirere veritatem, est finis adæquatus naturalis hominis.

2. Neminem unquam vi purorum naturalium, qualia illi intelligunt, potuisse indagare, & assequi omnium rerum necessariam veritatem, quamdiu habent præcipitem ad omnia peccata propensionem, quam cum ignorantiâ summâ agendorum conjunctam esse necesse est, ut fateantur; cùm præceps propensio ad omnia vitia includat etiam propensionem ad ignorantiam summam agendorum, quam in vitiis, iisq; summis connumerandum esse, omnes nôrunt.

3. Posito non concesso, hominem potuisse vi purorum naturalium omnem necessariam, ratiocinando inquirere veritatem; istis tamen necessariis veritatibus repertis, finem non adipiscitur homo, quo appetitus ejus expletur, & in quo conquiescit animus, aut conquiescere potest, donec Deo ipso fruatur; juxta illud Augustini. Fecisti nos, domine, ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec revertatur ad te.

Ad illud vespertilionis; Alia ratio vespertilionis, alia hominis in puris naturalibus conditi. Nam vespertilionem habere naturalem appetitum videndi solem, asseruit Bellarm. non probat, neq; enim credibile est habere, quomodo nec talpa habet, cùm neutri horum carere lumine solis, aut malum sit, aut miserum; at homini, etiam in puris naturalibus condito, malum esset carere semper, & nunquam habere, quod undiquaq; expleat appetitum naturalem, aut frui eo, ad quod naturali desiderio fertur, qualis est summi boni, boni sc. infiniti adeptio & fruitio. Neq; hæc responsio solvit argumentum de æternâ omnium damnatione, in quam post adeptum hunc finem naturalem, prolapsi fuissent proculdubio, ex vitiosâ hac præcipiti inclinatione ad omnimoda peccata; cùm homo naturaliter non habeat (ex Bellarmini suppositione) inclinationem æquè propensam ad bonum.

Ad rationes Bellarmini respondeo: ad primam, licèt objecta sensuum propinqua, & præsentia fuerint, objecta autem spiritus pro ætate infantili quodammodo absentia, & longè remota; tamen hinc non sequitur, effrænem, & præcipitem inclinationem ad omnimoda mala, ex puris naturalibus oriri; sed tantummodò ad ea mala, ad quæ appetitus sensitivus inclinat, cùm sensibus objiciuntur, Sed multa sunt vitia, ad quæ præcipitem inclinationem ab ipso ortu habemus post lapsum, quorum objecta non sensus, sed spiritus ministrat; in quibus sunt hæreses, veneficia, inimicitiæ, contentiones, homicidia, infidelitas, quæ solent peccata spiritualia appellari. 2. Ista præceps inclinatio ad ista, & id genus mala reperitur in ipsis dæmonibus, in quibus nullus in est sensitivus appetitus; Non ergò inclinatio ad omnimoda mala restringenda est

ad appetitum sensitivum, & ejus inclinationem ad ea, quæ sunt contra ordinem rationis.

Ad 2. Licèt toto infantiæ, & pueritiæ tempore vix ullum habemus rationis usum, ob naturalem organorum indispositionem; sensus autem & appetitus quovis tempore vigeant: tamen inde non conficitur, ipsam præcipitem inclinationem non inesse voluntati, & parti superiori animæ; etsi non sese prodat, ut illa inclinatio, quæ est in appetitu sensitivo; quomodo in sobole viperina inest qualitas venenata, & in leunculo, leonum rabies in actu primo, licèt non sese exerat, nisi accedente ætate.

Ad 3. dicimus, illam inclinationem ad omnimoda vitia ab Adami peccato, ut causâ meritoriâ; à Deo, ut causâ deficiente, seu destituente, & in pænam peccati auferente illum gratuitum favorem, & splendorem S. sancti extrinsecus eum collustrantem, & non conservante illam naturalem, & debitam justitiam primævam, quam homini contulerat, quæ omnes animæ facultates in ordinem coegit, quin hominem justè eâ privante, unde sequebatur luxatio singularum facultatum, & à debitâ subordinatione recessus, & resilitio, & inordinata pronitas ad indebita objecta in singulis facultatibus, quæ antea rationis imperio naturaliter subjiciebantur, eo modo, quo, sublatâ sanitate, & debitâ proportione humorum, sequitur morbus, & sublatâ pulchritudine, sequitur deformitas, quæ sunt naturalium privationes donorum, non autem supernaturaliam, aut indebitarum qualitatum ablationes. Quòd si non, nisi à conditione materiæ, illam effrænem ad omnia vitia inclinationem, originem habere potuisse cum Bellarmino sentiamus.

1. Necessariò statuendum est ex conditione materiæ, seu, ut Bellarminus habet, ex statu purorum naturalium oriri totam illam rebellionem, quæ in superiore animæ parte, in mente, & voluntate, sedem habet, & totam illam pronitatem, quâ voluntas in statu lapso fertur ad ea, quæ legi Dei adversantur, non minùs, quàm illa rebellio, quæ est in appetitu sensitivo, quâ fertur ad objecta contra ordinem rationis; siquidem hæc Præceps inclinatio ad peccatum non minor cernitur in appetitu superiore, quàm in inferiore nec minùs sese exerit in objectis spiritualibus, quàm in carnalibus; unde non minor propensitas in homine post lapsum ad peccata spiritualia, quæ dicantur, quàm ad carnalia.

2. Hoc posito, in Christo D. in quo inerant pura naturalia, necessariò sequeretur in actu primo futuram hanc rebellionem, licèt quoad actum secundum ratione originalis justitiæ congenitæ coercitam, & refrænatam. Quanto magis existimandum est, Bellarminum derogare tum omnipotentiæ, tum etiam sapientiæ Dei, qui credat necesse est, Deum tam imperitum, aut infimum opificem fuisse, qui non posset corpus creare ex sensibili materiâ, quin suâ inclinatione trahat inferiores animæ potentias in apertam rebellionem contra superiores; quod omninò indignum est, ut de Deo sentiamus. Hæc de nonâ ratione.

Arg. 10. Si talis sensualitatis impetus, saltem secundum quid, & ratione materiæ, contra hominis naturam in primo homine fuisset, tunc sanè ante peccatum, corruptam naturam, & ad peccatum allicientem homo habuisset. Sed si hoc ponatur, difficillimum erit Deum excusare, ne sit author peccati, qui impetum tam rebellem, & iniquum, ideoq; malum, & quidem peccatum, quia inobedientia quædam est contra dominatum mentis, (ut ait Augustin: lib: 5. cont: Julian: c. 3.) ipsi naturæ ante ullum hominis demeritum indidit. Sed contrà clamat scriptura, quod Deus fecerat hominem rectum, (utiq; sine tali curvitate) ipse autem se immiscuerit infinitis qnestionibus, rixis viz. & pugnis carnalibus.

Resp. Bellarm. in hoc argumento non rectè confunditur status, in quo Adam re ipsa conditus fuit, cum eo, in quo condi potuisset. Quod enim scriptura clamat, à Deo rectum hominem esse factum, ipsum autem se immiscuisse infinitis quæstionibus, verissimum, quia Deus hominem (ut sæpe jam diximus;) condidit vestitum originali justitiâ, quæ pacem summam, ac latissimam, inter carnem, & spiritum, faciebat; ipse verò peccando justitiam illam amisit, atq; ita pugnam carnis, ac spiritûs, sibi ipsi peperit. Sed, si Deus hominem in puris naturalibus condidisset, fecisset quidem rectum in eo sensu, quia nullum ei vitiosum habitum insevisset, sed obnoxium tamen rebellioni carnis ad spiritum.

Resp.

Resp. Cùm Scriptura ait, à Deo hominem rectum factum, agit de rectitudine humanæ naturæ debitâ, seu naturali, non de rectitudine indebitâ humanæ naturæ, & merè supernaturali, quæ est Philosophia Jesuitarum. Rectitudo autem illa hominis in puris naturalibus, conditi, quam Bellarminus fingit, quæ in eo sita est, quod Deus nullum ei vitiosum hababitũ inseviisset, & quæ consistere potest cum rebellione carnis contra spiritum, rectitudo est fictitia, & commentitia: quæ enim & qualis erit, illa rectitudo, ubi tanta curvitas & pugna variarum propensionum in facultatibus animæ primariis, à principiis humanæ naturæ pullulantibus; ubi, si alicubi, debita facultatum animæ ad invicem subordinatio requiritur. Ille ergò status hominis in puris naturalibus conditi ejúsq; rectitudo, prorsus sunt commentitia & puriori Philosophiæ, de primi hominis creatione planè adversantia. Neq; enim concipi potest, quomodo Deus crearet hominem cum tali rebellione carnis contra spiritum, & partis inferioris contra superiorem quin naturam peccatricem conderet.

At (inquit Bellarm.) Néq; propterea difficile est demonstrare, quemadmodum Deus non sit author peccati. Primum enim, rebellionem eam Deus non fecisset, etiamsi hominem in puris naturalibus condidisset; sed ea præter intentionem agentis ex conditione materiæ consequuta fuisset. Nam néq; faber ferrarius rectè dici potest author rubiginis, quam gladius ferreus contrahit, tametsi gladium ferreum ipse fecerit. Deinde, rebellio illa nec propriè peccatum est, (ut in libro de peccato originis demonstrabimus, ubi etiam locum Augustini in argumento adductum exponemus,) nec necessariò adductum inducit, ut S. Augustinus disputat, l. 3. de lib. arbit. Nam vel homini creato in puris naturalibus, Deus præberet auxilium, quo posset concupiscentiam coërcere, aut certè cupiditatibus ejus non consentire, vel non præberet; si præberet, non necessariò homo concupiscentiæ cederet; si non præberet, cederet quidem, sed non suâ culpâ cederet, proinde nec peccaret. Atq; hoc ipsum his verbis S. Augustinus scribit in lib. de correp. & grat. c. 11. Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel hominini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utiq; suâ culpâ cecidisset, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset.] Hæc Bellarm.

Resp. Nos contrà dicimus, Si homo conditus fuisset cùm rebellione carnis, adversus spiritum, fieri non posse, quin naturam peccatricem haberet. Cùm autem contendit Bellarm. rebellionem illam Deum non posse dici fecisse, etiamsi hominem in puris naturalibus condidisset, sed eam præter intentionem Dei ex conditione materiæ consecutum fuisse, multis modis vacillat. Nam, 1. falsum est, quicquid ex materiâ terrenâ, & sensibili creatur, & animâ rationali singulis facultatibus instructâ componitur, idem necessariò habiturũ appetitum, sensitivum, qui effræni inclinatione suâ naturâ ex ipsius naturæ principiis ad ea feratur, quæ sunt contra dictamen rectæ rationis; quænam enim in terræ materiâ tanta dici potest inesse venenositas, ut præter omnipotentis Dei intentionem necessario animam sibi conjunctam in vitia agat præcipitem? aut quænam in appetitu sensitivo hominis, qui fundatur in animâ rationali à Deo immediatè creatâ, tanta inesse potest vitiositas, quin Deus hujus vitiositatis author meritò dicendus esset? Deus enim æquè facultatum, atque ipsius essentiæ animæ, author dicendus est.

Vide Dreven. de just. habituali, c. 16. p. 281. Meisner. Anthropol. D. 1. disp. 2. q. 1. p. 41. &c.

2. Si Deus, naturæ conditor, velit naturas habentes varias, & quidem pugnantes propensiones, unire, quæ absque ejus voluntate non unirentur; quis non verè dixerit, illam pugnam & rebellionem à Deo volitam, & intentam fuisse, ac proinde à Deo conditore profectam? Quomodo & humanam naturam voluisse & intendisse satis constat authorem naturæ juxta Bellarmin. quatenus voluit illam ex spiritu rationali & corpore animali conflari.

3. Etsi multa præter intentionem secundariorum agentium proveniant, nihil tamen evenit præter intentionem authoris naturæ, ut primæ causæ, & primi agentis, quod naturale est, & ex naturæ principiis fluit, quale est rebellio carnis adversus spiritum ex sensu adversariorum.

4. Supponit hîc Bellarm. id, quod falsissimum est; Deum, *viz.* non potuisse condere hominem ex spiritu rationali, & corpore animali, & materiâ sensibili com-

 positum,

positum, præter conditoris intentionem, homo ita constitutus haberet precipitem inclinationem ad sensibilia contra ordinem rationis. Hoc autem non parùm tum de omnipotentia, tum bonitate divina detrahit; quasi Deus non potuisset indere appetitui sensitivo hominis talem inclinationem, quæ non ferretur ad objecta, [nisi ex nutu & imperio rationis. Quàmvis enim propendere, & ferri in ea, quæ sunt sensui delectabilia, sit bruto purè naturale. At in homine, 'qui secundum Philosophum, magis intellectus est, quàm sensus; & in quo omnia quantum fieri potest, ratione gubernanda sunt, naturale est sensualitati ferri in delectabilia secundum frænum rationis. Hinc Damascen. lib. 2. de Fide orthod. cap. 12. τὸ λογικὸν φύσει κατάρχει τοῦ ἀλόγου. Hinc Thom. 3. p. q. 15. art. 2. ad 2. Caro naturaliter concupiscit id, quod est sibi delectabile, concupiscentiâ appetitûs sensitivi; sed caro hominis (qui est animal rationale) hoc concupiscit secundum modum, & ordinem rationis. Et 1, 2æ. q. 82. a. 3. ad 1. ait, Concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum ordinem rationis; inesse autem homini contra naturam, in quantum transcendit limites rationis.

Augustinus nusquam ait, Concupiscentiam esse defectum merè naturalem, ex conditione materiæ ortum, & profectum; imò concupiscentiam simpliciter ex naturâ removet, & ubiq; malam appellat, non quomodo mortem, & alias puras pœnalitates quas etiam Christus suscepit, malas dicimus, sed, quia pugnat cum lege Dei, & incitat ad peccandum, & tale est, de quo homines erubescunt. Unde l. 2. de Nupt. & Concup. cap. 2. rectiùs accepit nomen mali, quàm boni, quod erubescunt & boni & mali; Quare nec concedi debet, Deum esse illius mali authorem. Hinc Apostolus Joannes dicit, Concupiscentiam non esse ex patre, sed ex mundo; ponítque eam in eodem ordine cum superbiâ vitæ; cum tamen Scriptura soleat etiam naturales defectus, & mortem, ac cætera mala pœnæ in Deum authorem referre.

Ad similitudem ferrei fabri, quam affert, respondeo, aliam longè rationem esse fabri, quàm Dei; Nam faber materiam ferream non ipse facit, sed factam invenit: at humanæ naturæ conditor, & opifex est Deus ipse sapientissimus, & potentissimus, qui materiam non aliunde accipit, sed ex nihilo creavit, qualem voluit. 2. Rubigo accedit gladio præter intentionem, & voluntatem fabri, partim ex aliquo defectu latente in ferro, partim ex causis extrinsecis, in quibus est humiditas aeris, aut aquæ. At rebellio, quæ oritur ex uninone pugnantium propensionum, non accidit præter intentionem unientis, si sciens, & volens hasce pugnantes nauras uniat.

2. Respondet Bellarm. rebellionem illam nec propriè peccatum esse, nec necessariò ad peccatum inducere.

1 Non esse peccatum ait se demonstraturum in libris de peccato originis, ubi etiam ait se locum Augustini expositurum, ubi ait concupiscentiam esse inobedientiam contra dominatum mentis (cont. Jul, l. 5. c. 3.

Resp. Nos supra variis rationibus in Scriptura fundatis demonstravimus, concupiscententiam esse veri nominis peccatum, argumentis etiam Bellarmini abundè responsum est à nostratibus; nominatim à reverendissimo Præsule Sarisburiense (ex hac Cathedrâ) disp. de just. habit. sive inhær. cap. 9.

Locus Augustini, cujus meminit argumentum, clarior est, quàm, ut illâ Jesuiticâ nubeculâ offuscari, aut obscurari possit. *Concupiscentia* (inquit) *carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis, vel contentione nascentis.* Ex hoc loco apertissime constat, juxta Augustinum, concupiscentiam non solùm esse pœnam peccati, & causam peccati, sed & peccatum; id quod de peccato propriè dicto intelligi perspicuum est, ex ratione subjunctâ, quia est inobedientia contra dominatum mentis.

Resp. Bellarm. Concupiscentiam dici hîc peccatum latâ acceptione, ut denotat rem malam, & vitiosam, qualia sunt non solùm peccata morum, quæ propriè peccata dicuntur, sed etiam peccata naturæ, ut cœcitas, surditas, vel quælibet monstrositas

ſitas naturalis, quales etiam ſunt habitus mali, qui vitia dici ſolent, & ipſæ paſſiones immoderatæ, quæ in ſtatu naturæ integræ nullum locum in homine habuiſſent,

Reſp. At contrà: Auguſtinus ubicúnq; contradiſtinguit peccatum, pœnæ peccati, vel cauſæ peccati, agit de peccato propriè dicto; quomodò pœna peccati eſt pœna peccati propriè dicti: Non enim niſi peccatū propriè dictum vel meretur pœnam, vel obligat ad pœnam. Porrò concupiſcentia prava eſt cauſa peccati propriè dicti, quando illicit, & allicit ad conſenſum. Quare quando Auguſtinus ait, Concupiſcentiam eſſe non ſolùm pœnam peccati, & cauſam peccati, quin & peccatum ipſum, intelligat neceſſe eſt peccatum proprii nominis. 2. Auguſtinus illo in loco confert concupiſcentiam cum cœcitate cordis. *Sicut cœcitas cordis*, (inquit) *quam ſolus removet, illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deo non creditur, & pœna peccati, quâ cor ſuperbum dignâ animadverſione punitur, & cauſa peccati, cùm mali aliquid cœci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis, adverſus quàm bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis, & cauſa peccati defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.*

Ex hac collatione luce clarius eſt, Auguſtinum agere de peccato propriè dicto; nam cœcitas cordis, quam cum concupiſcentiâ carnis, confert Auguſtinus, eſt peccatum propriè dictum, peccatum morum. Cœcitas ſc. cordis, quâ in Deum non creditur; item cœcitas cordis eſt pœna peccati propriè dicti, ſuperbiæ, ſeu cordis ſuperbi, & cauſa peccati propriè dicti, quatenus mali aliquid, cœci cordis errore committitur. Ex hiſce conſtat, Auguſtinum non aliâ, atque aliâ notione peccati vocem in hac collatione accipere, ſed intellxiſſe ubique peccatum morum, peccatum ſc. propriè dictum.

3. Auguſtinus toto hoc capite oſtendit Deum ſolere peccatum unum punire alio propriè dicto peccato, quatenus in pœnam peccati permittit hominem incidere in novum peccatum propriè dictum.

4. Idem evincitur ex ratione, quam ſubjungit Auguſtinus, ait enim concupiſcentiam carnis ideo eſſe peccatum, quia eſt inobedientia contra dominatum mentis. Hæc enim inobedientia, quâ rectæ rationi, ſeu rationis imperio non obeditur, in facultate, quæ mentis imperio debet eſſe morigera, eſt veri nominis peccatum. Etſi enim in bruto ſimpliciter naturale eſt ferri ad delectabilia, quæ ſenſui objiciuntur, ſecundum impetum; Homini tamen naturale eſt ſimpliciter ferri ad delectabilia, quæ ſenſibus obverſantur, non ſecundum impetum ſed juxta imperium, & moderamen rationis.

5. Agit Auguſtinus de illâ concupiſcentiâ carnis, adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus; de quâ Apoſtolus Gal. 5. 17. illa autem concupiſcentiâ carnis, adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, eſt talis concupiſcentia, quæ formalem habet pugnantiam cum concupiſcentiâ ſpiritûs boni; talis autem concupiſcentia, neceſſe eſt, ut ſit veri nominis peccatum; cùm concupiſcentia boni ſpiritûs ſit concupiſcentia moraliter bona, & quæ cadit ſub præcepto, ac proinde concupiſcentia carnis, quæ ei moraliter adverſatur, erit concupiſcentia prohibita, & moraliter mala. Et quomodo legis obedientia eſt, quod ſpiritus concupiſcit adverſus carnem; ſic legis Dei inobedientia eſt, quòd caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Hinc idem Auguſtinus ex Ambroſio lib. de Iſaac, & enim docet, iniquum eſſe, ut caro concupiſcat adverſus ſpiritum, l. 2. cont Jul c. 5. pag. 316. Sicut juſtum eſt, ut ſpiritus concupiſcat adverſus carnem. Ex hiſce ſatis conſtat Auguſtinum hoc in loco agere de peccato propriè dicto, ac proinde ipſam concupiſcentiam carnis eſſe peccatum propriè dictum.

Sed ut illud, quod addit Bellarm. non minus falſum eſt, habitus malos qui vitia dici ſolent, & ipſas paſſiones inordinatas non eſſe peccata, niſi latâ acceptione, nec propriè peccata dicenda eſſe. Nam, quod ad habitus malos ſpectat, certum eſt, legem divinam, cùm ſit ſpiritualis, dicente Apoſtolo, & norma juſtitiæ perfectiſſimæ, conformitatem abſolutam non ſolummodo actuum voluntatis, ſed & diſpoſitionis & inclinationis voluntatis exigit.

Néque enim solus intellectus dirigendo, aut affectus impellendo actionum nostrarum fontes sunt, & principia; sed imprimis voluntas, quæ libera, quæ actionum humanarum domina est, & gubernatrix, idque ratione insitæ inclinationis, siquidem inclinatio voluntatis est inclinatio totius suppositi, ut rectè Thom. de verit. q.q. disp. q. 22. art. 5. ad 3. Et habitus voluntati inhærentes sunt causæ proximæ actiorum bonarum, aut malarum, & ipsam potentiam voluntatis ornant, corroborant, & perficiunt, si boni fuerint; vel commaculant, & denigrant, si mali. Porrò, licèt homines propriè, & per se non de habitibus, sed tantùm de actibus judicent; qui sensibus subjiciuntur: Deus tamen, qui omnia intuetur, habitus, qui per se desideria peccatorum producunt, iisdem omninò legibus prohibet, & judicat, quibus ipsa peccatorum desideria, quia causa per se non est effectu suo melior. Et in effectu simul prohibetur, quicquid per se est illius effectûs causa. Quin certum est, vitiosos habitus, & dispositiones voluntatis, quales sunt philautia, invidia, superbia, etiam in dormientibus meritò vituperabiles esse, & odio dignas, licèt in actus pravos non erumpant.

Ipse August. de perfectione justit. resp. 4· ait; *Avaritiam vitium esse*, (i.) *qualitatem, secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit, unde avaritiæ, vel rapinæ serviat, etiam quando audit, Non concupisces, séque vituperat, & tamen avarus manet.*

Addo, Scripturam non tantùm propter actus, sed & propter habitus pravos comminari exclusionem è regno cœlorum, 1 Cor. 6. ubi dicitur, Néque avaros, néque ebriosos, néque rapaces (quæ voces non tam actus, quàm habitus denotant) regnum Dei possessuros aliquando. Rectè Estius 2. dist. 30 Sect. 7. & ante eum Mich. Baius de peccat. orig. c. 10. & 11. De passionibus inordinatis idem esto judicium. Certum est enim passiones immoderatas esse inordinatas, atque eâ ratione non solum peccata esse largâ acceptione; sed & propriâ notione, quatenus sunt reatûs inductiva; sive hæc inordinatio sese prodat præveniendo rationem, cujus nutum sequi debeat; sive excedendo limites, quos ratio præscribit, nec sistendo, ratione imperante; sive etiam rationem, & judicium abripiendo, & transferendo: Ejusmodi enim immoderatæ, & inordinatæ passiones sunt veri nominis peccata, & reatûs inductiva, ubi reperiuntur, (vid. Bonavent. 3. dist, 16. art. 2. q. 2.) passiones ergò immoderatæ non solùm peccata sunt largâ acceptione, qualia sunt cœcitas, & surditas, sed peccata propriè dicta reum facientia, atque hinc est, quòd in statu naturæ integræ locum nullum in homine habuissent.

Addit Bellarm. Concupiscentiam nec peccatum esse, nec necessariò ad peccatum inducere, ut disputat Augustinus, lib. 3. de lib. arb. Nam vel homini. Vid. supra, pag. *69*. P.M.

Resp. Rebellionem sensualitatis adversus rationem & proprii nominis peccatum esse, quatenus est inobedientia contra dominatum mentis in illâ facultate, quæ ex institutione humanæ naturæ debet subservire rationi ejusq; per omnia obsequi; ad peccatum etiam necessariò inducit, quatenus per se, & suâ naturâ incitat, & pellit ad malum morale, siquidem dicente Apostolo, *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Hujus etiam rebellionis proprii motus sunt desideria prava, uti docet Apostolus, Rom. 6. 12. & 7. 5. Quod autem ad actuale peccatum sollicitat, incitat, provocat, per se, ad peccatum, sc. propriè dictum; quomodo non culpabiliter & vituperabiliter, est vitiosum, & non necessariò inducit ad peccatum.

Object. *At*, inquit Bellarm. *Augustinus lib.* 3. *de lib. arbit. disputat, hanc rebellionem non necessariò ad peccatum inducere. Nam vel homini creato in puris naturalibus Deus praberet auxilium, quo possit concupiscentiam coërcere aut certè cupiditatibus ejus non consentire; vel non praberet: si praberet, non necessariò homo concupiscentiæ cederet; si non praberet, cederet quidem, sed non suâ culpâ cederet, ac proinde non peccaret.*

Resp. Augustinum loco citato, lib. 3. de lib. arb. c. 20 Non asserere hominem ab initio talem condi potuisse, qualis nunc nascitur, ut fingit Bellarminus: sed, quod, si talis conditus fuisse, dicatur (sicut postea dixerunt Pelagiani,) tamen vinci Manichæos, quos istis libris potissimum impugnat, qui voluerunt duas, boni sc. & mali coæternas,

coæternas esse naturas, docente Augustino, Retract. 1. c. 9. Siquidem in tali homine concupiscentia juxta Augustinum *natura* esset, non *culpa*, non *pœna*, imò nec vitium, quod semper naturalium est ablatio donorum: sed naturæ donum nullo modo vituperabile, nulli justæ reprehensioni obnoxium. Cæterum in nobis, qui aliam à Deo sortiti sumus naturam primordialem, non potest, non esse vitium, quòd sensitivus appetitus rectæ rationi non sese præbeat morigerum, aut caro concupiscat adversus spiritum; & quòd aliquod corporis membrum citra voluntatis imperium suo Jure ad opus sibi congruum concitetur, id quod homini ad imaginem Dei in justitiâ, & sanctitate condito, non solùm justè improperatur, sed etiam ad æternam damnationem meritò imputatur, nisi reatus ejus propter Christum dimittatur. Hinc est, quòd concupiscentia quæ brutorum natura est, hominis sit vitium, & crimen. Id, quod pariter dicendum est de Bellarminiani ficti hominis concupiscentiâ, cum quâ naturaliter creatus esse fingitur, sicut novimus creatas esse bestias; quòd concupiscentia ejusmodi homini natura esset; nobis autem in originali justitiâ creatis & pœna est, & culpa.

Ad Dilemma igitur Bellarmini respondeo, hanc rebellionem hominem jam lapsum necessariò inducere ad peccatum; néque jam necessarium est, ut Deus novum auxilium præbeat, ut non peccet, quippe qui auxilio illo originalis justitiæ, cum quo conditus est, demerito suo sese meritò privavit; ex quo factum est, ut homo sese jam in peccandi necessitatem conjecerit. Hinc August. de perfect. just. ratiocin. 9. *Per arbitrii libertatem factum est, ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem, unde ad Deum fides clamat, Ex necessitatibus meis educ me.* Et mox, *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas.* Et paulo inferiùs; *Ideo est culpa hominis, quòd non est sine peccato, quia solâ hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret.* Ex hisce constat, juxta Augustinum, homines post lapsum sese conjecisse in necessitatem peccandi, ut non possit homo lapsus actum aliquem moraliter bonum elicere, quin ratione innatæ concupiscentiæ, omnis actus hominis non renati est depravatus, & vitiatus. Cùm animalis homo non percipiat, quæ sunt Spiritus Dei, nec potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur, 1 Cor. 2. 14.

Ad locum de correp. & grat. c. 11. respondeo; Verè, dicit Augustinus, Deum contulisse tum Angelo, tum homini in primâ creatione tale adjutorium, per quod potuerunt permansisse, si vellent. *Quod adjutorium*, inquit, *si vel Angelo, vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posse permanere, si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo permanere non possent.*

Hìc docet Augustinus, hominem absque suâ culpâ casurum fuisse, si Deus non suppeditâsset illud adjutorium, quo potuisset permanere, si vellet; siquidem hoc casu naturale fuisset homini, ut caderet, ac proinde nullo modo culpabile. Sed hinc non sequitur, quod contendit Bellarm. Concupiscentiam *jam* non necessariò inducere hominem ad peccatum, aut jam necessarium esse, ut Deus novum auxilium præbeat homini, ut non peccet, quippe qui demerito suo tali adjutorio sese justè privavit; unde subjungit Augustinus ibid. [nunc quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.] Cùm ergò carentia hujus adjutorii sit jam pœna peccati, argumento esse potest debitum fuisse hoc adjutorium humanæ naturæ, atque ita debitum, ut absque hoc bene esse non potuit, malóque carere. Ac proinde non fuisse indebitam naturæ humanæ exaltationem, ut contendit Bellarminus: ex quibus efficitur, ex submotione pœnali hujus adjutorii, quod necessarium erat ad perseverandum in bono si vellent, subsecutam fuisse necessitatem peccandi, ut suprà, ex Augustino observavimus. Nam & alibi Augustin. Retr. 1, c. 15. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Et Epist. 106. *Sine gratiâ nos dicimus ad non peccandum nihil valere voluntatis arbitrium.*

Argum. 11. Contra accusatores naturæ solent patres peccati originis corruptelam nostro vitio invectam opponere; non ipsam naturam, ut faciunt Ethnici, novercam vocare. Sic Tullius, l. 3. de Repub. apud August. lib. 4. contra Julian, c. 12. ait, *Hominem, non ut à matre, sed ut à novercâ naturâ editum in vitam, corpore*

& nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset, tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis. Hæc Augustinus, è Cicerone, & subjungit, compellans Julianum; *Quid ad hæc dicis? non hoc author iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit: Latebat enim eam, cur esset grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque ad diem sepulturæ in matrem omnium, quia sacris literis, non eruditus, ignorabat peccatum originale.* Hæc ib. August. Ejusmodi querelis Philosophorum solent P. p. opponere non pura hominis naturalia, acsi omnes miseriæ, quibus humana natura obnoxia est, profectæ sint ex principiis humanæ naturæ; sed peccati originis corruptelam; imò ex hisce probabile est, ex eo quod Philosophi ethnici naturam accusent, eamque nobis non matrem, sed novercam fuisse dicant, naturam humanam, qualis nunc est, non talem esse, qualis naturaliter esse debent.

Objicit Bellarm. *Philosophos ethnicos contraria de naturâ nostrâ sensisse: Alii enim hominem miserrimum conditum asserebant, in quibus Tullius, qui naturam homini novercam fuisse queritur; alii fælicissimum. At Plato in 3 de de re Pub. Et Galenum lib. de usu partium ait, passim celebrare authorem naturæ, ut qui cum hominum genere præclarissimè egerit. Causam hujus dissensus assignat, quia nonnulli spectarunt in homine in puris naturalibus condito multa egregiè bona, quæ in eo esse, ac mirificè elucere nemo inficiari potest: Alii mentis oculos converterunt ad eos defectus, qui ex conditione materiæ, præter intentionem agentis, in hominis naturâ existunt; & quoniam equum esse censebant, ut naturæ author hos etiam defectus suo beneficio submoveret, ignorabant autem, quod nos ex divinis scripturis didicimus, defectus illos in primi hominis conditione sublatos, rursus in pœnam peccati ex conditione materiæ oriri permissos. Ideoque (ait) S. August. lib. 4. c. 12. adv. Julian. rectè scripsisse Philosophos, qui naturam Novercam appellabant, rem vidisse, causam ignorâsse.* Hæc Bellarm.

Resp. Agnosco, Galenum libris de usu partium, passim celebrare authorem naturæ, inspectâ, & diligenter observata structurâ, humani corporis præ corporibus cæterorum animalium. Agnosco, Platonem etiam justè hominem præ cæteris animalibus felicem appellare potuisse, ratione animæ rationalis, & libertatis arbitrii, & aliorum bonorum, quæ in homine etiam lapso elucent, quamvis & ipse alibi secutus pythagoram (annotante Theodoreto,) scribat, animas, quæ in peccatum aliquod inciderint, supplicii causâ in corpora destinari, ideoque in Cratylo σῶμα datum scripserit quasi σῆμα, ac si animæ esset sepulchrum. Sed hoc etiam addendum est, omnes philosophos, solo lumine naturali imbutos, animadvertisse, tales defectus in genere hominum inveniri, quales in aliis creaturis non occurrunt. Hinc Homerus hominem ἀκιδνὸν, καὶ οἰζυρὸν inbecillem, ærumnosumque appellat, notante eodem Theodoreto. Theognis dicebat, *Optimum non nasci, aut citò mori.* Alia testimonia affert Theodoretus ex Euripide, & Solone huc spectantia. Ipse Bellarm. agnoscit lib. 6. c. ult. de amiss. gr. & stat. peccat. plerosque veterum Ethnicorum humanæ vitæ miserias ita deflevisse, ut de naturâ, tanquam de novercâ querantur, vel per has miserias puniri peccata animarum in aliâ vitâ commissa suspicentur. De quibus rectè (inquit) pronunciavit Augustinus, *Rem vidisse, causam ignorâsse.* Quæ omnia ostendunt, ipsos Ethnicos etiam lumine naturali animadvertisse humani generis miserrimam præ cæterum animalium sorte conditionem, quod argumentum esse potest, humanam naturam, qualis nunc est, non talem esse, qualis naturaliter esse deberet; id quod clarius ex sacris litteris didicimus, quæ docent, Deum hominem fecisse rectum, ad imaginem suam, in sanctitate, justitiâ, & cognitione, hancque fuisse naturalem ejus conditionem, non indebitam naturæ exaltationem. Certè ipsa ratio naturalis dictat, sic Deum instituisse naturam cujusque creaturæ, ut ad finem suum naturalem per media naturalia pertingere posset, quemadmodum patet in brutis, & cæteris omnibus creaturis ab homine diversis. Quod & ex eo evincitur, quòd medium non debet esse excellentius, & ordinis superioris, quàm finis, ad quem ordinatur. At homo creatus in puris naturalibus non potuisset per sola media naturalia pertingere ad finem naturalem, si rectitudo, in quâ conditus est, non fuisset ei naturalis; quia à fine suo naturali assequendo fuisset impeditus per intestinum hostem continuam,

continuam rebellionem virium inferiorum animæ contra superiores. Ergò nemo jure inficiari potest, hanc rectitudinem fuisse homini naturalem. Alioqui sequetur, hominem secundum naturam suam esse animal omnium miserrimum, & infœlicissimum, utpote quod solùm per ea, quæ à naturâ accepisset, non potuisset pertingere ad finem suum, ad quem à naturâ institutus est. Atque hæc dicta sunto in vindicationem 11 rationis.

Arg. 12. Quæ etiam Stapletoni est, sic habet: concupiscentiæ carnalis inordinatus motus maximè in genitalibus apparet; sed illorum ante peccatum nullus fuisset inordinatus motus, sed generationi servissent sine ullo libidinis actu, ut longâ disputatione contra Pelagianos demonstrat Augustinus libris contra Julian. 4 5, 6. & de peccat: merit: & remiss: l. 2, c. 22. & de civit. Dei l. 14. c. 17. Ergò nec ullus alius concupiscentiæ contra rationem impetus, in puris naturalibus locum habere potuit.

Resp. Bellarminus negando minorem. *Nam S. Augustinus longâ disputatione contra pelagianos demonstrat quidem, non fuisse in primo homine, justitiâ originali prædito, ullum libidinis æstum de quâ re nulla apud nos disputatio est: Non tamen demonstrat, in puris naturalibus nullum futurum fuisse libidinis æstum, sed contrarium potiùs demonstrat, in tot locis à nobis supra citatis, quare conclusio supra deducta, nec Augustino, nec veritati est consentanea.*

Resp. Hoc Bellarmini assertum non solùm à modestiâ, sed & à rectâ ratione meritò videri posse abhorrere, Quis enim sanè sentire potest, inordinatum illum libidinis æstum qui in homine jam lapso inest, futurum fuisse in homine in puris naturalibus condito? Quamvis enim libido carnalis bestiis sit naturalis, utpote ratione carentibus, ut hircis & [illegible]iis, & id genus lascivis animalibus; in homine tamen qui ratione pollet, etiam lapso, per se turpis, & fæda est, propter obluctationem impetûs carnis contra imperium mentis. Multò minùs est in homine in puris naturalibus condito, siquidem pura naturalia nihil habent turpe, nihil fædum; ergò nemo sanus dixerit, libidinem illam inordinatam futuram fuisse in homine in puris naturalibus condito,

2. Porrò in puris naturalibus nihil est pudendum, nihil erubescendum. quia tota natura est opus Dei Creatoris: Deo autem injuriam facit, qui de opere ejus erubescit. Nam, argumentante Augustino, contra Julian. l. 2. de nupt. & concup: c. 9. Qui dixisset, *Prophetam (Moysen) propè periculum pudoris accessisse, ubi ait, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ: Quid, inquit Augustinus, potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem prophetam (Moysen,) puduit dicere? &, quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus facit in homine; cùm omnes opifices quanto possint labore, & industriâ id agant, ne de suis operibus erubescant? sed profectò illud nos pudet, quod pudit primos illos homines, cùm pudenda, texerunt. Ista est pœna peccati, illa illecebra, fomesque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis, illa ex nobismet ipsis adversus nosmet ipsos inobedientia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita; hujus nos pudet, & meritò pudet.* Hæc Augustinus; ubi studiosè docet, de libidine, & rebellione membrorum meritò erubescere homines, utpote humano generi meritò inflictâ in pœnam inobedientiæ primorum parentum. Atq; revera hinc est, quod ejusmodi membra studiosè tegere soleant homines exemplo primorum parentum; ut, qui id non fuerit, meritò impudens, & impudicus apud omnes habeatur. Quis autem in homine in puris naturalibus condito, ejusmodi quid aut pudendum, aut erubescendum admittendum fere suspicari possit, quod à rectâ ratione tantopere abhorreat, qui Deum, hominis opificem, sanctissimum, & sapientissimum simul agnoscat?

3. Addo, Quæcunq; Scriptura pronunciat de concupiscentiâ, eadem de hac libidine inordinatâ pariter pronunciari possunt, cùm libido hæc species sit concupiscentiæ; Cujusmodi est, quod Adversetur legi mentis, & legi Dei, quodq; sit in nobis habitans peccatum, lex membrorum, & lex peccati, *Rom.* 7. Quod per eam caro concupiscat adversus spiritum, *Gall.* 5. Quod non sit ex Deo, sed ex mundo. 1 *John* 2. Quod ab eâ quisq; tentetur abstractus, & illectus, quodq; cùm conceperit, peccatum pariat, *Jacob.* 1. Quis sine mentis dixerit, talem libidinem exstituram fuisse

in

in homine, Deo opifice, in puris naturalibus condito? Cùm certum sit, ejusmodi libidinem, quæ adversetur legi mentis, & legi Dei, quæque sit in nobis habitans peccatum & lex peccati, & mente Apostoli sit malum, & vitium, non quale sit surditas, aut cœcitas, sed in se meritò culpabile, & vituperablile, utpote quòd non solùm ad peccatum inducat, sed & veri nominis peccatum sit.

Idem etiam evincitur ex loco citato 5 ad Galat. ubi ait Apostolus, *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, &c.* At concupiscentiam spiritûs bonam esse, & quidem moraliter, testantur opera ejus, quæ ibidem numerantur, charitas, gaudium, pax, quæ omnia lege morali præscripta sunt. Ergò malam esse necesse, & quidem, (ex lege contrariorum) malam moraliter concupiscentiam carnis, quæ concupiscentiæ spiritûs adversatur, teste ibidem Apostolo: qualia mala sunt omnes ejusdem concupiscentiæ carnis fructus, qui ibidem recensentur, adulterium, scortatio, impuritas, protervia, Idololatria, veneficia, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, contentiones, dissidia, hæreses, cædes, ebrietates, comessationes. Nam non potest arbor bona malos fructus facere, dicente Domino, Matth. 7. & de his prædixerat Apostolus ad Galat: qui talia agunt regni Dei non fore hæredes. Mala autem opera, quæ excludunt è regno cœlorum non sunt mala, & vitia naturæ duntaxat, sed moraliter mala, & reatûs inductiva.

4. Certum est, naturalem verecundiam dictare tegenda esse pudenda, idque testatur Augustin. de peccat. merit & remiss. lib. 2. cap. 22. *Animam rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quod in carne, in cujus servitutem jus potestatis accepit, nescio quâ infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, & se volente moverentur.* Hæc Augustinus.

Hinc etiam est, eodem Augustino testante, quòd omnes gentes ab Adami stirpe procreatæ usque adeò tenent insitum pudenda velare, ut quidem barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum ligumentis lavent. Addit, *Per opacas quoque Indiæ solitudines cùm quidam nudi Philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen* (inquit) *genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.* Hæc Augustin. de civit. Dei, l. 4 c. 17.

Cùm ergò in homine lapso dictet naturæ lex, & verecundia naturalis, hæc membra tegenda esse, evidens argumentum est, hunc inordinatum libidinis æstum non extiturum fuisse in puris naturalibus; cùm nihil extiturum erat in puris naturalibus, cujus hominem meritò puduisse debet, ne in ipsius naturæ authorem injuriosi, aut potiùs contumeliosi esse videamur.

5. Augustinus passim docet, libidinem inordinatam, quâ caro non servit imperio rationis, esse peccatum in membris nostris habitans, de quo Apost. ad Rom. 7 Sic tamen esse peccatum, ut sit pœna etiam peccati. Sic Aug. de pec. merit. & remiss. lib. 2. c. 22. & de Civit. Dei, 14 & 17. Ergò non futura erat in homine in puris naturalibus condito, nec à principiis puræ naturæ exoritura erat, siquidem nullum peccatum, aut pœna peccati à puræ naturæ principiis oriri potest, nè Deus author principiorum, author fuerit censendus esse peccati.

6, Adde; Quod est contra æquitatem naturalem, & rectam rationem, id esse malum morale, & veri nominis peccatum: At tale malum est concupiscentia, ac proinde libido inordinata, nam propter illam pars animæ inferior, superiori (i. rationi) repugnat, legi mentis non paret, spiritui adversatur, teste ipso Bellarmino, lib 6. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 14. Sect. *Octavo.* Dedecet, certè humanam naturam hæc inordinata libido, quam velut turpem erubescis, quoniam turpe est inferiora superioribus contumaciter obluctari, quemadmodum in domo turpe reputatur, si maribus & uxor adversus se dissentiant. Augustin. in Psalm. 143. Col. 1656. D. Si in domo maribus & uxor adversus se dissentiant, molestus & periculosus labor. Si maribus vincatur, & uxor dominetur, pax perversa; Si autem uxor marito dominanti subjiciatur, pax recta, hoc expedit, inferius subjici superiori; —— & ille, qui sibi subjici vult, quod est inferius, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem; Tu Deo, tibi Caro. Quid justius? Quid pulchrius? Tu majori, minor tibi, servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendavimus.

Tibi caro, Tu Deo; sed tu Deo, & tibi Caro; si autem contemnis te subjici Deo, nunquam subjicietur tibi caro; qui non obtemperas Domino, torqueris à servo; hæc Aug: & quidem acutissimè, & elegantissimè. Hanc itaque vitiosam libidinem, velut sapientiæ venenum, & pudendum homini malum, in se non solùm mortificare, subjicere, domare, minuere, sed etiam, ut omninò non sit, debet velle, & laborare, quamvis in hoc mortali corpore id non sit assecuturus. At in puris naturalibus nullum extiturum erat sapientiæ venenum, nullum pudendum malum, nullum mortificandum, nullum domandum, nullum malum, quod eradicare debemus, aut, ut non sit, debeamus velle laborare. Frustra ergò, imò audacter nimis Bellarminus affirmat, (ne dicam impudenter) inordinatam libidinem hominis lapsi in homine in puris naturalibus condito extituram fuisse ex mente Augustini. Hæc, & hujusmodi testimonia, quæ ex Augustino adducuntur æquè probant, ejusmodi libidinem inordinatam, non extituram fuisse in homine in puris naturalibus condito, atque in homine in originali justitiâ condito. Ac proinde, cùm Augustinus contra pelagianos demonstrat, non fuisse in primo homine, justitia originali prædito, ullum libidinis æstum perinde est, atque si demonstrasset, in puris naturalibus nullum futurum fuisse æstum, libidinis. Cùm, juxta Augustinum, originalis justitia sit humanæ naturæ integræ debita, ut absque eâ bene esse non potuit, maloque carere. Illa verò pura naturalia, quæ fingit Bellarminus, Hominem potuisse condi absque justitiâ, & absque peccato, est status merè fictitius, & imaginarius, de quo nunquam somniavit Augustinus, & qui dari non potest absque summâ injuriâ Dei Creatoris, naturæ authoris, ut suprà evicimus.

Atque ita vindicavimus omnia stapletoni argumenta, quæ impugnat Bellarminus.

Arg. 13. & ultima ratio Bellarmini sic se habet: *Æterna beatitudo finis est hominis naturalis,* ut St. Thomas docet. 1. p. q. 12. art. 1. Debuit igitur homo media naturalia habere ad eum finem consequendum; alioqui rebus omnibus esset miserior, & abjectior, cùm res cæteræ fines suos propriis, & naturalibus viribus assequantur. Justitia ergò, & cæteræ virtutes, quæ ad beatitudinem adipiscendam necessariæ sunt, primo homini necessariæ fuerunt, ac proinde debitæ, ac proinde naturales suo modo.

Resp. Bellarm. Non parvam quæstionem esse, sitne sempiterna beatitudo, quæ in visione Dei sita est, finis hominis naturalis, an supernaturalis; sed quia non multum facit ad rem nostram, quæstionis illius explicatio, admissâ parte affirmante, respondeo; beatitudinem finem esse hominis naturalem, quoad appetitum, non quoad consecutionem.

Resp. Aliquid dici posse alicui naturale, vel

1. Quod ex principiis naturæ, naturali emanatione, fluat, quomodo ab igne calor, levitas, lux.
2. Quod ita requisitum est ad alicujus naturæ integritatem, & perfectionem, ut sine eo aut omnino non esse, aut bene esse non potest, maloq; carere, aut finem, ad quem ordinatur, consequi nequeat.

Dicimus igitur beatitudinem rectè dici finem non naturalem, quoad consecutionem, quia mediis supernaturalibus acquiritur, licèt illa media, quæ supernaturalem ortum habent, requirantur necessariò ad naturalis appetitûs expletionem, utpote sine quibus non expletur naturale desiderium hominis. Id quod eo contingit, quòd finis, quem appetimus, est quiddam infinitum supra naturæ limites, qualis est æterna beatitudo; quare, licèt per media supernaturalia consequimur beatitudinem; tamen, quia hæc media sunt naturalia quoad usum, quatenus ad humanæ naturæ integritatem, & perfectionem requiruntur, ideò suo modo Naturalia sunt dicenda, quatenus debita sunt naturæ humanæ, ut absque istis humana natura, aut omninò non esse, aut certè bene esse nequeat, maloque carere.

Distinguendum est igitur de qualitatibus supernaturalibus, quæ homini in integritate suâ constituto superadduntur.

Aliæ enim sunt supernaturales { Mere, & per se. / Secundum quid.

1. Merè supernaturales qualitates sunt dona prophetiæ, gratia sanitatum, donum linguarum, miraculorum, & id genus alia, quibus sine malo suo carere potest.

2. Aliæ sunt supernaturales quoad originem, quæ, licèt non conferant aliquid ad esse hominis, tamen ad ejus bene esse necessariò conducant, utpote sine quibus homo non est integra, & perfecta creatura in suo genere, sed manca, imperfecta, mutila; hæc, undecunque sunt, inter hominis naturalia jure connumeranda sunt. Exempla habemus in visu, auditu, sanitate corporis, aliisque qualitatibus ad hominis integritatem pertinentibus, quas Christus, ut legimus in Evangeliis, restituebat quam plurimis. Hæ qualitates per se naturales erant, quamvis earum generatio, & restitutio nonnullis, qui iis destituebantur, erat supernaturalis. Sed ad firmandum allatam distinctionem, quâ asserit Bellarm: Beatitudinem finem hominis naturalem esse quoad appetitum, non quoad consecutionem; subjungit in hunc modum: Neque est aut novum, aut hominis naturâ indignum, ut naturaliter appetat, quod non nisi supernaturali auxilio consequi valeat; Non novum, siquidem animæ hominum solutæ corporibus naturalem habent ordinem, & propensionem ad corpora, quorum formæ fuerunt, nec tamen iterum conjungi corporibus sine supernaturali auxilio poterunt. Neque est naturâ humana indignum, sed contrà potiùs ad maximam ejus pertinet dignitatem, quòd ad sublimiorem finem condita sit, quàm ut eum naturæ solius viribus attingere possit.

Resp. Ubi dicit non esse novum, exemplo animarum, quæ corporibus solutæ naturalem habent propensionem ad corpora, quorum formæ fuerunt, nec tamen iterum conjungi corporibus absque supernaturali auxilio: Exemplum hoc alienum esse dicimus, & impertinens: Agitur enim de homine primo in statu integro ad vitam æternam condito, an ille solis naturæ viribus, finem, ad quem conditus est, consequi potuisset; & dicimus, potuisse per rectitudinem originalem, quam contendimus fuisse naturalem suo modo, (*i.*) naturæ humanæ debitam. Alia autem est ratio animæ corpore solutæ, siquidem illa non est in statu naturali, in quo condita est, cùm status separationis animæ non sit naturalis, sed adventitius, & præter naturalis, cùm per peccatum mors sit introducta, *Rom.* 5. 12. & 6. 21. Quare mirum non est, si in hoc statu præter naturam absque supernaturali auxilio corpori conjungi nequeat.

Vid. P. Fer. in specim: s.b. orthod: c. 7. p. 3.

2. Ubi dicit non esse naturâ humanâ indignum, sed contrà potiùs ad maximam ejus pertinere dignitatem, quòd ad sublimiorem finem condita sit, quàm ut eam solis naturæ viribus attingere possit.

Resp. Si per solas naturæ vires intelligat Bellarminus vires à principiis humanæ naturæ emanantes, agnosco non esse indignum, ut ad sublimiorem finem condita sit, quàm ut eam solis naturæ viribus è naturæ principiis ortis attingere possit; Sin per vires naturæ intelligat vires non ita humanam naturam excedentes, ac si ad humanæ naturæ integritatem, & perfectionem, nullo modo necessariæ sint, ac debitæ; Negamus, hasce vires eo sensu supernaturales esse, ac humanam naturam prorsus excedere, Quin potiùs certum est, originalem rectitudinem, etsi à principiis naturæ non fluat, tamen ita necessariam fuisse, ac requisitam, ad humanæ naturæ integritatem, & perfectionem, ut absq; illâ à fine suo naturali assequendo, per continuam rebellionem partis sensitivæ contra rationalem perpetuò impediretur; unde conficitur, hanc rectitudinem originalem, humanæ naturæ debitam esse, quamvis ab humanæ naturæ principiis non oriatur.

Neq; mirum videri debeat, si qualitas à naturæ principiis non exoriens requiratur necessariò ad naturæ humanæ integritatem, ac perfectionem, quandoquidem finis, & objectum appetitus humani, ejusque cognitionis, & actionis sint res infinita,

ta, naturæ vires prorsus excedens, ac proinde natura humana non potest, prout res aliæ naturales possunt, ad finem suum naturalem pertingere absque mediis excellentioribus, & ordinis superioris, quàm ut à naturæ humanæ principiis oriri possint. Homini ergò naturale est, ut aut supernaturali gratiâ supra seipsum elevetur, & beatitudine æternâ, quam naturaliter appetit, potiatur; aut, ut sibi relictus infra seipsum cadat, atq; à beatitudine, quam naturaliter appetit, excidat, atq; adeò sese infinitis malis, defectibus, & miseriis repleat; neq; enim tertius status hominis dari potest, qui sit absq; justitiâ, & absq; peccato, qualis fingitur à Bellarmino, & Jesuitis.

Esto igitur, egeat homo supernaturalibus mediis, tamen id sequetur, ut non potuerit absq; mediis illis creari, ac proinde non potuerit sine mediis illis creari qualis nunc nascitur; neque enim ad finem inferioremcondi potuit, nisi natura ejus mutaretur, neq; negari media potuerunt ad finem naturalem obtinendum.

Resp. Bellarm. *Æquum omninò fuisse, ut Deus homini ad finem tam sublimem ordinato, media necessaria non negaret: tamen nihil absurdi secuturum, si negâsset. Nam, tametsi summa illa beatitudo sit finis hominis naturalis, tamen est finis, inquit, improportionatus, & præter eum habet homo alium finem naturalem, sibi omninò proportionatum, qui est ratiocinando inquirere veritatem. Quare potuit Deus hominem per naturalia media ad finem suæ naturæ proportionatum perducere, nec altiùs evehere. Cujus rei habemus exemplum in vespertilione, qui naturalem habet capacitatem, & appetitum videndi solem, & tamen credibile est nunquam futurum, ut videat solem, sed lumen tantum debile, & subobscurum, quod est objectum oculorum ejus, non solum naturale, sed etiam proportionatum.*

Resp. Certissimum esse, annuente etiam Bellarmino, æquum omninò fuisse, ut Deus homini ad æternam beatitudinem ordinato, media necessaria non negaret; tamen ubi addit, nihil absurdi secuturum, si negâsset, videtur dicere nihil absurdi secuturum, si Deus non faciat, quod æquum, & justum sit; qui tamen omnis æquitatis, & justitiæ sit author, ut enim Abrahamus olim Deo dixit, numquid judex totius terræ non faciet Judicium? *Gen.* 18. 25. Numquid omnis equitatis author non faciet, quod æquum est? Nos contrà dicimus, valdè absurdum futurum, si negâsset. Videri enim possit absurdum, ut Deus insereret humanæ naturæ appetitum æternæ beatitudinis, & tamen media necessaria, & debita ad appetitum illum naturalem explendum denegaret; quomodo enim non frustra natura insereret appetitum illum naturalem homini, qui nusquam, & nunquam explendus esset? At natura, cùm sapientissima sit, nihil frustra facit.

porrò cùm subjungit Bellarm: *Summam illam beatitudinem, licèt sit finis naturalis, tamen esse improportionatum.* Certè illud omninò non verè dici potest; finis enim naturalis cujusq; rei est proportionatus; alioqui videmur authorem naturæ insipientiæ incusare, ut qui finem operibus suis proportionatum, & accomodatum assignare aut non potuit, aut non voluit. Dicere, Deum non potuisse, impingit in omnipotentiam; non voluisse, in sapientiam, & bonitatem; cùm certum sit, Deum omnia fecisse in numero, pondere, & mensurâ, ut habet sapiens.

At dices, æternam beatitudinem esse finem inproportionatum, quia solis naturæ viribus finis iste non est adipiscibilis.

Resp. At neq; hoc dicendum. Nam & τὸ videre non erat potentia videndi in cæco nato finis inproportionatus, licèt non absq; auxilio supernaturali visio illa actualis potuit obtineri. Sic in infirmo per naturam incurabili, appetitio sanitatis naturalis non erat finis inproportionatus; tamen absque auxilio, & virtute supernaturali, tali infirmo sanitas reddi non potuit; sic anima in statu separationis naturaliter appetit reunionem cum corpore; hæc tamen reunio non est finis inproportionatus, licèt absq; virtute supernaturali anima seperata non possit corpori reuniri. Non ergò necesse est, ut ubicunq; finis naturalis appetitûs solâ naturæ facultate non possit impleri illicò pronunciemus; Finem hujusce rei esse improporrionatum. Sic pariter & hic philosophandum, beatitudinem æternam esse finem hominis naturalem, qui tamen absque auxilio supernaturali obtineri nequit; nec tamen sequitur finem hunc esse improportionatum.

Quod autem addit Bellarm: *Præter æternam beatitudinem habere hominem alium finem naturalem sibi omninò proportionatum, qui est ratiocinando inquirere veritatem, & potuisse Deum hominem per naturalia media ad finem naturæ suæ proportionatum perducere, nec altiùs evehere; Cujus rei (inquit) exemplum habemus in vespertilione, qui naturalem habet capacitatem, & appetitum videndi solem, & tamen credibile est nunquam futurum, ut videat solem, sed lumen tantùm debile, & subobscurum, quod est objectum oculorum ejus non tantum naturale, sed & proportionatum.*

Resp. 1 Neminem unquam vi purorum naturalium, qualia Bellarm: intelligit, potuisse indagare, & assequi ratiocinando omnium rerum necessariam veritatem, quamdiu homo habeat præcipitem ad omnia peccata propensionem, quam cum ignorantiâ, summa agendorum conjunctam esse necesse est, ut fateatur Bellarm: cùm præceps inclinatio ad omnia vitia, includat etiam inclinationem ad ignorantiam summam agendorum, quam in vitiis, iisq; summis connumerandam esse omnes norunt.

2. Demus possibile esse, hominem in puris naturalibus, ut Bellarminus intelligit, assequi potuisse hunc finem, *viz.* ratiocinando inquirere & indigare omnem necessariam veritatem; istis tamen necessariis veritatibus repertis, finem non adipiscitur homo, quo usquequaq; appetitus ejus expletur, & in quo conquiescit animus, aut conquiescere potest, juxta illud Augustini confess: 1. c. 2. Fecisti nos, Domine, ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec revertatur ad te. Bonaventura in 2 dist. 19. art. 1. q. 1. Hæc suppositio supponenda sit, tanquam verum, & certum, quòd anima rationalis facta sit ad participandam summam beatitudinem. Hoc enim adeò certum est ex clamore omnis appetitûs naturalis, quòd nullus de eo dubitat, nisi cujus ratio est omninò subversa. Et mox, quia facta est anima ad participandam beatitudinem, quæ consistit in solo summo bono, facta est capax Dei, & ad ipsius imaginem, & similitudinem, *&c.*] Hæc Bonaventura, & quidem certum est unamquamq; rem naturaliter ferri in rem aliquam determinatam, ut ibi sistat; at nulla, præter Deum, assignari potest, in quam naturalis hominis appetitus, tanquam in ultimum finem, feratur; non igitur naturaliter quiescit, aut quiescere potest in inquirendo veritates rerum ratiocinando.

3. Docuimus suprà ad consecutionem ejus, quod naturaliter appetimus, sæpe opus esse supernaturalibus mediis adconsequendum finem etiam proportionatum.

Ad exemplum adductum à vespertilione; alia ratio vespertilionis, alia hominis in puris naturalibus conditi. Nam vespertilionem habere naturalem appetitum videndi solem asserit Bellarminus, non probat; neque enim credibile est, habere, quomodo neq; talpa habet, cùm neutri horum carere lumine solis, aut malum sit, aut miserum; id quod de bubone, & nycticorace pariter pronunciandum. At homini in puris naturalibus condito malum esset, & miserum carere semper, & nunquam habere, quod undequaq; expleat appetitum naturalem, nec unquam frui eo, ad quod naturali desiderio fertur, qualis est summi boni, boni sc. infiniti, adeptio, & fruitio.

Atque ita jam tandem expedivimus, & vindicavimus omnia argumenta, quæ Bellarminus producit, ut nostra; licèt omnia, excepto uno, aut altero, sint argumenta hominum Pontificiorum, Michaelis sc. Baii, Decani Lovaniensis, & Thomæ Sapletoni; ex quibus videre licet, Bellarmini sententiam de primâ hominis justitiâ ab ipsis Pontificiis non fuisse approbatam, quin à primi nominis inter eos professores fuisse improbatam.

CAP.

Cap. VI.

Adjiciuntur alia Argumenta quibus ostenditur originalem justitiam non fuisse donum mere gratuitum & indebitum, sed debitum & ad naturæ humanæ integritatem necessarium.

NOS alia adjiciemus, quibus demonstrabimus, originalem rectitudinem non fuisse donum merè gratuitum, & indebitum; sed debitum, & ad naturæ humanæ integritatem necessarium, & requisitum, & adeò accessarium, ut absque eâ humana natura bene esse non potuit, aut malo carere.

Arg. 14. Sit ergò Argumentum 14. Humana natura non est integra absque hac originali rectitudine: Ergò necessaria est hæc rectitudo ad naturæ integritatem. Consequentia per se patet.

Antecedens patet, quia alioqui sequetur, humanam naturam esse integram, & perfectam absque originali rectitudine; ac proinde homo destitutus originali justitiâ in statu lapsûs pura & integra naturalia haberet, quod, non est dicendum

Dices, *Naturalia etiam in Dæmonibus post casum mansisse integra, teste Dionysio de Div. nom. c.* 4 *p.* 4. *pag.* 213. *Edit. Græcolat. Quod idem sine dubio de homine quoque intelligi debet. Quod si naturalia in angelo, & homine post lapsum integra remanserunt & satis constat, justitiam, in quâ conditi sunt, in eis post lapsum non mansisse; certè manifestè sequitur justitiam illam angelo, & homini naturalem non fuisse.* Hæc Bellarm. de gratiâ. 1 hom. c. 6. Sect. 6.

Resp. Cùm Dionysius dicat, τὰς δοθείσας αὐτοῖς ἀγγελικὰς δωρεὰς ὄυ μέμονται αὐτὰς ἠλλοιῶσθαι φαμὲν, non esse mutata Angelica munera dæmonibus data, ἀλλ' ὁλόκληρα, καὶ παμφαεῖς εἰσὶ, sed integra esse, & nitidissima.] Intelligendum est de tali bono naturæ, seu ejusmodi naturalibus, quæ sunt principia natu æ constitutiva, & proprietates ex hisce manentes: Sic enim ipse Dionysius ibid. paulò antè, *Nec [Dæmones] planè expertes sunt boni*, καθ' ὁ καὶ εἰσὶ, καὶ ζῶσι καὶ νοῦσι καὶ ὅλως ἐστί τις ἐν αὐτοῖς ὀρεκτικὴ κίνησις. (i.) Hoc ipso quòd sunt, & vivunt, & intelligunt, omninòque inest in eis motus quidam appetitus Et sic interpretatur Thomas locum Dionysii, 1. 2. q. 85. ar. 1. ad 1. quæ quidem naturalia inseparabilia sunt à naturâ angelicâ, ac proinde necesse est, ut maneant integra; at verò alia sunt, quæ requisita sunt ad naturam angelicam perficiendam, ita ut sine iis angelica natura bene esse non potest, malòque carere, quin potiùs corrupta, & depravata, quæ etiam requisita sunt ad finem suum, ad quem etiam ordinantur, angeli consequendum. Hæc autem possunt separari à naturâ angelicâ, atque in hisce est originalis illa rectitudo, cum quâ ipsi mali angeli conditi sunt. Hinc paulò ante Dionysius sic scribit, Nec verò quicquam eorum, quæ sunt, interit, quatenus essentia est, & natura, sed, quia deest ἡ κατὰ φύσιν τάξις, naturalis ordo convenientiæ, aptæq; compositionis ratio eodē modo se habens, manere non potest. Non ergò tollitur ipsa natura, sed naturæ ordo, sed convenientia, aptæque compositionis ratio: quod, quid aliud est, quàm naturalis illa rectitudo, ordo, & harmonia, quæ inerat in ipsâ naturâ, ejusque potentiis? Siquidem rectitudo sive in corporalibus, sive in spiritualibus intelligatur, existit in partibus, cum inter se ordinem habentibus, à quo totum, quod ex illis constat rectum dicitur, ut recte istius, 2 dist: 25. sect. 5. sed & Thom. in Commentariis in hunc locum Dion: ait, *Dæmones non esse naturaliter malos, sed malos extitisse per defectum aliquorum bonorum, quæ debentur Angelis, non per defectum bonorum indebitorum, & merè gratuitorum.* Et Paulò post, φθορὰ δὲ φύσεως ἀσθένεια καὶ ἔλλειψις τῶν φυσικῶν ἕξεων, καὶ ἐνεργειῶν, καὶ δυνάμεων; *Corruptio naturæ est infirmitas, & defectus naturalium habituum, operationum, & potentiarum.* Et propè finem illius, 4. cap. p. 219. B.

Malum

Malum angelorum ortum fuisse ait ἐκ τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀποπτώσεως *ex prolapsione à propriis bonis*: ubi Thomas *per* οἰκεῖα ἀγαθὰ intelligit *bona, ad quæ erant ordinati secundum ordinem suæ naturæ, & addit Dyonisius, eorum discriminationem à bonis angelis in eo consistere, quòd in eis sit* ἀσθένεια τῆς προσηκούσης αὐτοῖς ἀγγελοπρεποῦς τελειότητος, (i.) *interprete Thomâ, variatio, quâ discesserunt (mali angeli) ab illâ identitate (seu statu)* in qua sunt boni angeli, & ab habendo illa, quæ illi habent; quod nihil aliud est, quàm infirmitas quædam perfectionis iis naturaliter convenientis, prout decet angelos, quod quid aliud est, quàm carentia illius originalis rectitudinis, seu τελειότητος ἀγγελοπρεποῦς, seu perfectionis, quæ naturaliter competit angelis? Ex quibus infertur juxta Dionysium, Angelos lapsos defecisse à rectitudine, & perfectione illâ quæ naturaliter iis competebat, eorumq; naturæ debita erat, ex quo defectu contingit, ut non potuissent ea perficere, quæ ad eorum naturam spectabant: id quod postea docet Dionysius ad finem illius capitis, ubi ait, οὐκ ἔστι κακὴ φύσις ἀλλὰ τοῦτο τῆς φύσεως τὸ ἀδυνατεῖν τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἐκτελεῖν. *Non est mala natura, sed hoc naturæ malum est, non posse ea, quæ naturæ sunt perficere.* Illud ergò, quod naturæ adeò inimicum est, ut, eo posito, natura impar sit, & impotens ad ea perficienda, quæ propria sunt illius naturæ; illud est naturæ defectus, infirmitas, corruptio, ac proinde integritatis naturalis depravatio, juxta Dionysium, tantum abest in ejusmodi creaturâ ut integra maneant naturalia, juxta Dionysium.

Ad locum Marsi: Ficini *Resp.* Nocturnus aer habet essentialia aeris æq; ac diurnus, atqui aer per solum lumen acquirit perfectionem, quæ ei debita est, quantum ad objecta visibilia attinet, absq; enim lumine deest illi illa perfectio, quæ res visibiles facit ut actu videantur, per transmissionem specierum ratione diaphanëitatis, cùm species non educantur, nec transmittantur nisi per aërem illuminatum, & sic dæmon malus non essentiale quicquam perdit, quod à naturæ principiis fluit, sed tamen deest illi perfectio debita, abq; quâ non est intrinsecè perfecta, absq; quâ non potest malo, & miseriâ careri.

Sed pergit Bellarminus: Neq; repugnat, quod hoc loco ex Dionysio docemus, naturalia in angelo, & homine post lapsum integra remansisse, cum eo, quod supra non semel docuimus, naturam nostram per Adæ peccatum, vulneratam, & corruptam esse: Nam eadem nostra, & dæmonum natura, si referatur, ad eum statum, in quo esse potuisset, si in puris naturalibus creata fuisset, integra dici debet, & in hoc sensu integra dicitur à Dionysio, & Theologis: si verò statum illum respiciamus, ad quem benignitate conditoris fuerat evecta, vulnerata, & corrupta dicenda est. Id quod illustrat exemplo Sampsonis, qui post crines resectos, cùm insignem illam fortitudinem divinitus acceptam amisisset, infirmus factus dicitur, non quod esset jam infirmior, quàm homines ut plurimùm esse soleant, sed quòd esset infirmior, quam ipse antea fuisset. Hæc Bellarm: ubi supra.

Resp. Distinctionem illam duplicis statûs naturæ hominum, & angelorum, status sc.
- Purorum naturalium, (*i.*) naturæ creatæ absque justitiâ, & absq; peccato.
- Indebitæ, utriusque naturæ exaltationis.

Juxta quam distinctionem ostendere conatur, quomodo naturalia integra permaneant post lapsum tum in hominibus, tum in angelis, & tamen corrupta, & vulnerata esse, quod aliquoties supra affirmâsset; integra sc. ratione habitâ purorum naturalium (*i.*) naturæ creatæ absq; justitiâ, & absq; peccato, ut sese explicat, c. 7. & corruptam ratione habitâ illius statûs, ad quem benignitate creatoris natura evecta est: dico, distinctionem hanc non posse revera consistere vel cum Dionysii mente, vel cum ipsâ veritate.

Nam primò accepimus à Dionysio naturalia integra mansisse in dæmonibus, sed illum hoc intellexisse de tali bono naturæ, seu ejusmodi naturalibus, quæ sunt principia naturæ constitutiva, & proprietates ex hisce emanantes. Sic enim ait, *Nec dæmones planè expertes sunt boni naturæ* καθ᾽ ὃ καὶ εἰσι, καὶ ζῶσι καὶ νοοῦσι, καὶ ὅλως τῆς ἐν αὐτοῖς

ἐφύσεως κίνησις, sc. *boni naturæ, quâ sunt, quâ vivunt, quâ intelligunt, quâ appetunt, aut volunt*, quomodo sese ipse Paulò ante interpretatur, id quod Thomas ipse docet 1.2æ q. 85. art 1, ad primum, Hæc autem naturalia certum est in ipsis dæmonibus post apostasiam mansisse; dæmones enim, quomodo, & homines, post lapsum sunt, vivunt, intelligunt, & appetunt, hæc enim naturalia adeò manant, adeóq; sunt inseparabilia à creaturâ rationali, ut absque hisce creatura rationalis nullo modo superesse, aut subsistere possit. At verò præter hæc alia sunt, quæ ad benè esse angelorum spectant, & eorum naturam perficiendam, & absque quibus benè esse non possunt, maloque carere, neque finem, quem naturaliter appetunt consequi; atque in hisce est originalis illa rectitudo, & ordo potentiarum, & debita subordinatio ad invicem, ex cujus defectu, docente Dionysio, existit in angelicâ natura ἀσθένεια, ἔλλειψις, φθορά, infirmitas, defectus, corruptio, ubi autem ista reperiuntur, quis dicet integra naturalia permansisse, aut pura naturalia existere, aut τελειότητα ἀγγελοπρεπῆ, cujus antea meminimus ex ipso Dionysio, ut mittam alia supra commemorata huc spectantia.

2. Si rem ipsam spectemus, in hac distinctione multa veritati parùm consentanea innuuntur, & supponuntur, ut primo naturalia ideò dici vulnerata, & naturam jam vulneratam dici ratione illius status, ad quem benignitate creatoris evecta est, per hoc sc. quòd justitiam, fidem, charitatem, sapientiam, cæteráq; dona amisit; ideò enim hominem vulnerari in naturalibus bonis vult Bellarminus, in intellectu, memoriâ, voluntate, parte animæ inferiore, quatenus ablatæ sunt illi istæ perfectiones: ut non aliud sit juxta Bellarminum vulnerari in naturalibus, hoc sensu, quàm spoliari gratuitis; unde contendit hominem in puris naturalibus conditum non aliter differre ab homine lapso, quàm nudum à nudato. Sed falsum hoc; nam cùm patres dicant, hominem per peccatum vulneratum esse in naturalibus, non spectârunt tantum gratuitorum spoliationem, sed ipsorum naturalium corruptionem, & in deterius mutationem, ut docet Lombardus 2 dist. 24. Porrò ipsum nomen vulnerationis hoc evincit, quis enim dicet, eum vulnera accepisse in corpore, cui vestes, & corporis tegumenta detracta sunt corpore, ipso manente illæso, *Spoliatum* autem, & *Nudatum* ducimus talem hominem, sed *vulneratum* nequaquam.

At patres, *Ambrosius in exposit. luc.* 10. *& Beda in eundem locum, & Augustinus 2. lib. q q. Evangelic*: 9. 19. *& de nat. & grat. c.* 3. Et ipsi *Scholastici* antiquiores, vulneratum dicunt hominem per peccatum primi hominis, ad modum illius evangelici viatoris, quem latrones non tantùm despoliaverunt, verùm etiam plagis, & vulneribus ita affecerunt, ut semivivum relinquerent, non tantùm spoliatum, ac proinde juxta hosce homo lapsus ab integro non solum differt, ut nudatus à nudo sed ut nudatus simul, & sauciatus, à nudo.

3, Adde quòd vulnera ipsa, quæ ex sententiâ patrum inflicta sunt humanæ naturæ per peccatum, aliena videri possunt à statu hominis naturali, etiamsi sine donis gratuitis fuisset creatus. Illa vulnera reducunt *Scholastici* ad 4 capita, juxta quatuor potentias animæ, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, & difficultatem in Irascibili, quæ quidem 4. vulnera, ut animadvertit Thomas 1, 2. q 85. art 3 quadruplicem ordinem subvertunt, & corrumpunt in homine, qui quadruplex ordo fuit in homine integro.

Nam primo in quantum intellectus, seu ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ.

2. In quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus Malitiæ.

3. In quantum appetitus concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ.

4. In quantum appetitus Irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis. Augustinus hæc vulnera ad pauciora reduxit, interdum ad duo, ad ignorantiam, & difficultatem, de Nat: & grat: c. 67. & retract. 1. c. 9. Interdum ad ignorantiam agendorum, & concupiscentiam noxiorum; interdum ad tria, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam. Per ignorantiam agendorum intelligunt, P p. & *Scholastici* non solum ignorantiam κατ' ἀπόφασιν, ignorantiam privativam agendorum,

dorum, sed & ignorantiam, κατὰ διάθεσιν, ignorantiam positivam, seu pravam dispositionem, adeóque pronitatem ad sequendum errores, & credendum falsitati in iis maximè, quæ ad salutem animæ pertinent; quód vulnus videtur agnovisse Aristot. licèt causam ignoraret, quando lib 3. de anima, c. 3. dixit, errorem, & deceptionem magis esse propria hominibus, quàm eorum contraria. Hujus vulneris meminit Scriptura Joan. dilexerunt hominis magis tenebras, quàm lucem, & Psal. 4. Filii hominum, ——— ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

2. Per vulnus in voluntate, nempe *Malitiam*, intelligunt pronitatem ad eligendum, & committendum mala, non modò per ignorantiam intellectûs, verum etiam scienter, & contra dictamen rectæ rationis: unde illud Medeæ, ——— *Video meliora, proboque, deteriora sequor* ——— Hoc vitium notâsse videtur Dominus, quando discipulis suis dixit Matth. 7. Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris. Hanc malitiam in voluntate explicat Medin. 1. 2. q 109. art. Odium rerum spiritualium, atque cœlestium, idque conformiter Thomæ, 1. 2. q. 85. art. 3.

3. Per Concupiscentiam strictè sumptum, seu vulnus in concupiscibili, intellige illud vitium, quo contra rectam rationem, & Dei legem movetur appetitus ad ea, quæ sensibus jucunda sunt, &, quæ molesta sunt, refugit.

Vulnus est in appetitu Irascibili, per quod inordinate se habet appetens ad bona seu mala ardua persequenda, fugienda, vel repellenda; quod vulnus Schola vocat *Infirmitatem*.

Hæc autem vulnera nemo sanus dixerit extitura in statu homini naturali, in homine sano, & integro, seu (ut loquuntur) in puris naturalibus; quæ tamen est assertio Bellarmini.

Ad Sampsonis exemplum à Bellarmino adductum, respondeo; Sampsonum post resectos crines rectè dici potuisse infirmum comparativè, quód minùs firmus jam esset. At homo duntaxat nudatus, & spoliatus gratuitis donis nullâ idoneâ ratione dici potest aut læsus, aut *Infirmatus*, aut *Vulneratus*, aut corruptus in naturalibus, cùm ipsa naturalia illæsa, & invulnerata penitus maneant, fatente etiam Medinâ, in 1 2. q. 85. art. 3. & q. 109. in proœmio, & sæpe alibi, qui tamen cùm Bellarmino hac ex parte sentit, hominem lapsum ab integro non plus differre, quàm spoliatum à nudo. Atque hæc sufficiant dixisse de Argumento 14. ejusque vindicatione.

Cap. VII.

Convellitur error Bellarmini de statu purorum naturalium (qualia cernuntur in homine prout jam nascitur) quo fingitur creaturam rationalem condi potuisse absque omni gratia, seu in statu medio absque justitia, & absque peccato.

Arg. 15. Antequam accedo ad rationem 15. in qua convellendus est error de puris naturalibus, & de statu purorum naturalium, quo fingitur creaturam rationalem condi potuisse absq; omni gratiâ, seu, ut Bellarminus loquitur, in statu medio, absque justitiâ, & absque peccato, cap. 7. præmittendum est, medium illum statum purorum naturalium, qui fingitur à Scholasticis bifariam sumi;

vel, ut denotat {

1. Statum, naturalium, qualia jam cernuntur in homine, prout jam nascitur, ut non aliter differat status purorum naturalium à statu hominis, prout jam nascitur, quàm ut status nudi à nudato; atq; iste, Bellarmino, est status purorum naturalium.

2. Statum, qui includit omnem illam rectitudinem, quæ fluere apta nata est à principiis naturæ absque omni auxilio gratiæ naturam supra se elevante, quâ notione pura naturalia exigebant plurima.

1. Ut

1. Ut rectus esset homo, & ab omni vitio liber, & condatur in naturali quâdam justitiâ. Estius, p.297.c. 2.

2. Ut cognosceret Deum, suum, & rerum omnium conditorem, & gubernatorem.

3. Ut eundem conditorem, & benefactorem suum diligeret.

4. Ut aliquam appeteret beatitudinem, licet non in clarâ Dei visione consistentem quæ esset finis naturalis, & quâ solâ contentus, beatificâ visione sine molestiâ careret.

5. Ut appetitus sensitivus tam concupiscibilis, quàm irascibilis sine ullâ pugnâ superioribus subjiceretur.

6. Ut omnia corporis membra, voluntatis, seu rationis imperio ad nutum subservirent.

Hæc omnia requiruntur ad statum purorum naturalium, quomodo iste status intelligitur ab aliis Theologis Pontificiis, Stapletono, Estio, & aliis.

Hisce sic positis, jam paucis impugnandus est uterque hic status purorum naturalium.

Sit ergô ratio 15. Status purorum naturalium, juxta utrâmque supradictam acceptionem, non est dabilis: Ergo,

Status ejusmodi purorum naturalium non est asserendus.

Consequentia per se patet.

Antecedens demonstratur, & quidem 1. De statu purorum naturalium juxta priorem acceptionem. Status autem ille purorum naturalium in priori acceptione ubi fingitur hominem creari potuisse medio quodam statu, absque omni justitiâ, & absque omni peccato, est merè commentitius, nec dari, aut concedi potest atque creatoris impropetio.

Nam primò, Status iste purorum naturalium optimè impugnatur omnibus istis rationibus, quibus supra, pag. 12, &c. Demonstravimus concupiscentiam, & rebellionem carnis, & spiritûs esse veri nominis peccatum; ac proinde status ejusmodi ubi talis concupiscentia fluit à principiis naturæ non potest rectè dici status purorum naturalium, sed status peccati, in quo statu naturalia vulnerantur, & corrumpuntur.

2. Idem status optimè impugnatur omnibus iis rationibus, quibus supra demonstravimus originalem justitiam adeò necessariam fuisse, ut planè debita sit humanæ naturæ, atque ita debita, ut absque eâ bene esse non potest humana natura, malòque carere, quinetiam malis, & miseriis infinitis repleri necesse sit.

3. Pugnat iste medius status cum communi sententiâ p. p. & *Scholasticorum*; qui docent hominem post lapsum non solum fuisse spoliatum gratuitis, sed & in naturalibus vulneratum. Certè, ubi vulnerata sunt naturalia, pura non sunt dicenda; siquidem nullum vulnus est naturale; Quis dixerit, corpus vulneratum esse corpus sanum, integrum, continuum, aut etiam purum? Sic nec anima vulnerata dici potest aut sana, aut pura naturalia habere. Quis dixerit, animam cujus intellectus laborat non solùm ignorantiâ privativâ agendorum, sed & ignorantiâ positivâ, seu pravæ dispositionis, adeòque pronitate, ad sequendum errores, & credendum falsitati, in iis maximè, quæ ad salutem spectant; cujus etiam voluntas laborat malitiâ (i.) odio rerum spiritualium, & cœlestium, explicante Medinâ, & præcipite inclinatione ad omnimoda mala, sana, aut pura naturalia habere, cum tamen voluntas sit inclinatio totius suppositi, & in cæteras facultates imperium habeat. Idem esto judicium de cæteris vulneribus animæ supra commemoratis, quæ cum puris & sanis naturalibus consistere nequeunt; quomodo si Deus crearet hominē cœcum, aut unoculum, aut mancum aut surdum, aut alio quopiam naturali membro, vel facultate privatum, aut morbo aliquo lethali laborantem v. g. Lethargicum, Paralyticum, Podagricum, nemo dixerit ejusmodi hominem in puris naturalibus creatum fuisse; quin potius in vulneratis, ægrotis naturalibus.

4. Si admittatur iste status purorum naturalium juxta primam acceptionem, in omnibus angelis erat perfectio cognitionis practicæ de re agibili, & moralis rectitudo voluntatis, ac rectus amor morali rectitudine circa finem, & media, ac denique

delectatio & fruitio de bonis, quæ speculativè cognoscebant at in angelis lapsis hæc omnia sublata sunt: Ergò aliqua bona naturæ sublata sunt; sic Ban. 1. part, q. 63. art. 1. p. 889, 890. Ablata est à lapsis angelis omnis rectitudo moralis concomitanter ad privationem rectitudinis supernaturalis: Ergò status purorum naturalium non manet in dæmonibus, nec integra naturalis manet in dæmonibus, contra quam habet Bellarminus. Ergò & omnis rectitudo moralis pariter ablata est ab hominibus post lapsum, concomitanter ad privationē rectitudinis supernaturalis; Ergò nec pura naturalia, nec integra manent in hominibus lapsis, ut contendit Bellarm.

5. Iste status purorum naturalium, de quo jam agitur, qui non differt a statu hominis lapsi, nisi ut status nudi à statu nudati, compatitur secum multa naturæ vitia, in quibus sunt ignorantia agendorum, & malitia voluntatis supra dicta; preceps item ad omnimoda mala concupiscentia in concupiscibili, & infirmitas in irascibili. Hæc (inquam) vitia, & quæcunque sunt animorum vitia, naturalium sunt privationes bonorum, teste Augustino Enchirid: c 11. Quomodo ergò status ille dici potest status purorum naturalium, ubi tot sunt privationes naturalium bonorum, quot enim sunt animorum vitia, tot Augustino sunt privationes naturalium bonorum, cùm status purorum naturalium non admittat privationem naturalis alicujus boni, cùm naturalia integra postulet ejusmodi status.

6. Status purorum naturalium non compatitur impedimentum aliquod, quod impediat consecutionem illius finis, quem homo naturaliter appetit. At dicta ignorantia agendorum, & malitia voluntatis, & rebellio carnis ad spiritum impediunt hominem in fine, quem naturaliter appetit, consequendo. Ergo non possunt consistere cum statu purorum naturalium propriè dicto, cùm nulla natura integra, & pura admittat aliquid, quod sit impeditivum suæ perfectionis naturalis, aut illius perfectionis, quam homo naturaliter appetit.

7. Status purorum naturalium non admittit aliquid indecens, aut quod dedeceat, multò minùs quod pudendum sit, aut de quo erubescendum, cùm tota natura sit opus Dei. Quid (inquit Augustinus,) pudeat hominem operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine; cùm omnes opifices quanto possunt labore, & industriâ, id agant, ne de suis operibus erubescant? Hæc August: l 2. de nupt: & concup: c. 9. At de libidine, & rebellione membrorum meritò erubescunt homines, unde hujusmodi membra, tanquam pudenda studiosè tegunt homines, exemplo primorum parentum; & qui id non faciunt, meritò impudentiæ incusantur, & impudicitiæ: Non igitur pura naturalia compatiuntur hunc inordinatum membrorum motum, cùm natura abhorreat impudentiam, & impudicitiam, imò omne, cujus nos pudeat, imò quicquid dedeceat, vide sup. 12. nostram rationem, p. 80. & deinceps, ut ex Augustino supra luculenter deduximus.

8. Status purorum naturalium non patitur secum aliquod, quod suâ naturâ inclinat, aut sollicitat, aut impellit ad peccandum idq; suapte naturâ suscitando in homine mala desideria, dicente Apostolo *Rom.* 6 12. Non regnet peccatum in membris vestris, ut obediatis ei in concupiscentiis ejus. Omnes uno ore fatemur, ipsum τὸ concupiscere, quod in malo ponitur, & quo illicitum aliquod appetitur, sic ex suâ ratione malum esse, ut si voluntas accesserit non possit non esse veri nominis peccatum, quod ipsum ipse Bellarminus crebrò ingerit: sed concupiscentia habitualis prava, cum quâ nascimur per se, & naturâ suâ nihil aliud parit, quàm hujusmodi motus illicitos, quos etiam nobis nolentibus producit; non potest igitur melioris esse conditionis, aut naturæ quam sit naturalis ejus effectus. Igitur habitualis concupiscentia sic est suâ ratione mala, ut si ponatur esse voluntaria, non potest non agnosci esse peccatum; Ergò ejusmodi concupiscentia non potest stare cum statu purorum naturalium.

9. Deniq; status purorum naturalium non habet aliquid, quod oppugnandum sit, aut adeò habendum, aut Deo displiceat. Homo enim existens tantummodo, qualis est à Deo conditus, non potuit habere quidquam, quod vel Deo displicebat, vel quod ipse odio habere debebat; Ne dicamus aut Deo displicere suum opus, qui vidit omnia, quæ fecit, & ecce omnia bona fuerint, *Gen:* 1, vel dicamus, nos debere in nobis odisse aliquod Dei opus; quod non est dicendum. At concupiscentia prava

va, quæ ineſt homini lapſo, eſt oppugnanda, & odio habenda, ut ad peccatum incitans, & impellens, & legi repugnans etiam formaliter, utpote vitium homines adducens, atq; avertens ab eo, quod ſummè amandum, id quod ex Apoſtolo apertè colligitur, *Rom.* 7. & *Gal.* 5. & alibi. Ergò non potuit hæc prava concupiſcentia conſiſtere cum ſtatu purorum naturalium,

Quid ad hæc omnia Bellarminus? Ait, hanc rebellionem carnis adverſus ſpiritum, & bene agendi difficultatem, ignorantiam agendorum, & præcipitem inclinationem ad omnimoda mala, eſſe naturæ puræ abſq; gratiâ conſideratæ languores, & defectus, ex conditione materiæ, naturæ ſc. humanæ principiis, ortos, ex unione ſc. duarum propenſionum, Angelicæ, ſeu ſpirituales, & Beſtialis, ſeu animalis, , pullulantes; ac proinde in homine in puris naturalibus condito abſq; originali rectitudine, potuiſſe hæc omnia reperiri, non ut bona naturæ, ſed ut morbos, & defectus naturæ, qualis eſt rubigo in ferro, ſurditas, aut cæcitas in animali, non tamen defectus culpabiles, aut reatûs ullius inductivos.

Reſp. Hæc omnia non ſatis, ſuperque refelliſſe; Hîc tamen unum, aut alterum adjicium ſupra commemoratis.

1. Satis conſtat in dæmonibus eſſe hanc præcipitem inclinationem ad omnimoda mala, in quibus nulla eſt, aut erat ex principiis naturæ ſuæ, unio variarum propenſionum, ſpiritualis, & Animalis; Unde conſtat, contrà quam habet Bellarminus, hanc non eſſe cauſam, multò minùs adæquatam impetûs ipſius ſenſualitatis, quæ reperitur in naturâ lapſâ adverſus rationem; æquè enim dicere potuit, eò quòd in dæmonibus reperiatur hæc pronitas, & præceps inclinatio ad illa mala, quæ divinâ lege prohibentur, in eorum puris naturalibus extitiſſe rebellionem adverſus legem Dei, ſed gratiâ ſupernaturali coërcitam & refrænatam fuiſſe, quod tamen non eſt dicendum, nè ſimul ſtatuere cogamur Deum authorem fuiſſe peccati, qui impetum tam rebellem adverſus legem Dei ipſi naturæ angelicæ ante ullum eorum demeritum indiderat; cùm certum ſit, Deum omnia feciſſe, bona, etiam, quoad bona naturalia; & Deum non minùs Angelos, quàm homines feciſſe rectos, rectitudine ſc. naturali, quæ non poteſt conſiſtere cum præcipiti inclinatione ad omnimoda mala ex naturæ eorum principiis naturaliter pullulante. Addo, nemini dubium eſſe poſſe, quin effrænata, & præceps inclinatio dæmonum ad peccatum, ſit veri nominis ἀνομία, & legis primæ inſtitutionis prævaricatio, quatenus eſt defectus conformitatis voluntatis eorum ad imaginem Dei, ad cujus normam conditi ſunt, defectus Deo meritò exoſus, & dæmones ipſos meritò Deo inviſos, & exoſos reddens. Deniq; ex iiſdem principiis infertur, Angelos eoſdem ſtantes, & lapſos non magis differre, quàm homines nudos, & nudatos, [*vid. ſup. p.*]

2. Certum eſt, Chriſtum Dominum potuiſſe aſſumere naturam humanam in puris naturalibus, imò de facto aſſumpſiſſe, totum; quod eſt humanæ naturæ naturale; ſiquidem nobis factus eſt ὁμοούσιος quoad humanam naturam, quomodo patri quoad divinam ὁμοούσιος ab omni eternitate extitit.

At defectus ſupra commemoratos non aſſumpſit, non ignorantiam agendorum, non bene agendi difficultatem, non pravam concupiſcentiam, non rebellionem carnis adverſus ſpiritum, non præcipitem inclinationem ad omnia mala, qui omnes ſunt veri nominis defectus culpabiles, vituperabiles, & Deo exoſi, utpote ad peccatum allicientes, & à virtute retardantur, peccato protoplaſtorum in naturam noſtram primitùs introducti, & pars originalis peccati illius, quod ex peccato illorum naturam invaſit, corrupit, depravavit; ratione cujus, teſte Apoſtolo, nos naturâ ſumus filii iræ. Ex iſtis al quatenus conſtare poſſit, ſtatum purorum naturalium, juxta priorem acceptionem ſupra poſita in quâ fingitur hominem creari potuiſſe medio quodam ſtatu, abſque omni juſtitiâ, & abſque omni peccato; fingi quidem poſſe; ſed non poſſe dari, aut poni, aut exiſtere, abſq; magno Creatoris improperio, & injuriâ. Ergò ſimpliciter loquendo non eſſe dabilem.

Cap. VIII.

Evertitur altera sententia de medio statu purorum naturalium (est autem ea quorundam Scholasticorum) qui includit omnem illam rectitudinem qua fluere apta est a principiis naturæ absque omni auxilio gratiæ naturam supra se elevante.

SEd & porrò dicimus: Nec illum alterum medium statum purorum naturalium, qui à quibusdam scholasticis fingitur, qui includit omnem illam rectitudinem, quæ fluere apta est à principiis naturæ absq; omni auxilio gratiæ naturam supra se elevante, dari, & concedi aut posse, aut debere.

Qualis sit hæc rectitudo supra descripimus, & quæ, & qualia suâ notione complectitur iste status purorum naturalium.

1. Ut rectus esset homo, & ab omni curvitate, & vitio liber, & ut condatur in naturali quadam justitiâ.

2. Ut cognosceret Deum, suum, & rerum omnium aliarum, conditorem, & gubernatorem.

3, Ut eundem conditorem, & benefactorem suum diligeret.

4 Ut aliquam appeteret beatitudinem (*i.*) cum Deo unionem, licèt non illam in clarâ Dei visione consistentem, quæ esset finis naturalis, & quâ solâ acquiescens, beatificâ visione absq; molestiâ careret.

5. Ut appetitus sensitivus tam concupiscibilis, quàm irascibilis sine ullâ pugnâ superioribus animæ facultatibus subjicerentur.

6. Ut omnia corporis membra, voluntatis, seu rationis imperio ad nutum subservirent.

Quod autem nec iste status medius purorum naturalium concedi, aut dari possit absque omni gratiâ, jam demonstrandum est.

1. Ex naturali desiderio æternæ beatitudinis, & fruitionis ipsius Dei summi boni; hoc autem desiderium expleri nequit solis purorum naturalium viribus, absque additamento auxilii gratiæ, (ergò) ejusmodi status medius purorum naturalium non est dabilis; cum natura cujusque rei includat in se potentias ejusdem rei, & possibilitatem actiones ejusmodi potentiarum producendi. At liquidò constat potentias animæ primarias, intellectum, & voluntatem non posse solis purorũ naturalium viribus proprias ipsarum operationes elicere, cùm objecta intellectus sc. prima veritas, voluntatis, summum bonum, sint infinita, purorum autem naturalium capacitas sit finita: Ergò necesse est, ut istæ facultates forinsecùs adjuventur, & divinitùs eleventur, ut hujus boni participes fiant, quod fieri non potest, nisi auxilio gratiæ.

Hoc idem breviùs adhuc explico è Doctiss. Feildo, lib. 3. de Ecclesiâ c. 26. finis, & objectum humani appetitûs, & desiderii, cognitionis item, & actionis humanæ, est res infinita, extrà limites, & ambitum naturæ, ac proinde natura hominis non potest, prout possunt res aliæ, viribus naturalibus intrinsecis, finem ad quem naturaliter fertur, consequi; sed aut gratiâ supernaturali ad finem suum dirigi, aut sibi derelicta, ab eâ perfectione deficere quam vehementer appetit, & cujus capax est, atq; adeo seipsam replere infinitis malis ac miseris. Hæc ibi, conformiter Fulgentius ad Monim: lib. 1. c. 18. Creaturæ rationalis alia beatitudo non potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi, ut agnoscens, à quo, non solum facta, sed etiam à quo, rationalis facta est, majorem dilectionem exhibeat bono creatori, quàm sibi.

Voluntas porrò creaturæ rationalis, sine qualicunque amore, non potest esse, nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare, quod inter summum bonum à quo creata est, & infinum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita; profectò aut in infimo bono, necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter, fæliciterq; requiescat. Vid. sequentia.

Dices, Quomodo ergò poteſt homo ſummo bono ſuo potiri, ſi adeo excellens bonum fuerit illud, & remotum, & longè extrà, & ultra ambitum naturalis facultatis poſitum?

Reſp. Quamvis nihil ſeſe ſublevare poteſt, ultra, & ſupra vires à naturâ acceptas, cùm natura non agat extra ſphæram ſuæ activitatis;) tamen forinſecus accepto auxilio, res naturalis poteſt ſupra ſeipſam elevari; ſic lapis, qui naturaliter non niſi deorſum tendit, poteſt manu ſublevantis, aut projicientis elevari ſurſum in locum ſuperiorem, quòvi naturali ferri non poteſt. Eodem modo, anima hominis auxilio divinæ gratiæ poteſt elivari in potentiis ſuis, ad eliciendos, & exercendos actus, ad quos naturalis vis potentiarum nullo modo pertingere poteſt. Quamvis enim naturaliter nemo Deum novit, prout in ſeipſo eſt, ſed quatenus ex effectus, & operibus ſuis ſeſe patefecit. Poteſt tamen Deus ſeſe ſiſtere, & repreſentare hominibus in lumine gratiæ, prout eſt in ſeipſo atque adeo infinitam ſuam majeſtatem patefacere hominibus; id quod neceſſe eſt, ut faciat; alioqui fieri non poteſt, ut quiſquam ex humano genere ſummo ſuo bono fruatur.

Rectè Halenſis, part.3.q.61.memb.1. in reſolutione ad 4. p.249. Actus rationalis creaturæ meritorius(*Actus meritorius à Halenſi, & Scolaſticis eſt, quam Deus acceptat ad vitam æternam*) oporteret, quòd ordinetur ad bonum, quod eſt ſupra naturam, hoc eſt ſummum bonum,& infinitum; quia, ergò, non eſt poſſibilis extenſio rationalis creaturæ ſupra ſeipſam, ideo non eſt poſſibile per naturam, ut ordinet ſuum actum, ſive perveniat ad ſuum finem, & ideo neceſſe eſt, quod juvetur à gratiâ. Hæc Halenſis.

Huc etiam ſpectat diſtinctio ejuſdem Halenſis, part. 3. q. 61. memb. 1. in reſolut. ad 8. Dicendum, quòd duplex eſt, cognitio de Deo, una eſt per effectus ſuos, & hæc eſt ſine gratiâ, alia eſt per præſentiam ſui apud animam, hæc autem non poteſt eſſe ſine gratiâ; primo modo cognoverunt Philoſophi Deum. Notandum tamen, (inquit) quod aliter Deus dicitur eſſe præſens apud animam per inhabitantem gratiam, aliter apud creaturam; ſecundum quod Deus dicitur ubiq; eſſe potentialiter, præſentialiter, & eſſentialiter. Nam Deus dicitur eſſe preſens, apud creaturam univerſaliter, in quantū præſentialiter conſervat eam,& quoniam eſſentia ejus non abeſt creaturæ. Præſens apud animam dicitur, in quantam præſentat, ſive præſentem facit beatitudinem, quæ eſt in ipſo. Atq; hanc beatitudinem poſtea docet adultos, qui ſunt in charitate, habere præſentem, non ſolum in habitu, ut parvulos, ſed in actu affectionis diligendo Deum : non tamen in actu cognitionis, cùm cognoſcant per fidem, quia fides eſt rerum abſentium: Beatos vero habere præſentem, non ſolum in habitu, ſed affectu dilectionis perfectæ, & cognitionis manifeſtæ ſine ænigmate. Hæc ille.

Ex hiſce patet neceſſitas gratiæ, ut homo bono illo fruatur æternæ beatitudinis ad quam appetendam naturali deſiderio fertur.

Secunda ratio ſumitur ex defectu intentionis debiti finis in agendo.

Nemo purorum naturalium viribus juxta ſecundam acceptionem ſupra dictam, abſq; auxilio gratiæ, poteſt intendere debitum finem in agendo. Ejuſmodi ſtatus medius purorum naturalium non eſt dabilis in quo quis condi potuit abſq; gratiâ, & abſq; peccato.

Conſeq patet, quia; ſi nemo in tali ſtatu poteſt purorum naturalium viribus intendere debitum finem humanarum actionum, non poteſt bene moraliter agere, ac pro hoc neceſſe eſt, ut in tali ſtatu peccet; ergò non eſt admittendus talis purorum naturalium ſtatus, in quo abſq; peccato, aut vivitur, aut vivere quis poteſt, Antecedens demonſtratur.

1. Debitus finis, quem homo intendere debet in agendo, & gloria Dei, ſiquidem Deus, & ejus gloria eſt id, propter quod omnia fiunt, *Prov* 16. *Univerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus*, & Apoſtolus hoc in præceptis dat, 1 Cor. 10. *Omnia ad Dei gloriam facite.* Eſt (ergò) Dei gloria id, propter quod creatura rationalis tenetur facere quodcunque facit; ac proinde id, quod in omnibus actibus homo intendere debet, vel actualiter, vel ſaltem virtualiter. Unde is rectè Gregor. Ariminenſis 2 elect. 38. art. 1. Illa ſola intentio eſt recta, & moraliter bona, quâ intenditur, ſeu propter ſe diligitur, quod eſt propter ſe diligendum, ſeu volendum, quale eſt ſolus Deus,

Deus, & ejus gloria: Unde & omnis intentio operantis, quando aliud aliquid à Deo, & ejus gloriâ intenditur, propter se, & non propter aliud, est vitiosa, & culpabilis.

Sed nemo purorum naturalium viribus juxta secundam acceptionem absq; auxilio gratiæ potest sincerè intendere in omnibus actibus suis Deum, & ejus gloriam propter se, & omnia alia propter illum velle, & diligere.

Dices, sine gratiâ potuisse hominem in isto statu purorum naturalium intendere Deum ut finem suum naturalem & ejus gloriam, ut sui, & rerum omnium conditorem, & gubernatorem. Atq; hoc sufficere ad debitum finem, qui intendatur in nostris actibus.

Resp. 1. Insistendo in illâ cognitione Dei, ad quam solis naturæ viribus attingitur, neminem posse certo cognoscere, Deum creâsse se, & totum hoc universum immediatè ex nihilo; cùm ratio naturalis dictat, ex nihilo nihil fieri: Unde & in mysteriis fidei ponitur à Catholicâ Ecclesiâ. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: solis ergò naturæ viribus nemo huic mysterio assentitur, assensu certo, & indubitato absq; lumine gratiæ.

2. Respondeo, distinctionem illam, quam Schola asserit, Deum considerari posse, ut finem naturalem, & supernaturalem, non posse, nec debere admitti in verâ Theologiâ, quemadmodum posteà fusiùs demonstrabo.

3. Dato, non concesso, Deum posse considerari, ut finem hominis naturalem, & etiam supernaturalem; tamen certum est, hominem rectū esse præcipuè ad finē supernaturalem (i.) ad finem, quem non consequimur, nisi per media supernaturalia. Nam, licèt finis, quem homo appetit naturaliter sit summa beatitudo, totum capacitatem appetitûs implens, (in alia enim, quâm in summa beatitudine non quiescit insatiabilitas, & fames naturalis appetitus:) tamen hæc beatitudo non est naturalis quoad consecutionem, nec eam adipiscimur viribus naturæ, sed gratiæ supernaturalis: Quemadmodum anima à corpore soluta naturaliter appetit rursus corpori uniri, quod tamen consequi non potest sine miraculo, absque operatione supernaturali.

Rectè ergò Thomas, 1 Part q. 62. Art. 1. Creatura intellectualis capax est beatitudinis altioris, quàm illius, ad quam solis naturæ viribus attingere potest, nempe supernaturalis, & ad eam à Deo creata est, & idcirco beatitudo illa, quæ naturalis dicitur, non est simpliciter ultima perfectio creaturæ rationalis, sed secundum quid: unde nec implet totum ejus desiderium, quia nec implet totam ejus capacitatem. Unde ad actum moraliter bonum non sufficit, ut intendamus gloriam Dei, & creatoris, & conditoris, sed insuper & finis supernaturalis & beatificatoris per claram & beatificam sui visionem, est enim ille ultimus finis & summum bonum, & summa perfectio creaturæ rationalis. Cùm ergò iste sit ultimus hominis & humanarum actionum, necesse est, ut iste finis intendatur in nostris actibus, aut actualiter, aut certè virtualiter: Unde intentio intermedii finis, sc. Dei, & authoris naturæ, & ejus gloriæ, non sufficit ad actum moraliter bonum, sine intentione vel actuali, vel virtuali ultimi finis. Ultimus enim finis perficit tam agentem, quàm actionem: Medii autem fines non perficiunt nisi per, & propter hunc.

Omnis enim intermedius finis ex ultimo suam accipit perfectionem quod enim in unaquaq; re est præcipuum, est mensura cæterorum. Unde constat absq; præcognitione ultimi finis simpliciter, neminem posse inter medium aliquem finem rectè, & ordinatè intendere: Ergo, nemo potest rectè, & ordinatè intendere finem naturalem, Deum se & sui creatorem, & gubernatorem, & ejus gloriam absque præcognitione Dei, ut beatificatoris, & intentione ejus gloriæ, ut sui glorificatoris.

Tertia ratio sumetur ex defectu perfectæ prudentiæ in dignoscendo modo, & mediis, quibus ultimus finis obtineri potest.

Nemo purorum naturalium viribus, juxta secundam acceptionem supra dictam, potest absq; auxilio gratiæ cognoscere verum morale, & in quovis casu rectè statuere, quid agendum sit, & quomodo ad consequendum ultimum finem, seu desideratam beatitudinem, Ergo.

Ejusmodi

Ejusmodi status medius purorum naturalium non est dabilis, in quo quis condi potuit absq; gratiâ, & absq; peccato.

Conseq. per se patet, quia si nemo in isto statu purorum naturalium viribus,absq; gratia cognoscat verum morale, & quid agendum sit in quovis casu, & quomodo in ordine ad consecutionem ultimi finis; tum talis status purorum naturalium non est admittendus.

Antecedens probatur; Quia nemo solius naturæ integræ viribus instructus potest aut rectè consulere,aut judicare, aut præcipere de mediis ad ultimum finem tendentibus. Neq; enim quisquam hosce prudentiæ actus rectè exercere potest circa media ad finem, ubi ipse finis non præcognoscitur, non cogitatur, non præconcipitur; at finis ultimus hominis, & humanarum actionum,qui est supernaturalis,Deus,sc. clarè visus, solis naturæ,etiam integræ,viribus,non est cognoscibilis, sed gratiæ lumine duntaxat humano intellectui præsentatur: Ergo, Nec intellectus humanus,etiam in statu integro, solis naturæ viribus instructus potest exercere actus prudentiales, consulendi, judicandi, & præcipiendi de mediis in ordine ad ultimum finem.

Dices; Potuisse Adamum integrum vi naturalium actus hosce prudentiales exercere, in quâvis deliberatione, ita ut moraliter boni potuissent esse ejusdem actus in ordine ad finem naturalem, qui naturaliter cognosci, cogitari, & concipi potest, licèt non poterant esse actus meritorii, qui ad Deum clarè visum perducerent.

Resp. Fieri non potest, ut aliqui actus eliciantur, qui sint moraliter boni in ordine ad finem naturalem, qui non ordinentur ad finem supernaturalem. Alioqui sequetur, hominem converti posse ad Deum, & finem naturalem, qui sit aversus à Deo, aut saltem non conversus ad Deum, & finem supernaturalem: at non potest voluntas esse bona, recta,& ordinata in Deum, tanquam in finem ultimum naturalem, & à Deo aversa, in quantum est ultimus finis supernaturalis ordinis, qui tamen est simpliciter ultimus finis, & ultima perfectio rationalis creaturæ, ut suprà diximus è Thomâ. Unde nec actus prudentiales, sive consultandi, sive judicandi, sive etiam præcipiendi, quid factu opus est in quâvis deliberatione, qui est primarius prudentiæ actus; Isti (inquam) actus non sufficiunt ad actum moraliter bonum, nisi eliciantur ex præcognito,& præconcepto ultimo fine supernaturali, qui est simpliciter ultimus finis, & intendantur & ordinentur ad hunc ultimum finem ab operante, aut actu, aut saltem virtute; quod fieri non potest absque auxilio gratiæ.

Dices; tamen Adamum integrum, in statu purorum naturalium juxta secundam acceptationem cosideratum, potuisse solis naturæ viribus, absque auxilio gratiæ, elicere actus prudentiales prædictos, qui sufficiant in quavis deliberatione, ut actus dicatur moraliter bonus, ex objecto, ex genere, ex fine, ex circumstantiis, in ordine ad bonum particulare,& finem proximum, imo & finem ultimum naturalem, v. gr. si Adami integri filius, honore debito afficiat patrem,ex solâ pietate naturali,eumq; actum honorandi patrem præstet, ex intentione honorandi Deum,& authorem naturæ; iste actus erit laudabilis, & moraliter bonus, cùm ordinetur in honorem Dei, ut authoris naturæ, qui finis bonus, & honestus est, etsi non simpliciter ultimus.

Resp. Quamvis ejusmodi actus aliquo sensu, & secundum quid dici potest actus imperfectæ virtutis, & sit actus ordinabilis,quantum in se est, ad ultimum finem simpliciter, ad Deum sc. & finem supernaturalem, authorem gratiæ, & gloriæ, tamen comparatione hujus ultimi finis non est actus moraliter bonus; neque enim sufficit ad actum moraliter bonum simpliciter loquendo, ut sit ordinablilis ad ultimum finem simpliciter, & quantum in se est; sed etiam ex parte agentis, seu operantis referatur actu,vel virtute in Deum ultimum finem super omnia dilectum,dilectione supernaturali, & supremâ, & in ejus honorem ordinetur, & dirigatur.

Nam, ut suprà diximus, intentio subordinati, seu intermedii finis non sufficit ad actum moraliter bonum absq; præviâ intentione aliquâ,vel actuali, vel saltem virtuali (nam habitualis non sufficit) ultimi finis simpliciter,neque enim sufficit ordinabilitas

litas,& referibilitas naturalis ad actum virtuosum,sed requiritur ordinatio moralis ex parte agentis, sive actualis, sive virtualis; alioqui actus non erit moraliter bonus: neq; enim habitualis sufficit,cùm ultimus finis sit,qui perficiat agentem,& actionem. Totus enim ordo moralis pendet ex intentione finis: quod enim in unaquaq re est præcipuum, illud est mensura cæterorum; unde sine præcognitione,& præconceptione ultimi finis, neminem posse medios,& subordinatos fines rectè intendere,& ordinare certum est. Unde, si Adæ filius in statu purorum naturalium honoraret patrem, ex solâ pietate naturali,nec alium finem intenderet,quàm honorem Dei, ut authoris naturæ, non etiam ordinando illum naturalis pietatis actum, actu dilectionis supernaturalis in Deum,ut gratiæ & gloriæ authorem, in Dei,ut beatificatoris,laudem, & honorem,beantis nos beatitudine illâ, quam nec oculus vidit,nec auris audivit,nec unquam in cor hominis intravit, quod præparavit Deus iis, qui diligunt eum: iste, inquam, actus non esset virtuosus; nec moraliter bonus comparatione ultimi finis simpliciter,qui solus perficit agentem,& actum suum,ut dictum est

4 Ratio sumetur ex defectu fidei, non credentis in Deum, & gratiæ, & gloriæ largitorem,

Nemo purorum naturalium viribus, juxta secundam acceptionem suprà dictam, absq; auxilio gratiæ credere in Deum, & gratiæ, & gloriæ supernaturalis largitorem potest;Ergò, ejusmodi status purorum naturalium non est dabilis, in quo quis condi potuit absq; gratiâ, & absq; peccato.

Consequentia patet; quia si nemo purorum naturalium viribus, in isto statu purorum naturalium absq; auxilio gratiæ potest credere in Deum, ut gratiæ & gloriæ largitorem, (quod tamen fide divinâ credere tenemur;) tum ejusmodi status purorum naturalium, in quo quis posse condi fingitur absq; gratia, & absq; peccato non est dabilis, ne in statu integro.

Antec. probatur; siquidem pura naturalia non possunt assurgere ad fidem Dei, ut gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro largitoris, quæ tamen fides est asserenda,quòd verò quibilet homo, etiam Adamus integer,tenebatur credere in Deum,ut beatificatorem, satis, superq; ex sacris literis evincitur. Siquidem sacræ literæ non meminerunt, nisi unius beatitudinis, illius nimirum, quæ consistet in clarâ Dei & beatificâ visionem, quæ quidem supernaturalis beatitudo est, cujus participes sunt electi in cœlis,tum homines,tum Angeli. Etsi enim sunt multæ mansiones in domo patris, ut habet servator. *John* 14.2. & variibeatitudinis gradus, tamen non nisi una existit essentialis beatitudo tum hominum, tum Angelorum, cùm videbimus Deum facie ad faciem, 1 *Cor.* 13. 12. Quam consistit in clarâ Dei visione, & contemplatione. Vid. Estium in 4. Dist. 49. Sect 2. Atque hæc est illa beatitudo, ad quam solam conditi sunt, & ordinati tum Angeli tum homines in prima sui creatione; & quæ sola implet totum creaturæ rationalis desiderium, atque adeo totam ejus capacitatem, ut anteà è Thoma docuimus. 1 part. q. 62 Art. 1. Cum ergò absque gratiâ nemo assurgere potest ad fidem in Deum, & gratiæ in præsenti,& gloriæ in futuro munificentissimû largitorem, omninò sequitur, statum purorum naturalium non esse dabilem, in quo quis condi fingitur absque gratia & absque peccato. Absit, inquit Augustinus, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus; absit autem, ut sit justus verè,nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit,cont. Julian 4 c. 3.

Quinta ratio sumetur ex eo, quod juxta Scripturas non datur tertius status hominum, aut Angelorum. Néque enim sacræ literæ meminerunt, nisi duarum viarum, rectæ, & obliquæ; nec nisi duplicis generis viatorum; non nisi duorum animarum receptaculorum; nec nisi duorum terminorum itineris spiritualis; nec meminerunt status alicujus medii inter summam fœlicitatem, quâ fruentur electi tum homines, tum Angeli, & summam miseriam, quam reprobi sustinebunt. Unde omnes homines, & Angeli, qui beatificâ visione non fruentur, æternis suppliciis addicentur. Sed, si ex solis viribus naturæ absq; auxilio gratiæ, quis sive homo sive Angelus veram virtutem, aut veram justitiam haberet, aut habere potuisset, necessariò esset assignandus post diem judicii medius status inter illos duos in quo pro operibus bonis ex solis naturæ viribus elicitis, & præstitis remunerationem acciperet.

Nam ejusmodi qui ex solis naturæ viribus facit justitiam,non perveniet ad regnum cœlorum; neque enim Deo placuerunt, cùm non habuerunt fidem, sine quâ (inquit Apostolus,) impossibile est placere Deo, qui ac non placent Deo, ad regnum Cœlorum non pervenient, nec ejusmodi addicentur suppliciis æternis, cùm nemo in quo veri nominis justitia est, hisce supliciis destinetur; id enim æquitas divina non patitur; Ergò ejusmodi signandus est locus medius inter damnationem, & regnum cœlorum, ubi talis non erit in miseriâ constitutus, sed in beatitudine quâdum sempiternâ; cujus neque locus, neque ratio in Scripturis sacris invenitur,sed,ut rectè Bajus, in vanis, & otiosis hominibus (juxtà Pelagii sensum) ex Philosophia confingitur, lib. de 1. hom. justit. c. 8.

Et certè, si aliqua opera præstibilia erant ex solis naturæ viribus, mirum est, quod ex tot legionibus malorum Angelorum, qui lapsi sunt, nemo utebatur suis viribus naturalibus ad consecutionem naturalis illius beatitudinis,ad quam pertigisse potuissent solo bono usu bonorum naturalium; sed omnes lapsi fuerunt in sempiternam miseriam.

6. Ratio sumetur ex defectu charitatis.

Nemo purorum naturalium viribus juxta secundam acceptionem supra commemoratam potest absq; gratiâ charitatis elicere actum moraliter bonum, qui sit veræ virtatis opus. Ergò—

Ejusmodi status purorum naturalium non est dabilis,in quo quis condi potuisse fingitur absq; gratiâ, & absq; peccato.

Conseq. patet; quia, si nemo purorum naturalium viribus, absq; gratiâ supernaturali charitatis, potest elicere actum moraliter bonum, qui sit veræ virtutis opus tum ejusmodi medius status purorum naturalium non est fingendus, in quo quis condi potuisset absq; gratia, & absq; peccato.

Antec demonstratur ut aliquis actus sit moraliter bonus, ex genere, ex objecto,& debitis omnibus circumstantiis,atq;adeo sit veræ virtutis actus, necessarium est ut voluntas sit recta,& rectificata, & debito modo feratur ad ultimum finem, at sine gratia charitatis non potest voluntas esse recta, nec ejus volitio rectificata,& ordinata,ut debito modo feratur in ordine ad ultimum finem. Siquidem sola gratia charitatis est quæ ordinat omnes actus virtutis ad ultimum finem, seu ad Deum, tanquam in ultimum finem suprà omnia dilectum propter se; Deus enim est ultimatus finis omnis nostræ voluntatis, & actionis. Quicunque enim vult aliquid, vel vult Deum, vel aliud à Deo; si Deum, & non propter se, sed propter aliud, utitur fruendis,hoc autem Augustino est magna perversitas. 1. Necesse est ergò, ut velit Deum, & quidem propter se ultimatè, qui aliquid bene, & ordinate velit. At absq; gratia charitatis nullius virtutis actus, recte, & inordinatè referri potest in Deum,tanquam in ultimum finem suum dilectum. Finis enim ultimus est mensura cæterorum, & qui perficit tam agentem,quam actionem. Medii enim fines non perficiunt, nisi per, & propter finem ultimum, licèt (ergò) actus aliarum virtutum, putà fortitudinis, temperantiæ, justitiæ, patientiæ, sint ordinabiles in Deum, tanquam in ultimum finem suum suprà omnia dilectum, de facto tamen actu exercito non ordinantur, nisi per actum charitatis, quò diligitur Deus, ut Author illius beatitudinis,quæ in ejus visione consistit Quòd autem omnis actus virtuosus à radice charitatis exurgat, & per charitatem ordinetur in ultimum finem ex Scripturâ, & patribus postea ostendam.

Septima Ratio est Gregorii Arimin: 2 dist:29. art. 1. q. 1. p 95.

Adamus integer solis naturæ viribus precisè sumptis, non potuit agere actum moraliter bonum, aut actum,qui non esset peccatum. Ergò

Nullus status purorum naturalium est dabilis juxta secundam acceptionem, in quò condi potuisset absq; gratiâ; & absque peccato.

Conseq. patet,sc. enim Adamus integer solis viribus naturæ instructus non potuit condi in hoc medio statu, absque gratia,& absq; peccato. Ergò

Nullus status medius purorum naturalium dabilis est, in quo condi potuit absque gratia, & absq; peccato.

Antec. probatur, si enim Adam ante peccatum potuisset per suas vires naturales præcisè, agere actum moraliter bonum, ipse potuisset facere se de non bono bonum, posito quod aliquando fuisset, absque omni actu voluntatis, ex suis tantùm naturalibus; aut de bono meliorem, Deo illum non specialiter adjuvante.

Patet conseq. quoniam quantumcunq; quis agit actum moraliter bonum, si non erat bonus, nec malus, fit bonus; si erat bonus, fit melior, sed consequens est falsum, quia si Adam id potuisset, potuissent & Angeli boni, quod est contrà Augustinum de civit. Dei lib. 12. c 9. ubi sic ait, *Si boni Angeli fuerunt priùs sine bonâ voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt: Ergò meliores a se ipsis, quàm ab illo facti sunt, absit.* Sequitur, *aut si non potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ipse fecerat, quo homo melius quidquam facit; profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non possunt.* Hæc Augustinus, ex quibus etiam verbis probatur consequentia ipso facto.

Nec potest (inquit Ariminensis) dici quod Augustinus intelligat de adjutorio generalis influentiæ tantum, quoniam tunc similiter esset dicendum, quod Angeli non potuerunt, Deo non operante, in se facere malam voluntatem, aut per se fieri mali, quod nullius usus sanctorum admittit; sed ut idem Ariminensis ibid. aliâ ratione probat Adamum integrum per solas naturales vires, absq; auxilio gratiæ, non potuisse actum elicere qui sit moraliter bonus. Si enim potuisset, igitur potuit (inquit) per solas vires naturales servare divinum mandatum & Diaboli tentationi resistere & in rectitudine justitiæ, in quâ factus erat permanere, patet, quia tentante diabolo, potuit velle propter Deum non comedere, sic et contra quamlibet tentationem potuit habere actum moraliter bonum ac per hoc manere in sua rectitudine ac non cadere sed consequens est expressè contrà Augustinum de Nat. & grat. c 47. *Quod ejus libero arbitrio per gratiam sibi primò datum, adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio non maneret,* & iterùm, *Quod Deus dederat adjutorium sine quo etiam cum libero arbitrio non posset esse bonus nec in bona voluntate manere*, & proximè, licet sparsim allegatum est, cap. 49 & insuper inquit Augustinus de corrupt. & grat. c. 11. Si hoc adjutorium, vel angelo, vel homini cum primum facti sunt defuisset quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utiq; suâ culpa cecidisset, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset.

Nunc autem quibus tale adjutorium deest, jam pæna peccati est, quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum. Hæc Augustinus subjungit Ariminensis, expressa est authoritas nec explicari indiget nec applicari, plura adducit Arim. testimonia Augustini huc spectantia. Huc facit illa senten. Prosp. 308. Dem. ex Aug. Epist. 106.

Natura humana etiamsi in integritate illa in quâ est condita permaneret, nullo modo seipsam creaturâ suâ non adjuvante, servaret. Unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit quomodo sine Dei gratia recuperare quam perdidit?

Ex hisce Augustini testimoniis liquidò constat juxta illum, Adamum per solas naturæ vires, ne in statu integro, potuisse, aut servare mandata Domini, aut diaboli tentationi resistere, & in rectitudine justitiæ in quâ factus erat, permanere, aut actum aliquem moraliter bonum, potuisse facere.

5 Ratio, Angelus bonus solis naturæ viribus præcisè sumptis, non potuit actum agere moraliter bonum, qui non esset peccatum. Ergò

Nullus status purorum naturalium est dabilis juxta secundam acceptionem supra dictam.

Conseq. per se patet ut suprà.

Antec. probatur, quia si Angelus bonus potuit suis naturalibus viribus præcisè agere actum moraliter bonum, ipse potuisset discernere se positivè ab angelo alio non agente hunc actum, solis viribus naturæ, posito quod aliquando fuisset absque actu. At Angelus bonus non potuit suis naturalibus viribus se discernere positivè & discriminare ab aliquo angelo non agente per aliquid suum quo non à Deo accepisset, teste Apostolo, 1 *Cor.* 4. 7. *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti, & si accepisti quare gloriaris?* sic enim in hunc modum potest ejusmodi Angelus,

lus, collatione factâ sui cum altero Angelo non agente in hunc modum corum Deo in veritate gloriari, Domine gratias ago tibi quod naturales vires mihi misericorditer contuleris, nempe posse bene moraliter agere, at vero similes æqualesq; vires consocio Angelo contulisti, sed ego super addidi quod tu mihi non dedisti, sc. velle bene moraliter agere, cumq; non amplius receperim quam ille, tamen ego amplius effeci quam ille, cum jam ego actum moraliter bonum egerim, & melior factus sum illo. Itaque non amplius tibi tuæque gratiæ debeo quam ille qui non egit hunc actum, cum egisse potuisset. Hoc autem piæ aures audire exhorrescunt, esset enim maxima superbia ita sentire, & maxima blasphemia ita loqui; sic enim omne bonum non esset ex Deo, sed melius esset quod est ex nobis quam quod est ex Deo, ex nobis enim esset bene moraliter agere, a Deo non nisi posse bene moraliter agere. Hoc argumento utitur Augustin: contrà Pelagium de peccat, merit, & remiss, lib. 2, c. 18. *Si nobis (inquit) libera quadam voluntas ex Deo est quæ adhuc potest esse aut bona aut mala: bona vero voluntas ex nobis sit, melius est id quod a nobis quam quod ab illo; quodsi absurdissimè (inquit) detur, oportet, fateantur Pelagiani etiam bonam voluntatem nos divinitùs adipisci.* Idem August. de virbis Apostoli, Serm 10 explicans illud Psal. 94 *Venite adoremus & prosternamur ei, & ploremus coram Domino qui fecit nos & homines & salvos, nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos, aliquid illo melius fecimus: Melior est enim salvus homo quam qualibet homo Si ergò Deus te fecit hominem, (par ratio est etiam Angelorum,) & tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti melius est. Noli temet extollere supra Deum, subde te, Deum adora, prosternere, confitere sui qui fecit te; quia nemo recreat nisi qui creat, nemo reficit nisi qui fecit.* Hæc Augustinus.

Ex hisce aliquatenus constare possit non dari ullum medium statum purorum naturalium qualis fingitur a Scholasticis; neque ullus status quo non differt homo integer a lapso magis quam nudus a nudato, qui Bellarmino est status purorum naturalium: neque ille alter status qui includit omnem illam rectitudinem quam fluere apta est ex principiis naturæ, absque omni auxilio gratiæ, naturam supra se elevante, eo sensu quo usurpatur status purorum naturalium a Stapletono, Estio, & quampluribus aliis, qui volunt hominem lapsum differre ab integro non solum ut nudatus a nudo, sed ut nudatus simul ac sauciatus a nudo & sano.

Chap. IX.

Proponitur atque refellitur distinctio quâ ea quæ in superioribus sunt stabilita eludere perpetuò conantur adversarii.

SED adversus hæc quæ a nobis dicta sunt perpetuò ingerunt distinctionem illam Dei, quâ considerari potest ut finis naturalis & author fælicitatis cujusdam naturalis, & quâ finis supernaturalis, & author beatitudinis supernaturalis quæ consistit in clarâ Dei visione prout in seipso est, & consequenter distinctionem duplicis dilectionis, unam sc. quâ Deum tanquam creatorem amamus & authorem naturæ, quæ ortum ducit ex libero hominis arbitrio; alterâ quâ Deum tanquam futuræ beatitudinis largitorem diligimus, quæ per sp. sanctum diffunditur in cordibus nostris, & charitas nuncupatur,

At distinctiones istæ absque Scripturis, & absq; veteris Ecclesiæ traditione in aniter finguntur, ut illud aut Scripturis sacris & veterum testimoniis quæ utriq; statui purorum naturalium supra dicto è diametro adversantur, siquidem sacræ literæ, non meminerunt Dei ut finis ultimi hominis, sed duntaxat ut finis quem non nisi auxiliis supernaturalibus consequimur; neque ullius beatitudinis rationalis creaturæ, nisi illius quæ in clara Dei visione consistit; nec ullius medii loci, aut receptaculi animarum meminerunt extrà regnum cœlorum, nec ullius dilectionis Dei, quam illius charitatis quâ Deum tanquam futuræ beatitudinis in cœlis largitorem diligimus;

Nec ullius veræ virtutis nisi illius quæ a fide proficiscitur, & inDei ut futuræ beatitudinis in cœlis largitoris honorem & gloriam actu aut virtute refertur, & a Dei charitate in hunc ultimum finem dirigitur & ordinatur. Deus in Scripturis non describitur ut finis naturalis rationalis creaturæ acceptione scolasticorum, (i.) ut author alicujus fælicitatis naturalis, quæ naturæ viribus obtineri potest, sed semper ut finis quem non consequitur creatura rationalis nisi quatenus per gratiam elevatur supra seipsam. Siquidem non memini ullius fælicitatis nisi illius quæ in clara Dei visione consistit, Mat. 5. Beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt, Joh. 14. Qui diligit me diligitur a patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, Joh. 3. Scimus quoniam cùm apparuerit similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & Apocal. 22. 4. incolæ supernæ Hierusalem videbunt faciem ejus [Dei] 1 Cor. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc a facie ad faciem*, Mat. 18. *Angeli eorum, in cœlis semper vident faciem patris*, quem locum explicans Augustin. lib. 8. de Trin. c. 13. *Ipsa est (inquit) visio, a facie ad faciem, quæ summum præmium promittitur justis.* Ex hisce, & hinc spectantibus scripturæ locis, P. p. & Scholastici fere è consti[t]uant æternam beatitudinem consistere in visione Dei, & summam miseriam in pœnâ damni, & hujus beatitudinis carentiâ; dices hæc vere dici de beatitudine humanæ naturæ, qualis jam est, sed non qualis esse potuit absq; gratiâ. Neq; enim humanæ naturæ ratio neq; simplicis cujusdam innocentiæ integritas requisivit, tantum honori & gloriæ, & in consortium divinæ naturæ & adoptionem filiorum Dei, & in spem, ac participationem gloriæ cælestis, jam in clarâ visione Dei consistit, homo assumeretur, quâ nimirum aut non potuerit esse homo, nisi tali dignitate in creatione suâ præditus esset, aut non potuerit esse rectus & ab omni vitio liber, nisi tam præclaris animi dotibus esset exornatus, tantæq; similitudinis ac societatis excellentiâ Deo conditori suo propinquaret: quare simpliciter & absolute loquendo non naturalis, sed supernaturalis primo homini fuit gratia. Hæc Estius 2. l. 25. Sect. 4.

Resp. Distinguendo de voce, naturalis, ut supra; non semel enim naturale denotat.

vel {
1 Id quod fluit a principiis naturæ.
2. Id quod inest a nativitate ut naturæ debitum bonum quodq; necessarium est, & requisitum ad perfectionem, seu bene esse creaturæ, & sine benè esse non potuit malo carere, ut ejus absentia sit creaturæ malum adeoque vitium & impedimentum consecutionis finis ad quem ordinatur, undecunq; oriatur, sive ex principiis naturæ sive aliunde.
}

Posterior pars habetur ex Dionys. de divin. no. c. 4. & ex Alex. Halens. 3. p. q. 61. m. 1. & Baio de primâ hom. justitiâ.

Hâc distinctione in antecessum porrectâ, dicimus id dici naturale humanæ naturæ, vel quod fluit a principiis humanæ naturæ, vel ex animâ rationali, ut ejus potentiæ, intellectus, voluntas, & sensitivus appetitus, vel ex conjunctio ut visibilitas cui oponitur id quod non fluit a principiis naturæ, sed naturæ super-additum est quod supernaturale dicimus & super naturalem originem habet.

2. Id naturale humanæ naturæ dicimus quod inest a nativitate & naturæ debitum bonum, quodq; necessarium est, & requisitum ad integritatem perfectionem seu bene esse naturæ humanæ, atq; adeo necessarium ut sine eo non potuit malo, & miseriâ carere, & ejus absentia sit humanæ naturæ malum, adeoq; humanæ naturæ vitium, & impedimentum finis ad quem humana natura ordinatur, undecunq; oriatur, sive ex principiis naturæ, sive aliunde, huic acceptioni opponitur donum indebitum & gratuitum, item naturæ vitium, quod naturam vitiat, aut depravat, seu imperfecto vel defectus, juxta hanc secundam acceptionem quæ est Augustini & Dionys. de divin. nominibus, c. 4. & Halens. p. 3. q. 61. memb 1. & Mich. Baii, multa dici possunt naturalia quoad usum quæ supernaturalem habent originem, quomodo ipsa anima

anima rationalis supernaturaliter creatur, licet sit præcipua pars essentiæ humanæ naturæ, sic Peripatetici volunt gravitatem & levitatem non a principiis elementorum fluere, sed generantibus tribuunt, sic restitutio visus, auditus, sanitatis, infirmis multis præservatorem, cujus meminit Evangelium, etsi erat ex potentia supernaturali, nemo tamen dixerit hasce qualitates fuisse supernaturales, aut negavit esse naturales sed harum tantum generationes & restituendi modum.

Atq; hoc secundo modo, gratia in qua creatus est primus homo erat primo homini naturalis licèt a Deo immediatè infusa fuerit supernaturaliter, vel potius concreata; nam gratia juxta hanc secundam acceptionem inerat a nativitate, & homini concreata, inerat etiam & bonum naturæ humanæ debitum, utpote necessarium ad integritatem, perfectionem, & bene esse naturæ humanæ, atq; adeo necessarium ut absq; eo non potuit malo & miseriâ carere; quin ejus absentia humanæ naturæ malum est, nociva erat, adeoq; naturæ vitium & impeditiva finis quem humana natura naturaliter desiderat, quicquid autem ad rei integritatem hoc modo pertinet, sic ut ejus absentia malum sit, & nocivum & finis impeditivum a quacunque causâ perveniat, id omnino naturale esse pronunciandum est & debitum, non autem indebita & gratuita exaltatio humanæ naturæ, etsi supernaturalem originem sortita fuerit, nec a principiis naturæ oriatur aut oriri posset. Meminit Apostolus, 1 Cor. 12. 9, 10, 11. multorum charismatum quas gratias gratis datas indigitant Scholastici, talia sunt, fides miraculornm, dona sanationum, operatio virtutum, seu miraculorum, donum Prophetiæ, discretio spirituum, donum linguarum, istis donis gratuitis absque nostro malo caremus, nec harum carentia humanæ naturæ nociva, aut finis impeditiva est, quem appetit, nec naturæ humanæ hæc dona aliquo modo debita, quin potius naturali hominis integritati gratuitò & indebitè superaddita. At de originali justitia etiam quæ gratiam complectitur longe aliter pronunciandum: siquidem hæc originalis rectitudo in qua conditus est primus homo adeo necessaria erat ad consequendum illum finem quem naturaliter appetebat; est autem iste non alius quam Deus clarè visus) ut plane dicendum sit, hanc naturæ humanæ debitam esse, ejusq; carentiam, malam, & nocivam homini.

Ad rationem ergò G. Estii respondeo, Cum cujusq; creaturæ ac proinde humanæ naturæ, bene esse æstimanda sit ex fine creaturæ autem rationalis ratio exigit, ut ultimam suam perfectionem naturaliter desideret asserente Thoma, 1. l. 62 art. 1. quia non alia est quam beatitudo illa quæ in beatifica visione consistit, siquidem naturalis hominis appetitus non quiescit, donec ad summum & perfectissimum cognoscibile perveniat (i.) ipsum Deum, ille enim solus appetitum ejus perfectè satiat & usquequaque implet totum desiderium; imò totam ejus capacitatem: unde illud Augustini celebre dictum Confess. 1. c. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec acquiescit in te.* Ideo simplicis cujusdam innocentiæ integritas non sufficit humanæ naturæ, sed talis integritas ubi nihil deerit quod requisitum fuerit ut expleatur naturalis appetitus, & finis desideratus obtineatur, talis autem integritas non habetur absque gratiâ naturam supra se elevante.

Ac quanquam homo potest esse homo absque tali integritate quod essentialia hominis, non tamen rectus esse potuit rectitudine morali & illâ cujus meminerunt sacræ literæ, nec ab omni vitio liber, qui dictâ integritate careat, cum talis integritas necessaria sit ad bene esse hominis, ut sine illâ non potuit malo & miseriâ carere. Hinc est quod Augustinus disertè dicit, vitium esse naturæ Angelicæ quod non adhæreat Deo, atq; hinc apertissime declarari ejus natura ut Deo adhæreat, convenire de Civit. Dei, lib. 12, c. 1 & paulò ante eodem cap. Hinc natura *Angelica* quæ in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono (i.) summo Deo beatitudinem consequitur, nec expleat indigentiam suam. Nisi ut sque beata sit, eisque expleatæ non sufficiat nisi Deus: profectò non illi adhærere vitium est, omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc naturæ contrarium est. Vide supra.

Ex hisce constat appetitionem æternæ beatitudinis esse naturalem ad eámq; ferri homines naturaliter, non tamen naturam solis suis viribus posse ad hanc beatitudinem attingere, sed necesse esse ut per gratiam supernaturalem elevetur ut hunc finem consequatur;

consequatur; ac per hoc beatitudinem esse essentialiter suprà sphæram naturæ licet naturaliter appetatur. Quare simpliciter loquendo dicendus est iste finis naturalis, licet non nisi viribus gratiæ naturâ excedentibus adipiscibilis, eo modo quo dicimus, visum, auditum, sanitatem corporis, aliasque qualitates ad hominis integritatem necessarias, quas quibusdam natura non contulit, sed ut legimus in Evangelio Christus D. miraculosè restituit, nemo supernaturales vocat, aut naturales esse negat, sed earum generationes & restituendi modum.

Qui verò præter illam in cœlis beatitudinem aliam confingunt beatitudinem naturalem, & alium hominis finem naturalem, sive illa sit investigatio omnis veri naturalis, ut vult Bellarminus, sive contemplatio Dei in creaturis, ut Estius, sive aliam, ab hac, beatitudinem, quâ Deo fruimur ut authore naturæ, frustra hæc comminiscuntur, cum nec Scriptura, nec Ecclesiæ traditio alterius meminit, quam illius cujus supra meminimus.

Unde porrò inferimus, Cultum illum duplicem veri Dei, qui à nonnullis confingitur; quorum altero Christiani, ex supernaturali charitate, Deum tanquam objectum beatitudinis & meritorum remuneratorem pro regno cœlorum consequendo fructuosè & meritoriè colunt: Altero vero alii ex naturæ viribus solum Deum tanquam naturæ authorem, pro accepto beneficio creationis tantò steriliùs colunt, quanto minorem in suo cultu remunerationem spectant,

Duplex, inquam, ille cultus:
1. Unus ex supernaturali charitate colendi Deum fructuose & meritoriè ob regnum cœlorum.
2. Alter, ex naturæ viribus colendi Deum, ut authorem naturæ steriliter ob naturalem quandam fœlicitatem.

Duplex (inquam) iste cultus non est admittendus. Cum omnia officia generis posterioris, ubi Deus non colitur ex charitate, nec ex spe adipiscendi regnum cœlorum, sit cultus falsus & fictitius, nec talia officia a peccato excusari possunt, nec veræ virtutes sunt, sed virtutum simulationes, & vitia virtutes imitantia, sicut ex professo docet Prosp. lib. 3. de vitâ contemplativa, c. 1. ubi de verâ virtute agit, & ejus a virtutis simulatione discretione, ex iisdem etiam principiis deducimus, vanam esse illam distinctionem Scholasticorum quo contendunt duplicem esse Dei dilectionem.

1. Unam quâ Deum ut beatificatorem diligimus, quæ charitas dicitur.
2. Alteram quâ Deum ut creatorem diligimus quæ ex libero arbitrio ortum ducit.

Contra Augustinus passim, Enchirid: c. 117. regnat carnalis cupiditas ubi non est charitas. Idem August. 1 Retract. 15. *Voluntas in tantum libera est (inquit) quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas; alioqui tota cupiditas est, quæ voluntas propriè nuncupanda non est, quæ non est aliena naturæ additamentum sed nostra vitiva a qua non sanamur nisi gratia salvatoris, dum ait voluntatem, dum liberata non est, totam esse cupiditatem, quid aliud significat quam voluntatem, dum charitas non est, totam esse cupiditatem.*

Resp. Bellarm, lib. 5. de gr. & lib. arb. c. 11, *Loqui Aug. de voluntate, ut voluntas significat potentiam non actum.*

Sol. At Aug. alibi lib. 2, de pec. merit. & Remiss. c. 18. ait voluntatem bonam in iis bonis esse quorum usus non potest esse malus, quod de ipsa potentia intelligi non potest, quia ipsa in iis bonis est, quibus benè & malè vivitur ut docet hic sup. c. 9. sed solum de actu id quod expressè docet de pec. mer. & remis. 2. c. 18. *Quòd a Deo nos avertimus inquit (i.) nostrum est & hæc est voluntas mala, quod vero ad Deum nos convertimus nisi ipso excitante & adjuvante non possumus & hæc est voluntas bona.* Hic per bonam voluntatem non potentiam rationalem appetendi, sed actum volendi seu ipsam bonam volitionem denotat; nam potentia rationalis volendi potest esse bona vel mala. Accedant alia loca Augustini huc spectantia. Et in Psal. 9. Res animæ amor

mor est qui si pravus est, dicitur cupiditas, vel libido; si rectus dicitur charitas est in *Ps.* 3. amor Dei, amor proximi charitas dicitur, amor mundi, amor sæculi cupiditas, & lib. 9. de Trin. cap. 8. *Amor mundi cupiditas, amor Dei charitas*, Hisce locis non aliam dilectionem bonam agnoscit Augustinus, quam charitatem.

Quin & Augustinus non re, aut origine sed de solo duntaxat nomine, vult amorem Dei creatoris, distingui ab amore Dei beatificatoris, unde lib. 4. con. Julian. cap. 3. *Amor Eco quo pervenitur ad Deum non est nisi a Deo patre per Jesum Christum cum sp. sancto; per hunc amorem creatoris, inquit, bene quisque utitur etiam creaturis, sine hoc amore creatoris, nullus bene utitur creaturis*, & lib. 9. de Trin. cap. 7, & 8. *Verbum amore concipitur, sive creatura, sive creatoris: Ergò aut cupidate aut charitate, non quod non sit amanda creatura, sed si ad creatorem refertur ille amor, jam non cupiditas sed charitas erit.* Item lib. 50. Homiliarum, Homil. 34. *Amor mundi adulterat animum, amor fabricatoris mundi sanctificat animum.* Hic non distinguit Augustinus inter amorem creatoris, & beatificatoris, sed utrumq; charitatem appellat, quia quemadmodum Deus non aliâ re creatur, alia verò beatificatur, sed una, & eadem, nempe suâ essentiâ: sic nec alia est creatoris, alia vero beatificatoris dilectio, sed una & eadem, licet ferè hæc nominis diversitas, diversa Dei beneficia insinuet, quibus merito ad amorem Dei provocemur. Leo Sermon. 5. de jejunio 7. mensis. Duo sunt amores ex quibus omnes prodeunt voluntates; rationabilis enim animus qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.

Néque alicubi Augustinus agnoscit ullam bonam dilectionem ex solis viribus naturæ ortam, nec aliam charitatem, quàm illa quæ fundatur in meritis Christi, lib 21. de Civit. Dei, c. 16. *Nunc itáque vitia ista deputanda sunt* (inquit) *cum Dei amore vincuntur; quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per mediatorem Dei & hominum, Jesum Christum, charitas. Ergo, juxta Augustinum, non donatur, nisi per & propter meritum Christi; & cont. Julian, lib. 4 c. 3. compellans Julianum. Introducis hominum genus qui sine fide Christi placeat Deo, hoc est, unde te maxime delectatur Ecclesia Christiana; per fidem Christi intelligit fidem per dilectionem operantem, ut sese explicat.* Et cont. Julian, lib. 5. c. 5. *Hoc totum recte fit quando fit propter ipsum*, (i.) *quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso.* Si omnis amor sit à Deo, ubi amor ortus ex libero arbitrio? Et epist. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Nulla ergò dilectio Dei superstes post lapsum absque gratiâ.

Prosp. de vocat. Gentil. lib. 1. c. 1. Voluntas humana, sine sui authoris participatione, in terrenis occiduisque versatur.

Ex hisce testimoniis antiquorum satis constat, ex eorum sententiâ nullam fœlicitatem naturalem, præter illam quæ est in cœlis & beatifica visione consistit, esse dabilem, nec alium hominis finem naturalem, nec alium cultum Dei ex naturæ nostræ viribus ortum, quo colitur Deus ut author naturæ, ut alio quam illo qui fit ex supernaturali charitate ob regnum cœlorum; nec etiam esse Dei ut creatoris dilectionem aliam ab illa qui est Dei ut beatificatoris.

Ex hisce dictis refellitur distinctio Julian: apud Agust. lib. 4. cont. Julianum, c. 3. quæ dixit omnes virtutes in animo sitas, esse effectus per quos boni sumus,

{ Fructuose
aut
{ Steriliter.

1. Fructuosè boni sumus, juxta Julian. cum pro judicio voluntatis cujus nutui serviunt ad æterna diriguntur.

2. Steriliter boni cum ad temporalia diriguntur, & addit, Nec nominis sui possunt, nec generis sustinere dispendium (veras enim virtutes esse vult utrásque,) sed solius quod appetiverunt præmii, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur, hoc Julian recte respondet August. p. 402. *Fieri non potest ut steriliter boni simus, boni enim non sumus* (*inquit*) *quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona, bonos fructus facit. Absit* (*inquit*) *ut Deus bonus a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excindat & in ignes mittat arbores bonas; nullo igitur modo, inquit, homines sunt*

steriliter,

sterilitèr boni, sed qui boni non sunt possunt esse alii minùs, alii magis mali, ergò juxta Augustinum, nulli sunt steriliter boni, sed omnes fructuosi. Et postea pag. 409. *Sterilium arborum fructus, aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt, aut si fructus boni sunt profecto steriles arbores non sunt, imò & bonæ sunt, quarum fructùs boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere;* Juxta Augustinum, non datur medium genus hominum inter bonos fructuosè, & malos, non steriliter boni, ut contendit Julianus. Nec inter arbores bonas fructuosas, & malas, datur medium genus bonarum sterilium, nam securis paratur arboribus non facientibus fructus bonos, & absit ut Deus bonus excindat & mittat in ignem arbores bonas. Vid locum Aug de peccat, merit, & remiss. 2. c. 18. sup. p. 72.

Huc accedat confessio ingenua. B. Medinæ in 12. q. 109 art 2. qui etsi contendat cum Bellarmino hominem in puris naturalibus constitutum non magis differre ab homine in statu lapsus, quam differt nudus a nudato, tamen quæ sit fælicitas illa hominis in puris naturalibus constituti, fatetur, vix designari posse, imò videtur asserere ejusmodi hominis statum potius miserum esse & infælicem, tantum abest ut in statu fælicitatis aliquo constitui posse dicatur, idque quibusdam rationibus adductis, quas non solvit, asserere videtur.

1 Siquidem intellectus, inquit, hominis suapte natura inclinatur ad omne verum cognoscendum, & per solius naturæ vires nequaquam potest consequi totius veri cognitionem, unde non potest habere naturalem fælicitatem ad cujus statum talis cognitio maxime conducit.

2 Voluntas, inquit, suapte naturâ inclinatur ad omne bonum rationi consentaneum, hoc autem in illo statu adipisci non potest, ergo in illo statu beatitudinem consequi non valeret. Alias rationes adducit, quibus contendit absq; dono gratiæ hominem in puris naturalibus conditum, necessariò infælicem fore; quippe cum ille status nesciat reconciliationem cum Deo, aut liberationem a peccato, in quod necesse est incidere hominem; quippe cum per vires naturales non possit legem Dei adimplere. Idem Medina eodem in loco vult, tamē Augustinum admisisse statum purorum naturalium juxta secundam acceptionem supra a nobis positam, ac juxta eam potuisse habere fælicitatem quandam naturalem, inferiorem illâ, quæ consistit in beatificâ visione, in quâ absq; omni crimine & peccato esse potuit, sed nos supra pluribus testimoniis ex Augustino potitis evicimus, illum, nullum ejusmodi medium statum agnovisse.

Restat ergò, ut dicamus primò humanæ naturæ conditionem exigere, ut nihil prius ab homine aut cognoscatur, aut colatur, aut diligatur, quam Deus, utpote qui hominis sit summum bonum; ac idcircò propter Deum alias res omnes à Deo, desiderari ab homine ac diligi oportere.

2. Ut dicamus ipsum donum originalis justitiæ homini collatum esse, ut potens esset simpliciter declinare à malo, & facere bonum, & absque hoc naturam humanam non posse præstare actiones ejus proprias & principales, circa objecta ejus principalia; ac proinde justitiæ hujus privationem, privare hominem omni potentiâ cognoscendi, amandi, timendi, colendi, aut glorificandi Deum, ut Deum, imò potentiâ faciendi quicquam bene moraliter, aut faciendi quicquam quod non sit peccatum, ut habet doctiss. Field. in Append. lib. 3. p. 255. Si enim gratia homini cum primò conderetur non collata fuisset simpliciter ad benè operandum; sed potuisset homo benè operari solis viribus naturæ absque & ante additamentum gratiæ, tum ex ejus absentia & carentia non contracta fuisset illa impotentia bene agendi post lapsum, quam omnes experimur. Et hinc est quod ab ipsis malis angelis ablata sit omnis rectitudo moralis concomitanter ad privationem rectitudinis supernaturalis, quam primariò induxit eorum peccatū; omnis cognitio, sc. practica veri moralis, & omnis rectus amor morali rectitudine circa finem, & circa media ad finem conducentia, ut rectè D. Banner in 1 pag. q. 62. artic. 1. dub. 1. col. 890. B. Idipsum etiam pariter philosophandū homine hominem, post lapsum sese privâsse omni rectitudine morali, tum cognitione practicâ veri moralis, tum omni potētia volendi aut faciendi bonum morale. Etsi enim velle & facere potest, quod sit bonum ex genere, ex objecto, & officio non tamen debitum finem intendere potest nec debito

bito modo versari circa hunc finem & media ad finem, nec adhibere debitas circumstantias ratione, loci, temporis, personarum & id genus alia, præ ignorantia agendorum quam ex peccato contraxit in intellectu ex aliis vulneribus voluntatis & appetitus sensitivi supra commemoratis.

Atque hinc intelligi potest quam turpiter errant Romanenses cum statuant originalem justitiam non fuisse collatam primo homini simpliciter ut malum vitet & bonum faciat, sed duntaxat ut collective constanter & meritoriè omne malum vitet, & omne bonum faciat; ac proinde originalis justitiæ privationem non privare hominem omni potentiâ vitandi malum & faciendi bonum, sed tantum potentia faciendi omne bonum & vitandi omne malum collective & meritorie. Unde volunt hominem solis viribus naturæ, absque omni auxilio gratiæ post lapsum posse vitare singula peccata, non urgente gravi aliqua tentatione, & facere multa opera moraliter bona absque ullo culpabili defectu.

At certum est ex supra dictis ipsum donum originalis justitiæ collatum fuisse homini, ut potens esset simpliciter declinare à malo & facere bonum, & absque hac naturam humanam non posse præstare actiones ejus proprias & principales circa objecta ejus principalia, ac proinde justitiæ hujus privationem privare hominem omni potentia cognoscendi, amandi, timendi, colendi, & glorificandi Deum, ut Deum, imò omni potentia faciendi quicquam benè, etiam moraliter, aut faciendi quicquam quod non sit peccatum, ut egregiè docet Augustinus in celebri illo cap. 3. lib. 4. contra Julian. Pelagianum ex cujus messe illo loco, paucas spicas collegisse, operæpretium duxi, sic (ergo) ille 11. 397. *Absit ut sit in aliquo vera virtus nisi fuerit justus, absit autem ut sit justus verè nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani ——— justum dixerit infidelem, justum dixerit impium justum dixerit Diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabricius, sit licet, Fabio, sit, licet Scipio, sit, licet Regulus; quorum me nominibus tanquam in antiquâ & Romanâ curiâ loqueremur, putasti esse terrendum.* Hic disertè Augustinus nullam veri nominis virtutem aut justitiam agnoscit ubi non ex fide vivitur. Per virtutem & justitiam intelligit Augustinus, virtuosam & justam actionem, ut sese sæpius explicat, hoc ipso in capite & per fidem, fidem per dilectionem operantem, ut sese explicat bis ad finem capitis. Mox in eodem cap [verum tu (*compellat Julianum.*) in hac causa etsi ad scholam Pythagoricæ provoces vel Platonis, ubi eruditissimi ac doctissimi viri multo excellentiores cæteris philosophiæ nobilitate veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodam modo imprimuntur a formâ illius æternæ & immutabilis substantiæ, quod est Deus, etiam ilic adversus te quantum donat, qui nos vocavit pietatis libertate clamabo: nec in istis est vera justitia quia justus ex fide vivit, fides ex auditu, auditus per verbum Christi, finis legis Christus ad justitiam omni credenti.] Hic August. Pythagoriorum & Platonicorum virtutes, quas ipsi a Deo imprimi menti humanæ agnoscebant, veras esse virtutes inficiebatur quia ipsi fide in Christum destituebantur, ac proinde veri nominis justitiam habere non poterant, & mox Christus gratis mortuus est; si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram, quacunque re alia, quacunq; ratione perveniant, prorsus sicut de lege verissimè ait Apostolus, *Si per legem justitia*, (ergò) *Christus gratis mortuus est, ita* verissimè dicitur. *Si per naturam voluntatemque justitia, ergò Christus gratis mortuus est.* Hic appertè docet, per naturam & voluntatem (i.) per vires naturales, neminem posse justè agere absq; fide Christi, atque hoc ipsum asserere non aliud esse quam mortem Christi prorsus evacuare.

Et p. 399. *Justus ex fide vivit, ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & justè, ac per hoc his ominibus veris virtutibus rectè & sapienter vivit, quia fideliter vivit.* Videtis ad prudenter, fortiter, temperanter justeq; agendum & vivendum, exigere Augustinum fidem vivam, (*i.*) per dilectionem operantem; & mox. *An placet tibi ut veras virtutes avarorum, esse dicamus, cum lucrorum vias prudenter excogitant? cum pro acquirendâ pecuniâ sæva atque aspera multa fortiter tolerant? cum varias cupiditates quibus sumptuosè vivitur, temperanter sobrieq; castigant, cum abstinent ab alieno, de suo sæpe amisso contemnunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis,*

& judiciis plura consumant, cum enim agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, juste, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem (alloquitur Julianum) vera virtutes sunt, sed ad cognoscendum utrum vera sint, hoc tantummodo intuetur, quod agitur, nec causa quarenda est cur agatur. Hic ostendit Aug. avaros sæpe videri multa prudenter, forti er, temperanter, & justè agere si solum intueamur quod agitur, at longe aliter se rem habere si quæratur cur agitur, & quâ intentione hoc vel illud agant, ut pulcherrimè in sequentibus fusè docet, ubi subjungit falli Julianum, vitiorum veri similitudine, quæ finitima videntur & propinqua virtutibus, cum absint ab iis quàm longe à virtutibus absunt vitia.

Et mox, *Noveris itaque non officiis sed finibus a vitiis discernendas eas virtutes officium est quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est, cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet peccare convincitur. Quæ tu non attendens fines ab officiis separasti & virtutes veras officio sine finibus appellandas esse dixisti, ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cujus Dominam reperêris avaritiam. siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitia, sed cum quaritur quare fiat, ut respondetur ne plus pecunia litibus pereat, quomodo jam hoc factum vera poterit esse justitia cum serviat avaritia? At absit inquit, ut virtutes vera cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Ps. 79.* Ex hisce sat s constat, juxta Augustinum, necessariam esse distinctionem actuum, seu officiorum & finium, nec actibus sed finibus pensanda esse officia, ut postea ait, nec esse virtutes ubi officia præstantur, sed non propter Deum; unde subjungit, quicquid boni fit ab homine et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcepit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine, peccatum est.

p. 407 Si Gentilis (inquit compellans Julianum,) *Nudum operuerit, nunquid quia non ex fide peccatum est? Prorsus (inquit, Aug:) in quantum non est ex fide peccatum est non quia per se ipsum factum, quod est, nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum* Hic Augustinus opera misericordiæ a Gentilibus præstita, peccatis accensenda esse pronunciat; non quod ex genere, aut objecto, aut officio sunt peccata, sunt enim bona quoad actus substantiam, sed quoad modum, quia non ex fide, nec ad gloriam Dei, non bene fiunt, ac proinde non sunt actus simpliciter boni, sed mali, dicendi, cum mala sit actio ex quolibet defectu, quomodo homo diciter æger, ex quolibet morbo.

Ex dictis satis constare arbitror, juxta Augustinum hominem, lapsum non posse solis naturæ viribus actum aliquem præstare moraliter bonum, cui non insit culpabilis aliquis defectus, absq; auxilio gratiæ, ac proinde cum ex absentia & carentia gratiæ homo lapsus contraxit impotentiam bene agendi simpliciter, ergò & ante lapsum non potuit bene operari moraliter, ex solis naturæ viribus absque additamento gratiæ. Ostendimus in superioribus prælectionibus hominem lapsum, ex carentia gratiæ contraxisse impotentiam bene agendi simpliciter, unde consequenter intulimus hominem integrum ante lapsum non potuisse bene operari moraliter ex solis viribus naturæ absq; gratia. Ostendimus item non dari nec dari posse statum illum purorum naturalium in quo creatura rationalis condi potuisset absq; omni gratia, seu ut Bellarm. loquitur in statu medio, absq; justitia absq; peccato, c. 7. de grat. prim. hom. quæ fusiùs disputavimus ratione quinquaginta supra adductâ, quâ asseruimus justitiam Originalem necessariam fuisse ad naturæ humanæ integritatem, ac suo modo debitam ac proinde non fuisse indebitam naturæ humanæ exaltationem, ut contendunt Jesuitæ.

Atque ita ex tribus quæ initio tractanda proponebamus, duo absolvimus; nam primò fundamentum dogmatis Jesuitici de origine concupiscentiæ, & indebita naturæ humanæ exaltatione concussimus.

2. Dogma hoc variis argumentis impugnavimus, ubi etiam vindicavimus argumenta quæ proponuntur ut nostra ab objectamentis Bellarmini,

3. Jam superest ut argumenta refellamus, & quidem primò ea quæ a Bellarmino proponuntur lib. de gratia prim. hom: c. 6.

CAP.

Cap. X.

Refelluntur Argumenta a Bellarmino Proposita (lib: de gr. prim: hom: c. 6.) primò autem ea quæ petuntur ex Scripturis.

UBi tamen ut rectiùs occurramus argumentis, repetenda est distinctio cujus non semel meminimus suprà, vocis naturalis. Naturale enim denotat

vel
1. Quod fluit a principiis naturæ.
2. Quod naturæ concreatum est, ut bonum naturæ debitum, eamq; intrinsicè perficiens, quodq; necessarium est ad bene esse creaturæ rationalis, ut sine eo bene esse non potest, aut malo & miseriâ carere, cujus absentia est creaturæ nociva, & mala, adeoq; vitium creaturæ & impeditivum consecutionis finis ad quem creatura ordinatur.

Juxtà primam acceptionem dicimus, potentias animæ, intellectum, voluntatem, memoriam, appetitum sensitivum in homine fluere a principiis animæ rationalis ac proinde animæ naturales esse. Dicimus etiam risibilitatem fluere a principiis hominis, sed a conjuncto, naturali quadam immanatione, ac proinde homini esse naturalem.

Juxtà secundam acceptianem dicimus Originalem rectitudinem seu justitiam esse homini naturalem, quatenus est bonum homini concreatum, bonum humanæ naturæ debitum eamque intrinsicè perficiens; bonum necessarium ad bene esse rationalis creaturæ, & sine eo benè esse non potest, aut malo & miseriâ carere: huic opponitur malum seu vitium creaturæ, aut quodcunque creaturæ nocivum est, seu quod est contra naturam, item id quod est mere indebitum & gratuitum; dicimus etiam hanc rectitudinem originalem, bonum ordinis, siquidem rectitudo existit in partibus cum inter se, ordinem habentibus, a quo totum quod ex illis constat, rectum dicatur; primi hominis autem rectitudo in tribus consistebat.

1. In eo quod pars animæ superior (i.) intellectiva Deo perfectè subjiceretur & adhæreat; mens quidem per perfectam Dei legisq; ejus notitiam; voluntas autem per plenam obedientiam, & quidem hac parte, justitia originalis comprehendebat gratiam cujus est proprius effectus & officium, mentem & voluntatem hominis per scientiam & amorem, Deo conjungere atq; subjicere.

2. Consistebat in eo quod partes animæ inferiores (i.) appetitus sensitivus tam concupiscibilis quam irascibilis, sine ulla pugnâ aut rebellione superioribus, subjicerent, intellectui, & voluntati.

3. In eo quod omnia corporis membra voluntati seu rationis imperio ad nutum subservirent, ita ut sicut nullus exurgeret motus in parte inferiori animæ contra rationem, ita nec in ullo corporis membro.

Hæc triplex rectitudo in toto homine ex partium, ac potentiarum, ejus ordine atq; optimâ dispositione consurgebat. Atq; hinc homo secundum partes & potentias suas, ita fuit ordinatus, ut absolutè justus, ac rectus diceretur, utpote nihil habens in se inordinatum, curvum, aut vitiosum.

Hanc autem rectitudinem totam jure pronunciamus esse naturalem, undecunq; oriatur, sive a principiis naturæ, sive aliunde, imò etiamsi supernaturalem sortita fuit originem: Non enim hic tam attendendum est ad ortum hujus rectitudinis quam ad finem & usum; omne siquidem bonum creaturæ rationali concreatum debitum, eam intrinsicè perficiens, & ad ejus bene esse necessarium, ut sine eo creatura naturalis bene esse non potest, aut malo & miseriâ carere, illud meritò naturale dicitur, sive ex principiis naturæ oriatur, sive etiam supernaturalitèr indatur, non autem indebita & gratuita creaturæ exaltatio. Vide supra.

Hisce prælibatis cuilibet constare possit, quam dolosè imò quam falsò explicatur status quæstionis a Bellarmino ; ubi enim quæritur an rectitudo Originalis fuerit primò homini naturalis, ille quæstionem tantum intelligi vult de eo quod naturale dicitur, quod aut sit pars naturæ aut fluat a principiis naturæ, cui opponitur supernaturale quod supernaturalem ortum habet. At hic non tam quæritur de ortu hujus rectitudinis, an fluat a principiis naturæ, quam de fine & usu hujus rectitudinis, an scilicet sit bonum naturæ cui inest debitum ? an intrinsecè eam perficiens ? an ad bene ejus esse necessarium ? an sit ejusmodi bonum, ut ejus absentia sit nociva, & malum seu vitium naturæ? undecunque oriatur sive ex principiis naturæ, sive aliunde, etiamsi supernaturalem sortita fuerit Originem, vide sup.

Jam tertio in loco occurrendum est argumentis quibus Bellarm. conatur stabilire proposit. 4. quæ in hunc modum sese habent.

4. Rectitudo illa cum quâ Adam creatus fuit, & sine quâ post ejus lapsum omnes homines nascuntur, donum supernaturale fuit. Hujus propositionis veritatem astruere conatur, c. 6. lib. de grat. prim. hom.

1. Ex Scripturis.
2. Ex patribus.
3. Ratione.

Ubi præmittit in antecessum testimoniis omnibus (inquit) nostram sententiam confirmari quæ vel ostendunt integritatem primi hominis fuisse supernaturalem vel certe donum aliquod supernaturale fuisse primo homini collatum.

Resp. Sed respondeo ex nostro capite concludi id quod jam controvertitur, nam 1. dato, non concesso, integritatem primi hominis in Scripturis aut Patribus dici supernaturalam quoad originem ; non tamen hinc inferri potest non fuisse naturalem ratione finis & usus, cum certum sit hanc integritatem fuisse naturæ humanæ debitam, eamque intrinsicè perfecisse, & ad hominis bene esse necessariam, imò medium fuisse ordinatam & necessarium ad consecutionem æternæ beatitudinis, quam homo naturaliter appetit, ejusque carentiam homini & malam & nocivam esse. Quomodo ergo non naturalis dicenda est eo sensu quo hic quid naturale sit pronunciandum est. Alioqui pariter pronunciandum est animam rationalem non esse naturalem homini, licet sit forma hominis & præcipua pars hominis ; nam & ipsa supernaturalem habet originem ; non enim educitur è potentiâ materiæ, sed immediatè ex nihilo creatur, quam creationem non agnoscit natura. Legimus in Evangelio Mark 10. 46. Christum Dominum Bartimæo cœco restituisse miraculosè visum, modus restituendi fuit supernaturalis, non enim mediis naturalibus, sed potentia supernaturali restitutus erat, nemo tamen dixerit visum quem Christus restituit fuisse supernaturalem, sed naturalem esse hominis facultatem, utpote humanæ naturæ debitam, naturam perficientem, & ad bene esse necessariam, & cujus absentia ei fuit malum nocivum. Pessimè (ergò) Bellarm. astruit sententiam suam confirmari omnibus iis testimoniis quæ ostendunt integritatem primi hominis fuisse supernaturalem ; nam ut demus maximè fuisse supernaturalem, quatenus non ex naturæ principiis fluxit, sed supernnaturaliter indita fuit, tamen non naturalis fuerit ratione finis & usus, absolute loquendo dicenda est qualitas naturalis, non supernaturalis, quomodo diximus tum animam rationalem Bartimæi tum visum ei restitutum supernaturalia quoad actum, licet non quoad finem & usum.

Hinc etiam secundo inferimus, nec ex illo quod donum aliquod supernaturale primo homini fuit collatum juxta Scripturas & patres, inferri potuisse rectitudinem primævam, fuisse, indebitum, & gratuitum donum, præsertim juxta illorum Scholasticorum opinionem, qui grtiam gratum facientem ab originali rectitudine distinguunt, in quibus sunt Halensis, Bonaventura, & alii, qui licet gratiam gratum facientem fuisse donum indebitum primo homini & gratuitum asserunt, non tamen justitiam & rectitudinem originalem. Hanc enim licet non à principiis naturæ fluxisse asserunt tamen hominis primi naturalem fuisse qualitatem contendunt. Quare testimonia quæ profert Bellarm. si non alio spectant quam ut ostendant integritatem

tatem primi hominis fuisse supernaturalem vel certè donum aliquod supernaturale primo homini fuisse collatum, non militant contra nostrram assertionem, ut ex dictis satis constare possit, videamus tamen singula quæ profert, & quidem primò ex sacris literis.

Primum igitur, inquit, Sacræ literæ, quid ex conditione suæ naturæ sit homo, indicant his verbis, Gen. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, hæc enim (inquit) est sententia illorum verborum. Quanqam te valde gloriosum mea benignitate effecerim ita ut possis néque mortem néque mala ulla formidare, tamen ex natura tua pulvis eras, mortalis, fragilis, doloribus, laboribus, obnoxius, & quia dono meo superaddito culpa tua spoliatus es, & in statum tuum naturalem cecidisti, ideo nunc etitiam *pulvis es*, *& in pulverem reverteris*, quasi diceret, Primus homo natura erat pulvis (i.) Bellarm. interprete, mortalis; Ergo, integritas ipsi non fuit naturalis.

Resp. Primo ad antecedens, primum hominem non simpliciter, nec quoad omnes essentiæ partes sed tantum quoad corpus dici pulverem, neq; enim anima ejus ex pulvere facta est: proinde etsi homo, dato, non tamen concesso, naturâ pulverius & mortalis erat, ratione materiæ ex qua conditus est, quoad animum tamen rectitudo ei naturalis esse potuit.

2. Etiamsi dicamus corpus primi hominis quod ex pulvere terræ fuit formatum, potentiâ remotâ fuisse mortale, tamen nec actu nec potentiâ proximâ fuit mortale, quia animæ rationali cujus pars est immortalitas ad imaginem Dei conditæ, essentialiter & indissolubiliter unitum erat, proinde immortale erat per se, & per accidens postea factum mortale. Non quia in statum suum naturalem ceciderat (quod Bellarm. est somnium) sed quia a naturali suo, innocentiæ & immortalitatis, statu, in alium præternaturalem per peccatum prolapsus erat. Unde sensus loci Gen. 3. hic est originis ratione terra es, sed ad immortalitem conditus; quia vero per abusum liberi arbitrii ad terrena te convertisti, hæc erit pœna tua, ut in terram per mortem reverteris. Mors & mortalitas pœna sunt peccati, non ergo naturæ qualis fuit ante lapsum debitum quoddam aut proprietas naturalis: multò minus hinc conficitur, originalem animæ rectitudinem non fuisse primo homini naturalem, quod tamen est illud unum quod ex hoc loco probare nititur Bellarm.

2. Locus a Bellarm: productus est è Ps. 8. 6. ubi describitur primò hominis creatio, [quid est homo quia memor es ejus? aut filius hominis quia visitas eum? minuisti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuorum.] Casus autem hominis discribitur, Ps. 48. 12. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis. Quibus duobus modis (inquit Bellarm.) indicatur, fuisse primùm hominem donis supernaturalibus ornatum, primum quoniam miratur Propheta hominem fere angelis æquatum; Quid est homo, inquit, quod memor es ejus? quasi dicere vellet, mirum esse hominem natura sua corporatum, mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium, ad eam gloriam evectum, ut parvùm omninò ab Angelis abesset. Deinde accedit, quod dona illa primo homini, initio collata vocat honorem & gloriam: honor autem & gloria sine dubio aliquid extrinsecum & superadditum designant.* Hæc Bellarm.

Resp. Locum adductum è Ps. 8. de Christo intelligendum, juxta explicationem Pauli, 1 Cor. 15. 27. Et Ephes. 1. 22. Et Apostoli Heb. 2. 9. ubi verba illa *minuisti eum paulò minus ab Angelis*, refert Apostolus ad Hebræos ad extremum gradum exaltationis Christi, qui cum sit Angelorum Dominus, eis factus sit in diebus carnis suæ inferior, quæ audacter Bellarm. ad summum gradum gloriæ detorquet, quâ primus homo ab Angelis parùm abfuit. Sequentia autem verba *gloria & honore coronâsti eum*, Apostolus idem de infinitâ majestate quæ soli Christo secundum carnem conveniebat, explicat. Docente etiam Augustino enarrat in Ps. 8.

2. Demus hunc locum Bellarm. ad primævæ rectitudinis statum applicari. Hinc tamen non sequi Originalem rectitudinem fuisse ita supernaturalem, ut nullo modo debita fuit sed donum merè indebitum & gratuitum. Nam quod de anima rationali diximus, eam supernaturaliter creando infundi, & infundendo creari, tamen ita debita est humanæ naturæ constituendæ, ut altera pars, imó multo potior pars sit compositi,

siti utpote quæ sit forma hominis: ita originalis rectitudo, etsi supernaturalem ortum sortitur, tum in Angelis tum etiam in hominibus, tamen, ratione finis ad quem conditus est tum Angelus, tum homo, quæ est æterna beatitudo, medium est adeo debitum & necessarium, ut sine hoc nemo pertingere potest ad finem illum quem naturaliter appetit uterque. Licet ergo hoc loco honor & gloriæ designant aliquid extrinsecum & superadditum ratione illorum quæ fluunt à principiis naturæ, cum supernaturalem habeant originem; at ratione finis & usus, illa rectitudo originalis quam designant adeo debita est & necessaria ad intrinsecam perficiendam humanam naturam, ut absque eâ bene esse non potest rationalis creatura, aut malo & miseriâ carere, unde ejus absentia, creaturæ rationalis vitium sit necesse est, & valde nocivum, atque adeo naturæ rationali contraria.

3. Alter locus à Bellarm. adductus est è Psalm. 48. 12. *Homo cum in honore esset non intellexerit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis* Hic dona illa (inquit Bellarm.) primo homini initio collata vocat honorem & gloriam; Honor autem & gloria sine dubio aliquid extrinsecum & superadditum designant.

Resp. 1. Psalmista hìc non agit de statu primi hominis ante lapsum, sed de statu & conditione hominis post lapsum, imò de impiorum cœcitate qui ceu terræ filii & terrenis tantum affixi de morte non cogitant, sic enim in Hebræo habetur, [sed homo in dignitate non permanebit, similis factus est bestiis quæ intereunt] quasi diceret, impii quidem sperant res suas perpetuò duraturas, seque in honore perpetuò futuros; sed paulò post miserè interibunt, & similes fient pecoribus morticinis (quæ nulli usui inserviunt nisi ut projiciantur foris) nec temporaliter tantum sed in æternùm pereunt.

2. Etiamsi dicamus cum Augstino, hunc locum accomodari primo homini, & honorem & gloriam designare in primo homine aliquid extrinsecum & superadditum, ratione illorum quæ fluunt a principiis naturæ, cum supernaturalem habent originem; at ratione finis & usus illa rectitudo originalis quam denotant, adeò debita est & requisita ad intrinsecam perfectionem humanæ naturæ, ut absq; ea bene esse non potuit, aut malo carere.

4. Locus habetur Ecclesiastici 17. 2, 3. *Deus creavit hominem de terrâ, & secundum se vestivit illum virtute.* Quo loco (inquit Bellarm.) creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad superaddita dona, est autem indumendum aliquod extrinsecum & superadditum.

Resp. Vox vestiendi Metaphoricè sumpta non semper denotat aliquid extrinsecum, & superadditum. Jobus ait se carne & cute vestitum fuisse, Job 10, 11. Deus lumine velut vestimento amictus, Ps. 104. 2. Gramina agri pulchris coloribus vestita dicuntur, Mat. 6. 30. Quis autem carnem & cutem fuisse aliquid extrinsecum aut super additum Jobo, aut quiddam supernaturale dicit? aut colores floribus esse quiddam supernaturale aut extrinsecum?

2. Tamen esto indumentum virtutis aliquid sonet extrinsecùs additum, non tamen omne extrinsecùs additum statim est supernaturale, nec omne supernaturale statim est indebitum & gratuitum, quia potius si denotet hisce verbis Syracides, rectitudinem originalem, etiamsi a principiis naturæ non oriatur, non tamen sequi posse, esse donum indebitum & gratuitum; sed ita debitum ut ejus absentia sit homini mala & nociva. Non ergo justitia Originalis erat donum extrinsecus additum, quod vestimenti instar naturam hominis superiorum & inferiorum virium pugnâ languentem & laborantem texerit (quomodo splendida vestis leprosum corpus,) quod ex principiis dogmatis Bellarmini necessario dicendum est, sed & concreatum est debitum naturæ bonum, sine ullo languore conditæ, & cujus defectus in summam hominis perniciem, & malum, si quando illud auferendum foret, cessurus erat.

5. *Locus est Parabola Lucæ primo de eo qui incidit in latrones, primùm enim eum dispoliaverunt, deinde plagis impositis abierunt semivivo relicto, ubi non solum intelligimus; ex nomine vestium, quæ ut (et diximus, inquit) extrinsecum quid significant, colligi posse donis supernaturalibus privatum fuisse primum hominem; sed etiam animadvertimus,*

mus, plagas naturæ humanæ ex despoliatione consecutas esse. Neque enim sine causâ Dominus in Parabolâ illa priùs dixit, hominem spoliatum, posterius autem vulneratum fuisse, cum tamen contrà accidere solet in veris Latrociniis. Nimirum indicare volunt in hoc spirituali latrocinio ex ipsâ amissione justitiæ Originalis, nata esse vulnera naturæ nostræ, siquidem donum illud justitiæ non solum tegebat et ornabat, sed etiam curabat & sanabat languorem illum, qui ex conditione materiæ alioqui pullulasset, proinde ex naturâ humanâ dono illo justitiæ spoliatâ, sibique relictâ, continuó plagæ illæ & vulnera erumpunt quæ omnes ex Adomo nati experimur. Hæc Bellarm. qui addit, Parabolum istam de jactura donorum & virtutum, quam primus homo peccando fecit, ex ponere communi consensu Patres, Ambrosium, Bedam, Theophylactum per Basilium apud Thoma in catena in locum, & Augustinum, lib. 2. q q. Evangelicarum q. 19. & S. Bern. Sermon 1. de Annunciatione.

Resp. Primò certum est illud Dionysii, *Ante & post lapsum, ejusque reparationem describere,* Symbolicam Theologiam non esse argumentativam. Ipse August: ep. 48. ad Vincentium meritò ridet Donatistas, quod ex verbis illis mysticè explicatis, [Indica mihi ubi pascas ubi cubes in Meridie] Cant. lib. colligebant Ecclesiam Christi in solâ Africâ remansisse. Hieronymus item in comment. c. 13. Matthæi, docet fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari, quin & ipse Bellarm. de verbo Dei lib. 3. c. 3. concedit ex solo literali sensu pet idebere argumenta efficacia.

2. Certum itidem est in Parabolis scopum præcipuè attendendum esse. Christus verò in hac parabolâ nihil minùs intendebat quam hominis primi statum, adumbrare; sed in animo duntaxat habebat, ut patet ex exordio parabolæ, explicare doctrinam de proximo, quis ille sit, quæque ei debeantur officia dilectionis.

3. Si inspiciamus ipsam purabolam, in ipsâ Parabolâ distinguntur, despoliatio & vulneratio ἐκδύσαντες αὐτὸν, καὶ πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον, despoliaverunt eum, & vulnera addiderunt, aliud ergo est despoliatio, alia vulneratio, spoliatus est enim homo gratuitis duntaxat, vulneratus autem in naturalibus; quare si maximè, exemplo S. Patrum, Parabolam hanc ad jacturam donorum & virtutum quam primus homo peccando fecit, accomodatam posse dixerimus, nostræ defensioni minimè adversatur. Nam spoliari etiam quis potest donis naturalibus æquè ac gratuitis, ut visu spoliatus est, qui oculo eruto, ex vidente fit cæcus, & rationis usu qui in Phrenesin incidit; & certè viator ille Parabolicus non retinuit naturam integram, siquidem vulneratus est, atque adeo solutum est continuum, ut integrum fuit læsum. Ita Adam per lapsum, non tantum gratia animi spoliatus est sed et originali rectitudine naturæ suæ debitâ orbatus est.

4. Cum Parabola distinguat inter despoliatio nem & vulnerationem, ut, & Patres juxta parabolam, ridiculum est quod habet Bellarm. primum hominem in naturalibus vulneratum & læsum esse hoc ipso quod spoliatus est gratuitis, unde hominem in puris naturalibus creatum, & hominem lapsum non aliter differre vult, quam & nudus à spoliato, at Patres à Bellarm. adducti non solum agnoscebant gratuitorum spoliationem, verum etiam ipsorum naturalium quandam in seipsis corruptionem, ut Lombardus loquitur (*i.*) in deterius mutationem, id quod vox vulnerationis exigere videtur, neq; enim quis rectò dici potest vulnera in corpore accepisse, cui vestimenta detrahuntur corpore ipso manente illæso. Spoliatus autem aut nudatus dici potest ejusmodi, vulneratus autem nequaquam. At patres vulneratum volunt Parabolicum viatorem, atq; adeò ut præ vulneribus semivivus relictus sit, non solum spoliatus.

CAP.

Chap. XI.

Proponuntur veterum testimonia quæ pro se allegat Bellarminus, iisque respondetur.

1. ATque hoc de Scripturis quas per se Bellarm. allegat.

2. In loco succedunt testimonia veterum.

1. Adducit Dionys. Areop. de divin. nom. cap. 4. part 4. ubi de dæmonibus sic habet. Nec Angelica munera his tributa aliquando permutata, sed integra sunt, penitusq; conspicua. Quæ verba, inquit, ita edissetis enim in comment. ejus. Mors finis, sicut, inquit, nocturnus aer diciter tenebrosus, non quiâ vel rem novam subeat, vel naturam amittat suam, sed quia deest ei solis lumen, quod rem per se tenebrosam efficit lucidam: sic animus, ac dæmon malus cognominatur non propterea vel quòd naturale quiddam prodat, vel suscipiat alienum; sed quia deficit a beneficio Dei manere. Hæc ille, atque hinc, inquit Bellarm: acceperunt Scholastici Theologi communem illam sententiam. Naturalia in dæmonibus post lapsum (Dionysio teste) mansisse integra. Quod idem sine dubio de homine quoque intelligi debet. Quod si naturalia in Angelo & homine post lapsum integra remanserunt, & satis constat justitiam in quâ conditi sunt in eis post lapsum non mansisse, certè manifestè sequitur, Justitiam illam Angelo & homini naturalem non fuisse.

Resp. Cum Dionys. dicat, τὰς δοθείσας αὐτοῖς ἀγγελικὰς δωρεὰς οὐ μή ποτε αὐτὰς ἠλλοιῶσθαι φαμεν, (i.) non esse mutata angelica munera dæmonibus data, ἀλλ' ὁ λοχτηρὰ καὶ παμφαῆς εἰσι (i.) sed integra esse ac nitidissima intelligendum est. Vide sup.

Secundum testimonium petitum est ex ipso Basilio, lib. de S. sancto cap. 16. *Sanctificatio,* inquit, *non est absque spiritu, non enim natura sunt sancta (Cœlorum virtutes, sed juxta proportionem, eminentia inter ipsas, sanctificationis mensuram ab ipso S. sancto habent.* Hæc ille, at dubitari non potest (inquit Bellarminus) quin quod de Angelis S. Basilius scripsit, idem in primum hominem apte conveniat, quare non naturâ sanctus fuit primus homo, dum Paradisum incoleret, sed à S, sancto mensuram sanctificationis acceperat, proinde justitia illa Originalis divinaq; similitudo quâ præditus erat, non conditio naturalis, sed donum supernaturale fuit.

Resp. Sensum Basilii apte constare ex verbis sequentibus, quæ omisit Bellarm. *Ubi* enim ait *neque Cœlorum virtutes (i.) Angeli, suâ natura sancta sunt, nam si id esset nullâ redifferant à S. sancto.* Ex quibus verbis aperte constat Basilium intelligere, ideo Angelos suapte naturâ non esse sanctos, quod solus S. sanctus, sit sua natura sanctus, illi autem nonnaturali sed participatâ quadam sanctitate. Æque probare potuit Angelos non esse suâ natura immortales aut intelligentes, aut sapientes, quod Deus solus immortalis, sapiens, & intelligens naturâ suâ & essentialiter, Angeli non nisi per participatam immortalitatem, sapientiam. Deinde non negamus justitiam Originalem, seu rectitudinem Angelorum supernaturalem fuisse ratione ortus, non à principiis Angelicæ naturæ fluxisse; tamen debitam Angelicæ naturæ eamq; intrinsice perfecisse, & ad bene esse ejusdem pertinuisse, adeò ut absq; ea bene esse non potuit, malóque carere; atq; adeo non fuisse indebitam exaltationem Angelicæ naturæ.

3. Testimonium petitum, ex Chrysostom: hom. 15. in Genes. ubi ait *de Adamo & Eva, gloriâ quæ superne venerat, vestiti erant.* Vides (inquit Bellarm:) justitiam Originalem comparari vestimento, & indumento supernè venienti, ut intelligas eam non ex naturæ principiis, sed è cœlo, ac supra naturæ conditionem primis parentibus accepisse.

Resp. Ut sæpe supra, non negamus justitiam originalem superne venire, nec dicimus à naturæ principiis oriri, sed tamen naturalem esse & dici posse quæ debita sit naturæ humanæ, quatenus eam intrinsice perficit, & ad ejus bene esse pertinere, ejusq; absentiam homini nocivam esse. Porrò collatio hujus justitiæ cum vestimento, non aliud probat quam esse qualitatem supernaturalem naturæ humanæ, non autem esse naturæ humanæ indebitam.

Quartum testimonium est ex Cyrillo, lib. 1. in Joan. c. 9. de Adamo loquens, *Participato*, inquit, *luminis splendet super naturam suam glorificantis Dei gratia, & variis donorum ornamentis ascendens*, & infra, *miserecors enim verè Dominus est qui creaturam parvam & abjectam, secundum naturam, magnam atque mirabilem suâ efficit bonitate.* Et Cap. 13. *Creatura cum parva sit, nutu solum & voluntate patris ad supernaturalia vocatur.* Et in lib. de adorat. in spiritu ante medium, ubi inquit. *Deo conditore animal hoc* (i.) *homo, suæ natura rationibus absolutum est, accipit statim similitudinem ad illum.* Deniq; in lib. quod Spiritus sit Deus, propè initium, cum inquit, *Posse facere & concedere creaturis dignitatem qua creaturam excedit, amplius sit quam ferat creaturarum natura & spiritus Deificet, quomodo esset creatura, & non magis Deus, utpote Deificus.* Ex his S. Cyrilli testim. (inquit Bellar.) apertissimè dicimus, Adamum propter naturalia ornamenta multa etiam dona supernaturaia accepisse, & naturam humanam per se parvam atque abjectam esse, sed conditoris benignitate ad ingentem gloriam exaltari.

Resp. Etsi largiamur hæc loca de Adamo integro intelligi (quod tamen non liquet) tamen ultro concedimus Adamo integro multa dona, quoad ortum supernaturalia, collata fuisse, quæ tamen ratione capacitatis & appetitus beatitudinis quæ non nisi infinito bono explentur, debita sunt hominis primo, ac proinde suo modo naturalia, juxta ea quæ supra disputavimus. Vide infra: nec indebitam conditionem aliquam humanæ naturæ spectare inde dici possunt.

5tum testimonium est Ambrosii, ex l. de Isaac & anima, c. 5. *Nec Adam* (inquit) *nudus erat quando eum innocentia vestiebat.* Et l. 2. de Jacob & beatavita, c. 5. *Sic* (inquit) *Despoliatus Adam nudus inventus est*, & l. de Helt. & Jejunio, c. 14. *Opertus erat*, inquit, *Adam virtutū velamine, priusquam prævaricetur, sed tanquam exutus prævaricatione, se vidit esse nudum, quia indumentum quod habebat amiserat.* Innocentiæ autem illius vestem, inquit Bellarm. non naturalem sed gratuitam fuisse, indicat, tum ipsa vestis appellatio, quæ superadditum quid significat, tum id quod idem Author scribit, lib. 7. in Lucam, c. 47. ubi explicans parabolam ejus, qui incidit in latrones, & eam applicans ad Adamum, & nos omnes, *Qui sunt*, (inquit Ambrosius) *isti latrones, nisi Angeli noctis & tenebrarum? Hi autem despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis & sic vulnera inferre consueverunt.* Et in lib. de Paradiso, cap. 14. *Quid est*, (inquit Ambrosius) [*Adam ubi es?*] (i.) *non in quo sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio, de quibus*, inquit, *bonis de qua beatitudine, de qua gratiâ, in qua miseria recidisti?* Hæc Ambrosius.

Resp. Ex eo quod Ambrosius ait Adamum integrum innocentia vestitum fuisse, & virtutum velamine opertum, & postea lapsum, dispoliatum fuisse & nudum inventum, & tanquam exutum prævaricatione, vidisse se esse nudum ex amissione indumenti quod habebat, male colligit Bellarm. innocentiæ ejus vestem non naturalem, sed gratuitam fuisse, ex eo quod ipsa vestis appellatio superadditum quid significat & gratuitum. Jobus ait, se carne & cute vestitum fuisse, & servator gramina agri pulchris coloribus vestita fuisse, Mat. 6. 30. Nemo autem dixerit carnem aut cutem fuisse Jobo quiddā extrinsecū, superadditū & gratuitum aut supernaturale, aut colores floribus esse quiddam susupernaturale extrinsecum gratuitum & indebitum, nam

1. Ut anteà observavimus, voces vestiendi, vestimenti, & indumenti metaphorici sumptas, non semper denotare aliquid extrinsecum & superadditum.

2. Esto indumentum & velamen virtutum Ambrosio aliquid sonat extrinsecus additum, non tamen omne extrinsecus additum statim est supernaturale, sed nec omne supernaturale statim est indebitum & gratuitum, ut videmus in anima rationali quæ licet supernè oriatur, tamen ita debita est ut sit altera pars compositi.

3. Voces vestimenti & indumenti non aliud denotant quam hanc justitiam originalem esse separabilem quomodo vestis à corpore separari potest, non autem evincunt esse indebitam aut gratuitam. Sed néq; ex explicatione parabolæ ejus qui incidit in latrones, per Ambros. lib. 7. in Lucam, c. 47. evincitur innocentiæ vestem non esse naturalem sed gratuitam. Nam ibidem Ambrosius ibidem distinguit inter dispoliationem Adami in statu integro per Angelos malos & vulnerationem, Angelus malus, seu Dæmon tentando Adamum, & inducendo ad consensum, in comedendo pomo vetito.

1. Dispoliat animam indumentis gratiæ spiritualis.

2. Vulnera infert animæ, despoliat gratuitis solummodo, at vulnerat etiam in naturalibus; justitia (scil.) originali quæ in ordinem cogebat tum corpus animæ, tum inferiorem partem superiori, tum animam etiam Deo, Vide suprà, in Respon. 3. 4.

At illud quod effertur è libro de Paradiso, c. 14. non aliud colligi potest ex Ambrosio, quam hominem per lapsum excidisse à magnis bonis, beatitudine & gratia, in magnam miseriam. Sed hinc non evincitur hæc bona, hanc beatitudinem & gratiam nullo modo naturalem fuisse, aut debitam; sed gratuitam & indebitam naturæ exaltationem. Cum nos pluribus argumentis evicimus, justitiam originalem fuisse Adamo integro debitam, ac proinde suo modo naturalem absque qua homo non potuit malo & miseriâ carere.

Sextum testimonium est Hieronomi, in c. 3. *Hoseæ Dæmones*, inquit, *qui lapsi sunt, à propria dignitate & nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt & vetera siccitate marcentes. Ex hoc loco* (inquit Bellarm.) *habemus Angelos per peccata dona supernaturalia perdidisse, si enim nomine gratiæ intelligeremus dona naturalia, consequens esset ut Angeli nihil naturalium donorum post peccatum retinuerunt, atque adeo ad nihilum redacti essent. Est enim*, inquit, *eadem ratio hominum & Angelorum, ut adversarii confitentur, & colligitur ex S. Augustino* (lib. de corrept. & grat. c. 10. & 11.) *Non igitur negandum est homines per lapsum Adæ dona supernaturalia amisisse.* Hæc Bellarminus.

Resp. Ex hoc loco probandum non erat Angelos dona supernaturalia perdidisse, id enim lubenter concedimus, sed dona indebita & gratuita. Nos fatemur Angelos lapsos perdidisse justitiam originalē, quæ quamvis non à principiis Angelicæ naturæ fluxit, sed divinitus indita fuerit, tamen diximus debitam fuisse, ad consecutionem illius beatitudinis quæ naturaliter appetebat. Nec valet Bellarm. raciocinatio, etsi enim nomine gratiæ dona naturalia, (i.) debita intelligamus, non tamen consequens esset, ut Angeli nihil naturalium donorum post lapsum retinuerunt, atq; adeò ad nihilum redacti essent. Retinent ea ut antea è Dionysio notavimus, bonum naturæ, quo sunt, vivunt, intelligunt, appetunt; non ergo ad nihilum reddacti sunt, etsi donum originalis justitiæ, quod bonum erat debitum ad perfectionem ἀγγελοπρέπη, illam *scil.* quæ naturæ Angelicæ conveniebat, ut loquitur dictus Dionysius.

Septimum testimonium est Augustini, ex quo varia loca citantur, & ex iisdem locis varia argumenta texantur, quibus singulis occurremus.

1. Augustinus l. 2. de civitate Dei, c. 9. de Angelis ita loquitur, *Simul in eis condens naturam & largiens gratiam.* Ubi aptissimè distinguit (inquit Bellarm.) in Angelis naturam à gratiâ. Et lib. 13. c. 13. de primis nostris parentibus sic ait, Postea quam præcepti transgressio facta est, gratiâ deserente divinâ, de corporum nuditate confusi sunt. Et lib. 11. de Genesi, c. 31. Mox, inquit, ut præceptum transgressi sunt, intrinsecus deserente gratia omnino nudati in sua membra oculos injicerent. Et lib. 4. contra Julian. cap. ult. Quid est, inquit, gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operire deberet. Vides in his locis (inquit Bellarm.)

1. Semper ab Augustino innocentiam illam, justitiamque originalem primi hominis gratiam nominari.

2. Vides

2. Vides item eam indumento, quod superadditur extrinsecus humano corpori perpetuo comparari.

3. Vides bestialem libidinem in terreno,& animali corpori naturaliter convenire, & ideo non ex natura, sed ex magna Dei gratia corpus Adami terrenum & animale libidine illâ in statu innocentiæ caruisse.

Resp. Ad primum locum ubi de Angelis ita loquitur August: simul in eis condens naturam & largiens gratiam. Hinc (*inquit*) apertissimè distinguit Augustinus naturam à gratiâ. Hic si per naturam, principia naturæ Angelicæ intelligamus,non dubium est, quin aliud sint principia eorum naturalia, aliud gratia quæ illum intrinsice perficiat, & eorum naturæ debita erat ad consecutionem illius beatitudinis quam naturaliter appetebant. Nos tamen, supra, alium sensum secuti sumus, & meritò.

Ad primum,dico innocentiam & justitiam Originalem primi hominis ab Augustino gratiæ nomine insigniri, quod non a principiis naturæ fluxerit, sed supernaturaliter à Deo indebatur homini. At non hinc infertur non fuisse debitam primo homini.

Ad secundum nos supra diximus gratiam indumento comparari, non quod nullo modo sit debita, aut quod extrinsecus superadd ta sit integræ naturæ, sed quod separabilis sit ab homine, quomodo potest indumentum.

Ad tertium, August: non ait bestialem libidinem terreno & animali (Adæ)corpori naturaliter convenisse (quod Bellarm: est glossema) sed Adami corpus à Deo ita conditum ut libidinem ille bestialem non haberet, gratia Dei magna ibi erat (*inquit Augustinus*) ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Ubi per Dei gratiam intelligit Originalem justitiam, quæ erat quasi sanitas quædam, in cujus locum successit vulnus illud (de quo ibi August:) quo totum genus humaunm claudicabat. Quis autem mentis compos, hoc vulnus vel illam bestialem libidinem (de quo ibidem August)a principiis humanæ naturæ naturaliter fluxisse ut cog tet,in animum inducere potest? *Vide sup.* vel homines naturaliter, si in puris naturalibus conditi fuissent,sensuros illam miseriam quam Augustinus appellat jugum grave, quo gravantur filii Adæ ex eo tempore, quo lapsi sunt. Sed pergit Bellarminus. Adde quod idem Aug. lib. 3. de lib. arbitrio, c. 20, 22, 24. non obscurè docet potuisse creari hominem sine justitia Originali, neq; eum locum in retractationibus correxit, sed confirmavit potius, cum in lib. I. Retract. c. 9. ita locutus est. Ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus sed laudandus esset. At si justitia originalis naturalis esset, non potuisset homo sine ea creari, nisi Deus natu aliter mancum & imperfectum sponte condere voluisset, quod abhorrere videtur ab ejus sapientia & bonitate; Dei enim perfecta sunt opera, Deut: 32.

Resp. In loco citato non asserit Augustinus hominem ab initio talem a Deo creari potuisse ,qualis nunc nascitur; quod si talis conditus fuisse dicatur (sicut postea dixerunt pelagiani) tamen vincuntur Manichæi, qui voluerunt, duas, boni sc. & mali coæternas naturas esse, ut habetur, apud Augnst. lib. 1. Retract. c. 9 & lib. de bonæ persever, c. 11, 12. ubi expresse testatur Augustinus se lib. 3. de lib. arbit, secundum utrumq; sensum [*Pelagianum & Catholicum*] restitisse Manichæis, sive ignorantia & difficultas sine quibus nullus homo nascitur, statuantur esse primordia naturæ (quod postea concedebant Pelagiani) sive supplica peccati, quod ipse cum Catholicis tenebat. Ibi quoq; inquit, annon satis evidenter expressum est, quod non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati? Quærit enim Augustinus in lib. 3. de lib. arbitrio, quem Laicus cepit scribere, ut ipse testatur Romæ, & absolvit Presbyter in Africâ, lib. Retract. 1. c. 9. & de bono persever. c. 12, an ignorantia & difficultas quæ in homine reperiuntur, sint primordia naturæ sive supplicia peccati, tamen vinci Manichæos. Contendit Augustinus, ut modò diximus, sive dicamus ignorantiam& diffi cultatem esse primordia naturæ, sive supplicia peccati, tamen vinci Manichæos. Si enim homo nascatur cum ignotantia & difficultate,quod postea Pelagiani dogmatizabant, tamen non sequetur mali originem non ex libero volun-

tatis arbitrio ducendum esse; vel Deum, si ita est, creatorem omnium rerum culpandum esse, aut immutabilem quandam & Deo coæternam intraducendum mali naturam, aut principium, quod acriter contendebant Manichæi. Sed ejusmodi ignorantiam & difficultatem in ejusmodi homine naturam esse nec culpam, nec pœnam, imo nec vitium ulli reprehensioni obnoxium, cum quisq; id naturâ est quod a Deo conditus est, atq; adeo Deum nec sic culpandum, quicquid contra Manichæi; sed potius laudandum esse. Non ergó sequetur dari mali culpæ aliud principium, quam liberum hominis arbitrium, etiamsi diceremus ignorantiam & difficultatem esse primordia hominis naturalia, sin dicamus ignorantiam & difficultatem non esse primordia naturæ sed supplicia peccati & pœnam damnati, (quod asserit Augustinus cum Catholicis.) Hinc rectè infertur contra Manichæos originem mali culpæ petendum esse ex libero arbitrio hominis primi, in Originali justitia conditi, sed a Deo conditore, & ejus præcepto deficientis. Unde tota ejus posteritas Originali peccato infecta nascitur. Ut hanc totam rem aliús paulò arcessamus, quandoquidem hoc testimonium Augustini sæpius inculcant Jusuitæ, ut concupiscentiam non esse veri nominis peccatum evincant, cum certum sit secundum Apostolum, peccatum omne esse ἀνομίαν, proinde omnis peccati ratio ex violatione legis seu regulæ a Deo institutæ & præscriptæ metienda est. Originale itaq; peccatum erit defectus conformitatis in homine nascente ad regulam primævam, & Originalem rectitudinem seu justitiam, quam humanæ naturæ Deus primitus impressit. Actuale peccatum est quod ab hac originali in posteris Adæ fluit & repugnat legi justitiæ primitús in corde hominis, postea in duabus tabulis decalogi præscriptæ, quæ autem creaturæ (ut rectè animadvertit Reverendus Episcopus Daven. de habit: just: p. 244 c. 9.) non habent legem justitiæ neque impressum suæ naturæ, nec à Deo præscriptam non peccant, sive habendo ejus inclinationes quæ homines reos constituunt, sive faciendo illas actiones, quæ peccata actualia in hominibus reputantur. V. G. inquit, non dicimus lupum aut hircum peccato inhærente contaminatum, quamvis in uno sit inclinatio naturalis ad cædem propensa, in altero ad libidinem, nec dicimus peccatum actuale committere quando hic magna rabie prædam dilaniat, sive ille inflammato appetitu libidinem exercet. Quomodo nec coitus masculi, cum qualibet sui generis fœmina, in brutis non potest dici jure culpabilis, quin potius naturalis. Ratio autem cur istæ brutorum actiones, non sint culpabiles, aut alicujus reatus inductivæ, hæc primaria est, quod hæc inclinationes atq; actiones eorum, non repugnant ulli legi, illis sive impressæ, sive imperatæ. Ex hisce colligere licet quo sensu Augustin: lib: 3. de lib. arbit. cap. 20. & Retract. 1. c. 9. disputavit cum dixerit. Quamvis ignorantia & difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus sed laudandus esset Deus. Quæ disputatio contra Manichæos instituta est, & contra eorum hæresin, qui naturam malam à malo principio Deo coæterno creatam, somniabant, rectè subinfert nec ignorantiam nec difficultatem (*eadem est ratio inordinatæ concupiscentiæ*) esse alicujus reatus inductivæ, si cum hisce defectibus primitus à Deo condita fuisset humana natura. At vero cum certum sit ex sacris literis Deum fecisse hominem rectum, cumq; ad imaginem Dei creatum fuisse in justitia & sanctitate, hominem vero suâ culpâ à tanta dignitate excidisse, non conservando integritatem in quâ conditus est, hinc ignorantia, difficultas, & prava concupiscentia, evadunt defectus merito culpabiles, & reatus æterni inductivæ. Quemadmodum enim coitus masculi, cum qualibet sui generis fœminâ in brutis est natura, in hominibus vero promiscuus concubitus est culpa, putá, fornicatio, aut adulterium, aut incæstus. Sic etiam Philosophandum est de appetitu sensitivo brutorum, qui citrâ cujusq; superioris potentiæ gubernaculum, aut imperium, suo jure, in quodvis objectum sibi delectabile concupiscendo fertur, inhiando ex sensu percipere voluptatem. In istis siquidem, quod membrum genitale non imperio voluntatis, sed œstro libidinis, ad opus sibi congruum exitetur, cum sic à Deo sunt instituta, ut rationem non habeant cui cætera parere debeant, talis excitatio est naturalis, & naturæ opus: In hominibus verò qui aliter a Deo conditi sunt & à quibus juxta naturæ suæ leges exigitur, ut inferiora superioribus sint morigera, est culpa. Unde Augustinus de peccato Originali, c. 40. contra Pelagium explicans quomodo homo dicatur similis jumentis insipientibus. *Etsi homo*

homo (inquit) in honore positus, & non intelligens, comparatur pecoribus eisque similis fit, non tamen usque adeo similis fit ut pecus fit, comparatur namque per vitium, non pecoris vitio sed natura, tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris, nec ideo tamen natura hominis in naturam vertitur pecoris. Ac per hoc Deus hominem damnat propter vitium quo natura dehonestatur, non propter naturam qua vitio non confertur, & in P. 103. Conc. 4. *Quod equo natura est, homini crimen est,* & contra Julian. lib. 4. c. 14. *Ideo in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum.* — & mox, *Concupiscenti adictum est bonum pecoris cujus sine ulla repugnantia delectat spiritum, malum autem hominis, quo concupiscit adversus spiritum.* Hæc ille Ubi juxta Augustinum concupiscentia in pecore non est malum, quum sit naturale quiddam ex principiis naturæ fluens, nihilq; sit in pecore cui ista concupiscentia adversetur. Ideoq; lib. 4 con. Julianum c. 5 sic ait. Libido ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi qua carent. At eadem concupiscentia malum est hominis quia concupiscit versus spiritum, & sæpe adversatur rationi.

Ex hisce intelligi potest quid sentiendum sit de fictitio homine Bellarm: in puris (ut ille loquitur) naturalibus. Si talis quisquam homo à Deo creari posse fingatur, quales nunc nascimur, nihilominus quia quisque id natura est quod à Deo conditus est, ideo concupiscentia in tali homine natura esset, non culpa, non pœna, imò nec vitium quod semper juxtà Augustinum, est naturalis alicujus boni ablatio. In Enchirid: c. 11. Sed naturæ donum, nulli verecundiæ, nulli reprehensioni, obnoxium; in quo non propter aliquod vitium improperio aut vituperatione dignum, sed propter naturæ bonum brutis comparatur, sicut nunc ob visum, auditum, gustum, olfactum illis comparari possumus, quos naturaliter cum iis communes habemus. Cæterum in hominibus, qui longè diversam a Deo naturam sortiti sunt, non potest non esse vitium, quod caro concupiscit adversus spiritum, & quod aliquod corporis membrum citra voluntatis imperium, suo jure, ad opus sibi congruum concitetur; id quod nobis non solum juste imperatur, sed etiam ad æternam damnationem imputatur, nisi ante hujus vitæ terminum reatus ejus condonetur: Ac proinde sicut supra diximus, concupiscentiam quæ brutorum natura est, vitium & crimen esse hominum: sic etiam dicendum est de illius frictitii hominis Bellarminiani concupiscentiâ, cum qua naturaliter creatus esse fingitur, concupiscentiam illi quidem fictitio homini esse naturã, nobis autem ex Adamo prognatis & pœnam esse & culpam.

Ad illationem Bellarm. ex loco prius citato in initio Ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset. At si justitia originalis naturalis esset, ut p 135.

Resp. Simpliciter & absolute loquendo potuit homo creari, absq; originali Justitia absque eo quod mancus & imperfectus esset, si Deus voluisset: sic enim ignorantia difficultas & concupiscentia ejusdem homini essent naturalia, nec culpa, nec pœna, nec vitium, unde nec talis homo aut mancus esset aut imperfectus, sed opus quale Deus magnus δημιουργος seu opifex voluit condi; esset enim talis homo, quod natus est voluntate opificis, nec quisquam nisi quod natus est esse potest. Attamen quandoquidem Deus voluit, ut cum justitia originali crearetur, quæ ei debita erat; ejusmodi homini ex Adamo propagato existere sine illa justitia, culpa erat, peccatum & vitium, unde meritò talem hominem mancum & imperfectum pronunciamus.

At cum Bellarminus hominem à Deo condi potuisse in puris naturalibus sine justitiâ & sine peccato, in quo inesset ex naturæ principiis concupiscentia ut defectus & morbus naturæ ex conditione materiæ consequens, quæ recte dici potest non esse ex Deo, odio, non amore digna, mala, naturæq contraria. Quis inde laudari censeret Deum? quod talem materiam crearet, unde hæc omnia consequerentur. Vide infra.

Ex dictis etiam pariter constat quid responderi debeat ad rationem tertiam Bellarmini, lib. 5. cap. 9. de amiss. grat. & statu peccati. Si homo (inquit) non nasceretur ex Adamo, & tamen haberet concupiscentiam quam nunc habet, non posset

in

in eo concupiſcentia proprie vocari peccatum: Igitur conſequentia non eſt ex ſe & ex naturâ ſuâ propriè peccatum.

Antecedens hujus Argumenti (inquit Bellarminus) eſt S. Auguſtini, lib. 3. contra Julianum, cap. 22. ubi concedit Auguſtinus Juliano hominem non poſſe juſtè reprehendi, neque eſſe reum vel peccatorem propter concupiſcentiam, ſi cum ea concupiſcentia quam habet non propagetur ex Adamo, ſed creetur à Diabolo, verba Juliani ſunt, *Etiamſi Diabolus crearet homines, nullâ culpâ ſui mali eſſent, & ideo jam nec mali eſſent, quia eſſe quiſquam niſi quod natus eſt, non poteſt, nec ab eo juſtum eſt aliquid amplius flagitare, quam poteſt.* Hæc Iulianus habet apud Auguſtin. Addit Bellarminus præter Auguſtini authoritatem, *Res eſt omnino explorata ac certa; Nam tunc concupiſcentia eſſet res omnino naturalis, propter naturalia autem nemo reprehendi juſtè poteſt, ut ſi quis cæcus naſcatur ac fatuus. Quod ſi concupiſcentia non eſſet peccatum, ſi naturalis eſſet, profectò non eſt peccatum per ſe, & ex ſua natura. Quod enim natura ſua peccatum eſt, ſemper peccatum eſt, & undecunque tandem oriatur, ſive ab homine, ſive a Diabolo, ſemper facit reum.* Hæc Bellarminus.

Reſp. Ut ante, Si talis homo, quales nunc naſcimur, creetur à Diabolo ut fingit Julianus, nihilominus quia eſſe quiſquam, niſi quod natus eſt, non poteſt, ideo in tali homine concupiſcentia natura eſſet non culpa, non pœna, imò nec vitium, ſed naturæ donum, nulli verecundiæ, nulli juſtæ reprehenſioni obnoxium. Interim dicendum eſt, ſuppoſitionem illam Juliani, quam affert Bellarm. eſſe omnino impoſſibilem; æque enim impoſſibile eſt Diabolo hominem creare, ac eſſe Deum, cùm creatio ſit opus omnipotentiæ, nulli creaturæ, ac proinde nec Diabolo communicable. Porro Auguſtinus in diſputationibus contra Manichæos, qui naturam malam à malo principio, Deo coæterno ortam eſſe impie dogmatizabant; rectiſſime deducit, homines non eſſe reos peccati, ſi tales ſint, quales à ſuo creatore primitùs facti fuerunt: Eſto ergo juxta hypotheſin Juliani, à Diabolo creari hominem (quod tamen tum recta ratio tum religio vetat) cum inordinata illa & effræni concupiſcentia, in qua omnes jam naſcimur, non tamen reus eſſet iſte fictitius Juliani homo ullius peccati, quia eſſe quiſpiam niſi quod natus eſt, non poteſt; & talis maneat neceſſe eſt, qualem creator ejus eum eſſe voluit.

Deniq; ſi valeret hæc ratio Bellar. nihil omnio eſſet ſua natura peccatū. Nam ſi homo crearetur à Diabalo, cum habituali pronitate ad cædem, ad libidinem, imò cum habituali averſione ab ipſo Deo, arguit Aug. contra Manichæos, & concedit Juliano talem hominē nullâ ſuâ culpâ malum eſſe; & ideo jam nec malū eſſe; qui eſſe quiſpam niſi quod natus eſt, non potuit, ut recte Julianus. Ex his perſpicuum eſt illud Bellarmini; [Quod ex natura ſua eſt peccatum, ſemper peccatum eſt & undecunq; oriatur, ſive ab homine, ſive à Diabolo ſemper facit reum] pugnare cum Auguſtino, qui admittit hominē nec malū, nec per conſequens reum haberi poſſe, ob quodcunq; vitium ſive peccatum quod cum illo concreatum eſt, ſiquidem juxta Auguſt. id quod inditum eſt à creatione, non eſt culpabile, nec vituperabile, cum ſit opus naturæ. Igitur illud Bellarmini; [Quod ſi concupiſcentia non eſſet peccatum ſi naturalis eſſet, profecto non eſt peccatum per ſe & ex natura ſua] non eſt verum, ſi de quolibet ſubjecto intelligatur; Nam etſi concupiſcentia non ſit peccatum in eo ſubjecto in quo naturaliter ineſt; attamen in eo ſubjecto ubi pugnat ſua natura cum lege quæ indita eſt, aut præſcripta alicui creaturæ; V. G. in homine, cum lege primæ inſtitutionis, ubi concupiſcentia ſua natura eſt peccatum. Concupiſcentia ergo prava ſua natura eſt peccatum, ſed non in quolibet ſubjecto, non in homine à Diabolo creato: verum in homine primo fuit, cui lex inſcripta eſt primitus, [non concupiſces:] quomodo, hominem occidere innocentem eſt ſua natura peccatum, ut et promiſcuus concubitus in genere humano; ſed non in Urſis ac Tygribus, quia lex prohibens homicidium & promiſcuum concubitum illis non eſt data: Quando igitur dicimus aliquid ſua natura & proprie eſſe peccatum; hoc ita intelligendum eſt, ut fiat abſtractio à lege creationis, ut paſſim fit à Bellarmino in prædicta ratione.

Ex hiſce patet Bellarminum fruſtra ex Auguſtini ſcriptis ſubſidium quærere; quo non habet infenſiorem adverſarium: Copioſius duo illa poſtrema teſtimonia Auguſtini

gustini & diligentius discussimus, quia istis potissimum nititur Bellarminus.

8vum. Testimonium est Anselmi, S. Anselmus in lib: de concept. Virginali, & peccato originali; de Adamo sic loquitur. Quoniam (inquit) in tanta gratiæ celsitudine positus, quæ bona sibi & aliis servanda acceperat sponte deseruit; idcirco filii perdiderunt, quæ Pater illis cum servando dare posset, non servando, abstulit.

Resp. Non negamus Adamum in magna gratiæ celsitudine positum, sed quæ ei ad finem condito quem naturæ viribus consequi nequivit, necessaria erat, & debita, ac proinde suo modo naturalis; siquidem absq; eo, homo finem quem naturaliter appetit consequi nullo modo potest.

Nonum est Testimon: Bernard: in prim. Serm: de Annunciatione, ubi ait, Adamum prævaricando amisisse indumenta virtutum, & similitudinem ad Deum, non autem imaginem divinam, quia illa (ut ipse loquitur) non erat assuta, sed insita, atque ipsi impressa naturæ; Quocirca (inquit) ex Testimonio S. Bernardi, Justitia cæteræq; virtutes, quarum jacturam primus homo peccando fecit, non erant insitæ & impressæ ipsi naturæ, ut sunt dona naturalia, sed extrinsecus assutæ ac superadditæ, ut sunt dona supernaturalia.

Resp. Bernardum per imaginem intellexisse naturalem voluntatis libertatem (ut explicat semetipsum eodem sermone) hanc autem ait esse insitam & impressam ipsi naturæ, quatenus à principiis naturæ fluxit. Per similitudinem intellexit justitiam cæterasque virtutes: hac ex parte secutus communem expositionem patrum, qui imaginem ad naturam intelligentiæ & voluntatis; similitudinem ad sapientiam & justitiam, referunt. Attamen ipsi patres, imprimis Augustinus, hasce ipsas virtutes, hanc ipsam sapientiam & justitiam quamvis à naturæ principiis non fluxerunt, atque hoc modo non dicenda erant dona naturalia eo modo quo intellectus & voluntas dicuntur bona naturalia, quia tamen dona erant debita ad bene esse hominis, & ejusdem perfectionem, & ad consecutionem finis quem homo naturaliter appetit necessaria. Non ergo dicenda sunt simpliciter assuta, aut superaddita, aut indebita, aut gratuita, sed debita ac perinde suo modo naturalia.

Atque ita expidivimus omnia testimonia quæ Bellarminus ex Patribus adduxit.

CAP. XII.

Occurritur quinque Argumentis Bellarmini quæ à ratione petuntur.

TErtium genus Argumentorum superest, quæ à ratione ducuntur. Ea sunt quinque numero.

Prima ratio hæc est, Naturale est corpori animali sensu & appetitu prædito concupiscere bonum sensibile: Naturale est spiritui rationali concupiscere bonum spirituale, quare si fiat una natura ex spiritu rationali & corpore animali conflata, naturale erit illi habere diversas inter se & pugnantes propensiones. Quod igitur primi parentes nostri ante peccatum pugna ista diversarum appetitionum carerent, donum erat supernaturale, non conditio naturalis.

Resp. 1: Illud naturale esse corpori animali sensu & appetitu prædito, concupiscere bonum sensibile vere dici de corpore animali bruti sensu & appetitu prædito, siquidem bruto concupiscere bonum sensibile pure naturale est. At corpus animale hominis, licet sensu & appetitu præditum sit; specifice distinctum est tamen à corpore animali bruti; unde concupiscere bonum sensibile non est naturale corpori animali hominis, nisi suo modo & ordine (*scil.*) debito modo & ordine concupiscat.

Hujus rei ratio hæc est, licet in homine una eademque essentia sit, in eo tamen duplex

plex fundatur appetitus; unus rationalis, tendens ad superiora & spiritualia, alter sensitivus, respiciens inferiora & sensibilia, certa tamen lege, ut *scil.* non feratur ad hæc inferiora & sensibilia, nisi ex nutu & præscripto rationis: inde dicendum, appetitui sensitivo hominis naturale esse ut feratur ad objecta sensibilia juxta imperium rationis; & non nisi ad imperium rationis: siquidem ut rectè *Durandus*; *Actus appetitus sensitivi natus est regulari & mensurari per actum rationis, unde bonitas ejus consistit, in hoc quod adæquatur rectæ rationi; malitia autem in hoc quod deficit à ratione, sicut à sua regula & mensura.* Hæc ille 3 distinct. 33. q. 3.

Sed & ante Durandum sic hac de re scripsit Guliel. Parisiens. de vitiis & peccat. c. 2. Etsi secundum animale nostrū communicamus cum brutis, in spirituali nostro tamen præcellimus eis, & ideò secundum illud quod in nobis nobilius atq; sublimius est, nos vivere atque operari oportet; Omnino enim indecens atq; incongruum est, præferre quod inferius atque ignobilius est superiori atq; nobiliori; sequiq; illud & obedire illi; rebellare autem isti nostrum animale, absurdum videtur esse.

Amplius animale brutorum per se regnans atque dominans est, ut nullo vinculo obedientiæ vel servitutis in illis alicui obnoxium aut obligatum, utpote non habens superius apud illa. Animale vero nostrum, sicut superius habet apud nos & in nobis, sic est eidem debito subjectionis & vinculo servitutis astrictum: quemadmodum homo per se in religione aliqua degens ubi nullus est alius Princeps aut Dominus, liber est ab omni obedientiæ debito: si autem fuerit in regno vel principatu alterius, necesse habet eidem obedire & esse subjectum; verum siquidem (ut ait Tullius) omne regnum animæ à Natura tributum est; animale nostrum in nostro regno rationis est, & ideo necessario legibus ejusdem subjectum: in brutis vero tanquam seorsum est ab omni aliena ditione & potestate, & ideo liberum.

Ibidem, Idem Parisiens. ubi sibi objecisset antea, quoniam secundum animale nostrum communicamus cum brutis, & ideo quemadmodum vel operationes vel passiones, quæ in brutis sunt, secundum illud nihil habent injuriæ naturalis vel iniquitatis, imo magis sunt secundum justitiam naturalem sibi, ita operationes seu passiones quæ ex animali nostro in nobis sunt, vel à nobis fiunt naturaliter, nihil habebunt injustitiæ, nihil iniquitatis.

In hunc modum respondet, *Ex animali nostro naturaliter sunt hujusmodi passiones & operationes. Naturaliter,* (i.) *juxta primitivam nostræ naturæ institutionem seu conditionem, nam secundum statum illum, non nisi jussa ab ipso superiori nostro exirent, nunc autem tanquam libera exeunt, non expectato jussu seu mandato illius, quod modis omnibus eis illicitum fuit jure ac lege primitivæ institutionis nostræ, quibus jure plenissimo animale nostrum spirituali nostro subditum est & eidem ad obedientiam obligatum.* Hæc Parisiensis.

Ex hisce constare possit, si fiat una natura ex spiritu rationali & corpore animali conflata, naturale futurum ejusmodi composita subordinatas habere ad invicem propensiones non pugnantes inter se, & contrarias propensiones, ut habet Bellarminus ——

Fuit propensionum harmonia non συῤῥαξις, ordo non ἀταξία, amica concordantia non hostilis reluctantia. Vide supra.

Secunda ratio Bellarmini est. *Si corruptio quæ nunc est in natura humana non est consecuta ex sola remotione doni supernaturalis, neque fuisset in homine in puris naturalibus condito, quæro ejus causam; Aliqua enim causa esse debet rebellionis carnis ad spiritum?*

Respondent quidâ causam esse Deum: at Scripturæ reclamant; quæ concupiscentiam non esse à Deo multis in locis testantur, 1 *Joh.* 2. *Jacob.* 1. Lex item *Non concupisces* est à Deo, non ergo Lex membrorum, quæ illi repugnat, est ex Deo. Et quomodo jubet Deus, ut non faciamus quod ipse in pœnam peccati cogit nos facere. Porro S. Augustinus (inquit) multis in locis scribit, inobedientiam carnis à Deo retributam homini in pœnam peccati, sed explicat id factum esse per ablationem gratiæ non per immissionem concupiscentiæ, lib. 11. de Genes. ad lit. c. 31. & lib. 4. contra Julian: c. 13. & lib. 5. contra Julian. c. 3. Et Epist. 105. ad Sixtum, & Tract. 53. in Joh: Ex quibus infert Bellarminus, non esse Deum concupiscentiæ sive corruptionis

nis nostræ naturæ causam, nisi ut removentem prohibens, ut S. Thomas loquitur. Ex hisce concludit, quare cum nulla possit reddi causa hujus corruptionis præter conditionem materiæ ut causam efficientem, & peccatum Adami ut causam demeritoriam; & divinam justitiam dono supernaturali hominem spoliantem ut causam removentm prohibens; in his est acquiescendum, neq; alia causa quærenda est.

Resp. Corruptionis innatæ seu pravæ concupiscentiæ causas in primo homine fuisse.

1. Diabolum ut tentatorem & seductorem solicitantem ad esum pomi.

2. Voluntatem primi hominis consentientem, deficientem à bono & pevertentem ordinem in natura hominis inclinatione vehementi ad bonum primitus propendente:

Ubi enim voluntas integra & ordinata magna propensitate fertur ad bonum, ibi eadē voluntas integritate & ordine per inordinatam & perversam electionem privata, magna propensione necesse est ut feratur ad malum: Quo enim major erit propensio ad bonum in facultate aliqua, aut supposito, rite ordinatis & dispositis, eo major erit propensio ad malum in subjecto eodem bono ordinis privato: Ut in Dæmone videre est; Ipse enim in integro statu cum Angelus Lucis esset, libere à Deo avertens, in veritate concreata non stetit *Joh.* 8 4. Hinc horribilis naturæ in diabolo corruptio & depravatio; optimi siquidem corruptio est pessima.

In primo ergo peccato
- 1. Voluntas avertit sese libere a Deo.
- 2. Hæc aversio voluntatem privat subjectione ad Deum.

Hinc voluntas inordinata manet.

- 1. Aversa à Deo summo bono,
- 2. Prona & conversa ad omne malum.

Dicendum ergo est in supposito activo ordinato, in quo inest vehemens inclinatio ad bonum quale erat Adam ante lapsum, voluntatem, deficiendo à bono, & pervertendo ordinem in quo condita est, simul cum illo defectu trahere & contrahere positivam inordinatam inclinationem ad malum. Quomodo si linea recta esset agens voluntaria, hoc ipso quod se inflecteret in quamvis partem curvitatem contraheret. Quomodo sese quis sponte subducens a Luce, hoc ipso in tenebras se inducit; Ut enim in Musica, sublata harmonia, hoc ipso exoritur sonus incongruus, inconcinnus, incompositus, & plane dissonus: Ut in navi, impetu ventorum fracto gubernaculo, navis inordinate fertur, & impingit, & ruit in scopulos: Utq; nunc per multiplicationem actuum vitiosorum virtus deperditur, vitiiq; habitus simul inducitur: sic actus malus Adæ in esu pomi vetiti; qui ob insignem enormitatem, longe deterior erat quam multi actus mali in natura corrupta, destruxit & expulit habitum justitiæ originalis, & è contrario injustitiæ habitum corruptum sibi induxit; ut aliam causam immittentem & invehentem hanc corruptionem Naturæ inquirere non sit opus.

Quod Cajetanus de quovis mortali peccato ait, illud expellere habitum charitatis, illud multo verius de hoc primo peccato Adæ quod ob insignem deformitatem integritatem primævam expulit, & totam naturam hominis corrupit & depravavit: sicut (inquit) ponens obstaculum soli, ipso actu ponendi obstuculum effective (seu efficienter) expellit Lumen; ita peccatum mortale cum actualiter perpretratur, affectus vel actio peccantis expellit habitum charitatis. Ipsa vero privatio seu contrarietas maculæ obstantis conprivationi charitatis formaliter expellit charitatem, Cajet. in 22. q. 24. art 12. Vid. & art. 10. Cui ibidem astipulatur Banez. Multo verius sic: sicut ponens obstaculum soli, ipso actu ponendi effective expellit Lumen; ipsa vero privatio seu contrarietas obstaculi formaliter expellit lumen: sic Adam ipso actu libere avertendi se à Deo & convertendi se ad

esum pomi vetiti, expulit justitiam concreatam effective; ipse vero motus aversionis & indebitæ conversionis ad comedendum pomum vetitum; formaliter expulit illam justitiam concreatam in qua conditus est. Recte Prosper ad object: Vincentian. ob. 15. *Qui se à Deo avertit ipse & velle quod bonum est & posse sibi sustulit.* Quanto majus πρωτοπλάστης Adam in statu integro conditus, sese à Deo avertendo, male utendo libero arbitrio, & Velle quod bonum est, & posse sibi sustulit!

Cum ergo Augustinus dicat: Inobedientiam carnis à Deo retributam esse homini in pœnam peccati, idque factum esse (interpretante Bellarmino) per ablationem gratiæ non per immissionem Concupiscentiæ: vere dicitur si recte intelligatur: Neque enim cum dicit Augustinus, Deum retribuisse inobedientiam carnis homini in pœnam peccati, vult; Deum immisisse concupiscentiam in naturam humanam ab extra; sed neque ait, per ablationem gratiæ, Concupiscentiam ex materiæ conditione & humanæ naturæ principiis actu primo delitescentem fluxisse, & tum primum sese prodidisse, cum prius gratia supernaturali coercita fuerit & refrænata: (ut supponit Bellarm:) sed hominis integri voluntatem libere deficiendo à Deo summo bono, & aversione voluntaria pervertendo ordinem in quo condita est, simul cum illo defectu contraxisse inordinatam inclinationem & præcipitem ad malum; quomodo ex sublata harmonia nascitur ἀσυμμετρία, & ex sublata pulchritudine nascitur deformitas, & ex sublata sanitate nascitur morbus: sic ex sublatione debitæ subordinationis qua voluntas Deo subdebatur, & appetitus sensitivus Rationali, orta est prava & inordinata inclinatio tum in voluntate contra Deum, tum in appetitu sensitivo contra appetitum rationalem: sublato enim ab inclinatione naturali bono ordinis, succedit inclinationis naturalis deordinatio, depravatio, obliquitas, perversitas, & pravitas.

Tandem concludit Bellarminus, hujus corruptionis naturæ non aliam reddi posse causam

Quam
1. Conditionem materiæ ut causam efficientem.
2. Peccatum Adami ut causam Demeritoriam.
3 Divinam Justitiam dono supernaturali spoliantem, ut Causam removentem prohibens: Neque aliam causam quærendam esse.

Resp. Hic male assignari à Bellarmino causas corruptionis naturæ humanæ: & quidem primo quod ad *Efficientem* causam attinet, pessime illa statuitur *Conditio* materiæ: Id quod rationibus nonnullis evincemus.

1. Certum est Deum ipsum condidisse hominem, & conditionis materiæ verum authorem fuisse: Deus enim condidit hominem, eique inserit appetitum tum sensitivum quo propensionem habuit ad bona sensibilia appetendum: appetitum etiam rationalem quo ad spiritualia bona appetenda ferri potuit: ea tamen lege, ut sensitivus appetitus in primo homine non appeteret sensibilia nisi ad nutum rationis, cujus imperio subjiciebatur (ut supra demonstravimus in respons. ad Argum. primum. Quare, etiamsi demus, Naturam ex spiritu rationali & corpore animali conflari, ut fit in homine; non tamen inde consequenter infertur, ejusmodi naturæ naturale esse, diversas inter se & pugnantes propensiones habere: Quin potius ejusmodi naturæ erit naturale ut inferior propensio subordinetur superiori; & ut inferior propensio, qualis est in appetitu sensitivo, feratur ad objecta sensibilia, non nisi ad nutum & præscriptum rationis; cum ratio exigat, ut Caro obediat rationi, & inferior propensio subdatur & dirigatur à superiori: Non ergo corruptio naturæ humanæ oritur ex *Conditione materiæ à Deo facta*, ne Deum authorem tum naturæ, tum materiæ, peccati etiam simul authorem statuamus.

2. Si ex conditione materiæ, in eo quod natura humana ex spiritu rationali & corpore animali confletur, sequatur, necessario, rebellionem carnis adversus spiritum ex principiis naturæ humanæ oriri, (ut contendit Bellarminus) Tum in Christo Domino necesse est, ut hæc rebellio reperiatur, cum Christus Dominus assumpserit naturam humanam & ejusdem principia, cum factus esset nobis per omnia similis excepto

cepto peccato ut scriptura docet, & fides habet: Nihil enim, si conditionem materiæ spectemus, inest Adamo, aut omnibus ab Adamo propagatis, quod non inest etiam Christo Domino. At certum est hanc rebellionem carnis adversus spiritum in Christo Domino non extitisse; cum, fatente etiam Thoma 3 p. q. 15. art 3. Christum Dominum plenum gratia esse oportebat, cui prava hæc concupiscentia & rebellio manifeste adversatur: Non ergo in primo homine hæc rebellio fluebat ex unione partis sensitivæ & intellectivæ, ut pessime philosophatur Bellarminus, cum in Christo Domino facultas sensitiva & intellectiva uniantur; unde quicquid naturaliter resultat ex harum facultatum unione & connexione etiam in Christo reperiri necesse est: Cum tamen certum sit, etiam fatente Bellarmino, hanc pugnam & rebellionem propensionum in Christo Domino non extitisse: lib. 5. de amiss. grat. & stat. peccati, c. 14.

3. Corrumpitur in humana natura tam voluntas, quam sensualitas, imo magis corrumpitur voluntas quam appetitus sensitivus, docente Thoma; non enim magis repugnat caro rationi, quam voluntas Deo; cujus vulnus juxta Scholasticos est malitia. (i.) interprete Medina, odium rerum cœlestium & spiritualium: Hujus autem malitiæ in voluntate causa non potest esse conditio Materiæ, aut pugna carnis & spiritus, cum in voluntate nulla sit Caro (i.) sensualitas, cum sit appetitus sensitivus, contradistinctus à rationali, (i.) voluntate. Ipse Bellarminus lib. 5. de amiss. grat: & stat. peccat. c. 15. Agnoscit hanc voluntatis depravationem, quæ prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates; & etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria: Hæc autem (depravatio non est petenda ex conditione materiæ, nec peti potest: Neque enim in voluntate hæc depravatio ex ulla conditione Materiæ, aut ex pugna ulla propensionum oriri posse, vel fingi potest. Estius, p. 285. Col: 2. E. F.

4. Non solum corrumpitur humana natura, sed & Angelica, ubi nulla ex principiis naturæ occurrit pugna variarum propensionum, qualis in humana natura occurrit. Fremunt mali Angeli adversus Deum & obfirmati sunt in odio Dei & omnium piorum: Hæc rebellio Dæmonum adversus Deum & omnes bonos non potest proficisci ab ulla conditione materiæ cum nulla in iis materia excogitari potest, aut pugna propensionum, unde talis depravatio ortum haberet; quare neq; in humana natura corruptio ex conditione materiæ petenda est.

5. Creatus est Homo à Deo rectus, idq; rectitudine naturali absque omni curvitate aut virium rebellione aut facultatum pugna; fecit enim Deus hominem rectum; nulla ergo inerat homini ex materiæ conditione, aut obliquitas aut curvitas.

6. Si ex conditione materiæ (i.) ex unione variarum, imo pugnantium propensionum & inclinationum effective flueret prava concupiscentia, seu præceps illa in vitia inclinatio, quæ in nobis cernitur post lapsum Adæ, ut concedit & contendit Bellarm. lib. de gratia primi hominis c. 7.

Resp. Probanda, Tum Deus censebitur author pravæ concupiscentiæ & præcipitis inclinationis ad omnimoda peccata.

At Deus non est Author hujus vitiosæ concupiscentiæ, & præcipitis & effrænis inclinationis ad omnimoda peccata; Nam dicit Johannes. 1 Joh. 2. Concupiscentiam non esse ex Patre sed ex mundo: Dicit etiam Jacob. 1. Neminem à Deo tentari sed à concupiscentia; quæ certe non scriberet, si concupiscentia ipsa quæ fons est tentationum à Deo nobis esset inserta. Denique *Lex, non Concupisces*, sancta & bona, quam & legem mentis Apostolus vocat ad Rom. 7. sine dubio est à Deo: quomodo igitur Lex membrorum quæ illi repugnat est à Deo? Quæ fere sunt verba Bellarm: de grat. 1 hom. c. 6.

Secunda ratio, Ergo Conseq. probatur; quia qui tribuit propensiones varias & pugnantes easque unire vult in eodem supposito est causa varietatis & pugnæ in ejusdem suppositi operationibus: ut enim actus qui habent ortum à propensione & inclinatione aliqua tribuuntur authori istius inclinationis & propensionis, ut fit in descensu lapidis; iste enim motus non solum tribuitur lapidi sed etiam generanti, Authori naturæ, idq; quia gravitatem indiderit lapidi, quæ censetur esse causa motus deorsum: sic etiam actus varii & pugnantes, qui habent ortum à variis & pugnantibus

propensionibus & inclinationibus in eodem supposito unitis & coadunatis, necesse est ut authorem habeant unientem & coadunantem hasce propensiones & inclinationes, qui non alius est quam Deus opt: max. Naturæ & conditionis materiæ author & conditor.

Hac de causa recte dicitur, Deum non posse se solo, sine ulla dependentia à creatura, infundere in voluntatem habitus per se vitiosos: Nam,

1. Qui tribuit propensionem & inclinationem ad aliquid operandum censetur esse causa illius operationis, ut fit in descensu lapidis. At non potest Deus movere & inclinare quempiam ad operationem culpabilem, quod faceret si infunderet alicui habitus vitiosos.

2. Actus qui habent ortum à propensione & inclinatione aliqua tribuuntur authori istius inclinationis, quomodo & peccatum Petri tribuitur tum Dœmoni, tum Judæ sollicitanti ad ilud peccatum.

3. Hinc sequetur Deum fore Authorem mali, saltem indirecte, at non dicendum est, Deum vel indirecte per se esse authorem mali spectati in genere moris: vide Puteanum in 12. q. 79. artic. 1. & 2. p. 410. col. 2 B. C.

Ex hisce constat materiæ conditionem non esse causam efficientem corruptionis humanæ naturæ, contra quam habet Bellarminus.

Restat ergo ut vera causa corruptionis sit Satanæ seductio ut instigans & solicitans; Principalis autem causa, ipsius Adæ voluntas, libere se avertens à Deo & libere sese convertens ad creaturam. Hoc peccatum Adæ actuale infecit naturam humanam, sed prius personam Adæ, quam naturam, in illo enim à persona redundavit contagium in naturam: In Adami autem progenie res se è converso habuit, siquidem in Adami progenie, prius enim in Adæ filiis natura intelligitur vitiata quam persona. Recte Anselm. lib. 1. *Cur, Deus Homo,* c. 23. per victum hominem tota natura corrupta est & quasi fermentata peccato. Et de concept. virg. c. 22. Spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam, & natura egens facta, omnes personas quas ipsa de se pro creat eadem egestate peccatrices & injustas facit.

2. Cum Bellarminus statuit peccatum Adæ ut causam non nisi Demeritoriam corruptionis naturæ adimit voluntati Adæ in peccando omnem efficientiam, acsi non esset nisi causa demeritoria peccatum Adæ: At voluntas Adæ cum defectu ordinis operans tum avertendo se à Deo cui antea subjecta est & adhæsit, & libere convertendo ad esum pomi vetiti realiter infecit personã, & per personam naturam suã, simulq; etiam naturam humanam quæ in ejus persona tum tota continebatur: In Adamo enim omnes peccarunt, inquit Apost: *Rom* 5. 12, (i.) tanquam in efficiente & inficiente causa omnes ejus posteri peccato inficiebantur, seu (ut postea loquitur) peccatores constituti sunt: Ut recte Estius dist: 30. atque hinc, Quod natum est ex carne caro est, idque non demeritorie tantum sed & efficienter, juxta verum sensum servatoris, Joh. 3. quomodo filius ex Patre naturaliter nascitur, & Pater efficienter gignit filium. Falso ergo Bellarminus statuit Peccatum Adæ non fuisse nisi causam demeritoriam corruptionis naturæ humanæ, cum vere ejus corruptionis etiam effectrix fuerit tum in ipso Ada tum etiam in posteris; *In ipso*, nam convertendo se ad indebitum esum pomi vetiti, cujus conversionis causa realis & efficiens erat voluntas ejus libera, rectitudinem actualem sibi realiter & efficienter sustulit: siquidem aversio à Deo & conversio ad creaturam, actualem subjectionem voluntatis ad Deum efficienter sustulit, & auferendo sibi subjectionem actualem, simul meruit ut Divina justitia eum spoliaret, justitia illa Originali habituali, & gratia quæ voluntatem Deo actualiter subjiciebat.

Voluntas Adæ libera sua aversione auferebat rectitudinem actualem *efficienter*, at rectitudinem habitualem non nisi demeritorie sustulit: Deus vero in pœnam liberæ aversionis efficienter: Ut hic sit ordo.

1. Voluntas Physice sese subducit consequenter à subjectione debita, avertendo à Deo, & convertendo ad esum pomi prohibiti.
2. Hoc ipso tollit efficienter rectitudinem actualem.
3. Hoc ipso peccando meretur ablationem rectitudinis habitualis.

4. Deus

4. Deus efficienter in pœnam peccati tollit rectitudinem habitualem, vid: Halens: p. 2. q. 95. memb. 1. art 1, & 2. p. 218.

In posteris item, nam peccatum Adæ causa Physica fuit & realis transfusionis peccati oiginalis in posteros; nam qui causa est Physica & realis alicujus qualitatis ad quam sequitur privatio alterius, est ex consequenti & indirecte causa Physica talis privationis, eo modo quo privationes habent causam: Etenim qui dealbat parietem nigrum consequenter causat privationem nigredinis: sed Adamus est causa realis conversionis ad objectum contrarium rationi, edendo de arbore vetita, & ad illam conversionem inordinatum, secuta est privatio justitiæ originalis, tam in ipso quam in tota natura, atque in omnibus ex illo oriundis filiis, ut recte Alvar: de auxiliis disp. 44. n. 18 S. *Quod autem.* Actus enim iste indebitus privat voluntatem actu suo debito quo actu subjiciebatur Deo, idque Physice seu efficienter, voluntas enim convertendo se ad indebitum & prohibitum esum, avertit se à Deo, & hoc ipso subducit se à debita subjectione, ac proinde hoc ipso efficienter & per se aufertur rectitudo ipsa, quæ ne intelligi potest sine subjectione, qua pars animæ superior Deo subjecta esset eique tanquam bono suo per dilectionem adhæreret, ut recte Estius 2 dist. 25 pag. 296. Col: 2. D.

3. Cum Bellarminus statuat, Divinam justitiam dono supernaturali spoliantem, esse causam removentem prohibens, in eo sine dubio fallitur; siquidem causa removens prohibens non datur nisi ubi aliqua inclinatio ad aliquid supponitur, cujus operatio impeditur ab extrinseco prohibente: At non est dicendum, ullam inclinationem ad malum in voluntate Adæ extitisse ante lapsum, etiamsi diceremus Adamum creatum in puris naturalibus fuisse; neque enim inclinatio ad malum etiam supernaturali dono cohibita in voluntate potest consistere cum puris naturalibus, sed solummodo reperitur in voluntate jam corrupta & depravata. Siquidem in homine quem Deus in puris naturalibus condidisset, nulla fuisset inclinatio ad malum, multo minus illa malitia voluntatis quæ recensetur inter vulnera animæ; quam B. Medina 1, 2, q. 109. art 3. Conformiter Thom. 1, 2. q. 85. art. 3. appellat Odium rerum cælestium & spiritualem. Nulla (inquam) ejusmodi malitia, aut odium rerum divinarum & spiritualium in homine extitura erat, quē Deus in puris naturalibus creasset, quin naturaliter in eo fuisset sanitas & rectitudo hisce vitiis opposita. Vid. Estium in 2 dist. 26. S. 6. Videtur etiam p. 301. Col. 2, A. B. Neque enim potest Deus dare inclinationem ad operationem culpabilem, etiamsi dono aliquo extrinseco eius operationem impediret; sic enim Deus indirecte saltem operationis malæ causa dicendus est, cum removet prohibens, donum scil. supernaturale quo impeditur inclinatio mala ne in pravam operationem exeat. At Deus ne indirecte operationis malæ causa dici potest aut debet.

Illud tamen adjiciendum in hoc negotio, divinam justitiam suas interposuisse partes, quod ut clarius elucescat, sciendum est, ab illa originali rectitudine, quæ in Adamo integro fuit, profluxisse duos insignes effectus.

1, Ingentem cupiditatem, ordinatam tamen, veri cognoscendi & omnium rerum, saltem quæ naturaliter sciri possunt, perfectam scientiam consequendi.

2. Vehementem quandam ad omne bonum voluntatis propensionem, & ab omni malo voluntatis alienationem: Cum autem dicta rectitudo consisteret potissimum in eo, quod pars animæ superior Deo perfecte subjiceretur, & adhæreret, mens; per perfectam Dei, Legisque ejus notitiam: Voluntas autem per plenam obedientiam & amorem, & quod pars animæ inferior.

1. Appetitus sensitivus, tam concupiscibilis quam irascibilis sine ulla pugna & rebellione superioribus subordinaretur; Adam tamen à Diabolo tentatus, libera sua à Deo aversione, & conversione itidem libera ad esum vetiti pomi, hac sua inobedientia subjici Deo recusat, atque ita subducens se à debita actuali subjectione, imeruit ut divina justitia eum spoliaret originali illa habituali rectitudine, quæ omnes animæ partes in officio suo contineret; hinc secuta est luxatio facultatum animæ, ἀταξία & deordinatio in supposito actuoso, privato bono ordinis & rectitudinis, quod debitum

bitum fuit naturæ & simpliciter necessarium ad bene agendum, & finem suum ultimum consequendum; quæ deordinatio concupiscentiæ nomine insigniri solet.

Non ergo oritur concupiscentia prava ex remotione originalis justitiæ, ut removentis prohibens, acsi ex ipsis naturæ principijs naturaliter oritura esset, sed ex remotione originalis justitiæ, ut bono naturæ humanæ debito ad bene esse, & simpliciter necessario ad finem suum ultimum consequendum; quomodo morbus oritur ex remotione sanitatis, non ut removentis prohibens, quasi in homine naturalis esset inclinatio ad morbos, quæ dono supernaturalis sanitatis prohibetur, sed ex remotione sanitatis, qualitatis naturalis, ad cujus remotionem sequitur morbus præter naturam: Nam quamvis sanitas non admittat morbum, unde quodam sensu dici potest prohibere morbum, non tamen removens sanitatem recte dicitur causa removens prohibens, cum τὸ prohibens in tali causa denotet aliquid extrinsecum impediens operationem ab aliqua inclinatione naturaliter proficientem; quale extrinsecum non est sanitas, cum potius sit perfectio subjecti cui inest, eiq; intrinseca, & suo modo naturalis & debita, cujus absentia est præter naturam, si non contra naturam, vid. Cajetan in 1, 2. q. 82. art. 1. ad primum. Atq; hoc modo philosophandum est de malitia & dæmonum & ejus exortu: siquidem in illis erat, ratione originalis rectitudinis in qua conditi sunt, vehemens quædam ad omne bonum propensio, & ab omni malo voluntatis alienatio; illi tamen sese à Deo libere avertentes, & ad propriam excellentiam sese convertentes, æqualitatem cum Deo appetiverunt, atq; adeo sese subducentes à debita actuali subjectione, meruerunt ut divina justitia eos spoliaret originali illa rectitudine habituali quæ intellectum & voluntatem in debita Deo subjectione continebat; hinc orta est in dæmonibus malitia, fremitus erga Deum, & odium Dei & humani generis & ad omne malum effrænis & præceps propensio & inclinatio; quæ tamen non oriuntur ex remotione originalis justitiæ ut removentis prohibens; acsi ex ipsis malorum Angelorum naturæ principiis naturaliter orirentur hæc mala: sed ex remotione Originalis justitiæ & rectitudinis in supposito actuoso hoc bono ordinis & rectitudinis privato; quod bonum Ordinis debitum fuit naturæ Angelicæ ad bene esse, & simpliciter necessarium ad finem suum ultimum consequendum. Malitia ergo Dæmonum non fluxit à principiis naturæ Angelicæ quæ dono supernaturali cohibita est, quo remoto ut prohibente, tum sese exerere cœpit; sed ex remotione originalis rectitudinis in supposito actuoso bono ordinis & rectitudinis privato, quod debitum fuit ad bene esse naturæ Angelicæ, & absq; quo, non potuit malo & miseria carere.

Ex hisce constat Divinam justitiam partes suas habuisse in hoc negotio introducendæ corruptionis in humanam naturam rectitudine non indebita & supernaturali, sed naturali & debita, eam spoliando non removendo prohibens, sed privando suppositum actuosum ordinatum bono ordinis & rectitudinis in pœnam aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam.

Atque hæc dicta sunt ad solutionem rationis secundæ Bellarmini; quam dextre solutam vix temere reperias.

Ratio 3. Ex peccatis quæ ab hominibus post lapsum primi hominis committuntur, quamvis plurimis & gravissimis, amittitur solum donum gratiæ supernaturalis, & acquiritur propensio quædam ad idem peccatum iterum committendum, & minuitur inclinatio ad virtutem peccato illi contrariam, sed non corrumpitur principium aut donum aliquod naturale, neque acquiritur aut augetur propensio ad omnia vitia, neque minuitur inclinatio ad omnes virtutes; ut Experientia ipsa testatur.

At peccatum Adæ cum fuerit certum quoddam & actuale peccatum, & ejusdem generis cujus sunt cætera; quæ ab hominibus committuntur; non videtur alium effectum producere potuisse, quam producant cætera, eo excepto, quod illud ut Capitis totius naturæ in omnes posteros redundavit: Non igitur probabile est, ex peccato Adæ naturalia principia sive dona potuisse corrumpi, neque concupiscentiam illam nasci quæ est propensio ad omnia vitia, nisi ea, remoto justitiæ originalis dono, ex ipsa natura composita, ex contrariis consecuta fuisset.

Resp. Amittunt posteri Adæ per personalia peccata solum donum gratiæ supernaturalis, & acquiritur propensio quædam ad idem iterum committendum, & minuitur

inclinatio ad virtutem peccato illi contrariam; omnis siquidem gratia posteris Adæ jam lapsis est indebita, utpote quæ hominibus jam plane indignis confertur, ac proinde non mirum si amittatur solum donum gratiæ supernaturalis in hominibus lapsis; cum nemo posterorum Adæ jam habeat donum originalis justitiæ, ac proinde nec eam amittere possit. At hoc non impedit quo minus per peccatum Adæ (quod peccatum non solum fuit peccatum personæ, sed & *naturæ humanæ*, & eo gravius & enormius qui pluribus innocentiæ & justitiæ præsidiis munitus esset adversus omnem hostilem impetum) amittatur illa rectitudo Originalis, quæ suo modo debita erat naturæ humanæ in prima ejus institutione, & ad bene esse ejus omnino necessaria, utpote eam ita intrinsice perficiens, ut absq; illa, natura humana non potuit malo & miseria carere; Cujus absentia mala & nociva futura erat, & ex cujus remotione tota humana natura infecta & labefactata fuit.

Ad objicit Bellarminus, *Peccatum Adæ cum fuerit certum quoddam & actuale peccatum & ejusdem generis cujus sunt cætera quæ ab hominibus committuntur, non videtur alium effectum producere potuisse quam producant cætera eo excepto quod illud ut capitis totius naturæ in omnes posteros redundavit, non igitur probabile est ex peccato Adæ naturalia principia sive dona potuisse corrumpi neque concupiscentiam illam nasci, quæ est propensio ad omnia vitia, nisi ea, remoto justitiæ Originalis dono ex ipsa natura Composita, ex contrariis consecuta fuisset.*

Resp. Longe aliam esse rationaem peccati Adami, si ejus enormitatem spectemus, quam peccati ullius postero rum ejus: Potest autem hujus enormitas sive malignitas ex multis æstimari.

1. Ex ingratitudine erga Deum ratione beneficiorum.
2. Ex facilitate non-peccandi.
3. Ex magnitudine noxæ.
4. Ex voluntate peccantis.

1. Ex ingratitudine summa erga munificentissimum benefactorem: Deus Adamum ad suam ipsius imaginem in justitia & sanctimonia condiderat: *Fecit (inquit Damascenus lib. 2. c. 12. de fid: orthod:) Deus hominem purum, innocentem, rectum, fortem, jucundum, securum, omni virtute decorum, bonis omnibus ornatum, eumque in omnium voluptatum paradiso amœnissimo collocaverat; En beneficia tot ac tanta, qualia nemini posterorum unquam concesserat Deus: Et tamen non obstantibus omnibus hisce beneficiis conditorem suum per summam ingratitudinem deseruit: Non mirum ergo si in pœnam justam tantæ ingratitudinis, non tantum supernaturalia penitus ablata fuerint, sed & rectitudo illa primæva debita humanæ naturæ, quæ ad bene esse ejus omnino necessaria erat, sed & prava concupiscentia in supposito illo actuoso, bono ordinis & rectitudinis privato, nasceretur.*

2. Ex facilitate non-peccandi, quæ major fuit in Adamo quam in quovis posterorum. Habuit enim præceptum unum tantum, idque levissimum, habuit multa quæ ad servandum merito impellerent, Dei jubentis authoritatem, gravissimas pœnas prævaricatori propositas, caruit concupiscentia quæ ad peccandum induceret, habuit tantam omnium fructuum varietatem, & copiam, ut facile potuit abstinuisse, nec tamen abstinuit: Audiamus verba Augustini, hac ipsa de re, de civit: Dei lib. 14. c. 12. *Hoc de uno cibi genere non comedendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve preceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi presertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quæ de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliori possit observantia custodiri:* Et cap. 15. *Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res a Creatore facile imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio.*

3. Enormitas hujus peccati facile æstimatur ex magnitudine noxæ; quæ erat corruptio, infectio, & læsio totius generis humani: peccatum enim in eadem specie, tanto majus est, quanto pluribus nocet: Nullum autem fuit unquam peccatum, quod pluribus unquam noceret, quam peccatum Adæ; siquidem universum genus humanum

humanum æternæ damnationi addixit. *Hinc* (inquit Augustinus loco citato) *est universa generis humani massa damnata; quoniam qui hoc primitus admisit, cum ea quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est.* Et eodem lib. 14. de civitate Dei, c. 1. *A quibus (primis parentibus) commissum est tam grande peccatum ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa.*

4. Ex voluntate peccantis. Quo sanctior est voluntas exorbitans, & quo peccatum magis liberum & voluntarium, eo gravius est & enormius: At tale fuit peccatum Adæ: Nullus enim peccator ex posteris Adæ tantam habet aut habiturus est libertatem ac Adam habuit: Summa porro erat in eo voluntatis perfectio, qualis in nullo homine post lapsum extitura erat] Non mirum ergo, si iste unus actus inobedientiæ tam enormis hanc habitualem deordinationem omnium virium animæ tam enormem, in naturam nostram invexit, cum, vel Philosophis fatentibus, una actio prava, si sit valde enormis, habitum pravum possit producere; qualis est parricidium, incestus, aut similia facinora.

Ex dictis clarius elucescit hujus peccati enormitas; quibus adde, ut in hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuerint; ut habet Tertul. adversus Judæos, c. 2. Unde hæc arbor totius obedientiæ legalis sacramentum fuit; ita inobedientia primi hominis in esu vetiti pomi, adversus totius legis sacramentum commissa est; & in hac lege, totius moralis legis compendium violavit; ut recte ibidem Tertullianus, Cujus porro hæc sunt verba, ubi agit de primis parentibus: *In principio mundi* (inquit Tertull.) *ipsi Adæ & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio Paradisi ederent: quod si contra fecissent, morte morerentur, quæ lex iis sufficeret si custodita: In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt, data per Moysen.* (i.) *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex anima tua; & diliges proximum tibi tanquam te; Et non occides, Non Mœchaberis, Non fraudaveris, Falsum testimonium non dices: Honora patrem tuum & matrem; Et alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei: Deniq; si Dominum suum dilexissent contra præceptum ejus non fecissent: Si proximum deligerent* (i.) *semetipsos, persuasioni Serpentis non credidissent; atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra præceptum Dei: Furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestiissent; nec falsum asseveranti Diabolo participes efficerentur, Credendo ei, quod similes Deo essent futuri: atque ita nec Deum offendissent ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat: Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent.* Unde concludit, *Igitur hac generali ac primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt.* Hæc Tertullianus: Ubi ostendit, primos parentes in violanda hac primordiali lege, simul violasse legem de diligendo Deo toto corde, de diligendo etiam proximo, legem etiam de non occidendo, cum in semetipsos homicidium commiserint; legem item de non furendo, clam degustando de fructu vetito; legem item de falso testimonio non dicendo, quatenus falsum asseveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quod similes Deo essent futuri: legem item de honorando patre & matre quatenus Deum offendissent ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat: legem item de non concupiscendo alieno, quatenus de fructu illicito gustaverunt.

Similiter Leo, 1. epist. 86. ad Nicetum Aquileiensem Episcop. explicans verba Apostoli, Rom 3. *Per unum hominem peccatum intravit in mundũ.* Hæc habet. *Quamvis in illo uno possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur: Nam & superbia est illic, quia in sua homo potius esse quam in Dei potestate dilexit; Et sacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium, quia se præcipitavit in mortem; & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus: & avaritia, quia plus*

quam

quam sufficere illi debuit appetivit: Et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione poterit inveniri. Hæc Leo. Ubi ex ejus sententia; in hoc uno peccato reos pronuntiat primos parentes, superbiæ, sacrilegii, homicidii, fornicationis spiritualis, furti, avaritiæ, & aliorum.

Audiamus etiam B. Prosp. cont. collat. c. 21. *Scientiam boni Adam tunc habebat quando bonum sanctumque mandatum Dei fideli corde servabat, & erat justus manens in imagine creatoris sui, legisque ejus non obliviscens; postquam autem se, hoc est, Imaginem & Templum Dei deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam, quia perdidit boni conscientiam, justitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem, nec potuit illic ulla portio residere virtutum quo tanta irruperat turma vitiorum.*

Ex dictis satis perspicitur longe aliam rationem fuisse peccati Adæ, atque ejus posterorum. Cum enim ille radix esset totius generis humani & ut publica persona sustineret vicem, & repræsentaret personam totius generis humani, concredita illi sunt, non tantum personalia dona, sed quæ ad totam posteritatem propaganda erant: In illo omnes homines fuerunt ut in causa efficiente & propagante; in quantum omnes ab eo, secundum rationem seminalem, propagandi essent. Illo in integritate persistente, omnes itidem homines in eadem perstituri erant, ac proinde illo peccante, omnes in illo peccarent; illo sese corrumpente & inficiente simul corrupta est, & infecta tota natura humana. Non mirum igitur Adamum rectitudinem originalem & subordinationem virium animæ debitam, ac per hoc naturalem in qua conditus est, peccando amiserit pro se & posteris, & ex ejus amissione in totam Adæ progeniem vitiosa irreperet & prava concupiscentia & præceps illa & effrænis ad omnimoda mala inclinatio, quæ jam cernitur in natura lapsa: Cum in subjecto ordinato vigoroso & actuoso, & magna propensione ad bonum inclinato, qualia erant appetitus Adæ integri uterque tum rationalis tum sensitivus, sublato per perversam electionem bono ordinis, totus uterque magna propensione necesse est ut feratur ad malum. En ortum pravæ conscientiæ in natura humana; non remotione doni mere supernaturalis, cohibentis pugnantes propensiones, quo minus in actualem pugnam prodirent; (quæ est perversa si non hæretica Bellarmini sententia;) sed ex privatione & remotione qualitatis debitæ, ac per hoc naturalis, originalis, *scil.* habitualis rectitudinis, qua remota hæc pugna propensionum in pœnam peccati Adæ justo Dei judicio naturam humanam invasura erat & re ipsa invasit.

Hæc dicta sunto ad copiosiorem solutionem tertii Argumenti.

4 *Ratio.* Si natura humana qualis nunc est, remota culpa, mala est, & necessario labitur in peccata, & ideo non potuit à Deo creari (ut adversarii volunt) sine justitia originali; Certe sequitur non posse hominem mortuum à Deo revocari ad vitam, nisi præditum originali justitia; idem enim sequitur absurdum sive creetur sive reparetur à Deo natura mala & quæ necessario peccet: Non enim reparatio illa minus est opus solius Dei quam Creatio: Et sicut Deus diceretur Author peccati si naturam crearet quæ non posset peccata vitare, sic etiam censeretur peccati author, si naturam repararet, præsertim solus, & immediata sui actione, quæ non posset peccato abstinere.

At multos novimus ex sacris literis à mortuis excitatos divina virtute, & ex iis nonnullos, quos omnino credibile est à peccato originis fuisse purgatos: qualis fuit Lazarus, frater Marthæ, & infantes illi quos Helias, & Helizæus à mortuis revocarunt, qui tamen sine dubitatione ulla, etiam in nova illa vita justitia originali carebant, & tales erant quales sunt cæteri, qui ex parentum carne, per generationem, via ordinaria propagantur. Adde quod hæc ratio à majori duci potest. Nam si Deus animas justas Lazari & infantium de quibus diximus conjungere potuit corpori mortali animali concupscentiæ & ignorantiæ obnoxio; cur non magis potuit initio animas neque justas, neque injustas simili corpori conjungere.

Resp. Ut huic argumento rectius occurratur, dicimus ad illa quæ in hoc argumento supponuntur.

1. Certum esse, potuisse Deum absolute creasse hominem, cum pugna propensionum; sed hinc dicimus, hanc pugnam non futuram esse aut culpam aut pœnam, aut vitium (quod semper juxta Augustinum est naturalis alicujus boni ablatio, *Ench.* c. 11.) *Sed naturæ donum nulli verecundiæ nulli reprehensioni obnoxium.* Atque hinc est quod Augustinus pronuntiat, Retract. 1. cap 6. *Ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus est, sed laudandus esset.*

2. *Certum est, Deum non potuisse hominem creasse cum ea pugna propensionum quæ jam est in natura humana, quin hominem crearet curvum, mancum, imperfectum, vitiosum, imo malum, vituperabilem, & odio dignum, & cum necessitate peccandi.* Siquidem 1. ipse Bellarm. cap. 7. de primi hom. justitia; agnoscit hanc concupiscentiam in homine suo fictitio in puris naturalibus condito futuram fuisse naturalem; sed non ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectum & quasi morbum quendam naturæ, ex conditione materiæ consequentem; ac proinde rectissime dici, *Non esse ex Deo,* odio non amore dignam, malam porro esse, naturæque contrariam.

At 1. concupiscentia in Bellarmin hominie fictitio non potuit esse defectus, omnis enim defectus in creatura est defectus ab aliqua bonitate aut præhabita aut saltem debita; & quidem in creatura irrationali per actiones & passiones suo bono contrarias; in rationali vero, ut talis, non nisi per actū propriæ voluntatis: cum autem in homine ejusmodi fictitio Bellarmini nulla bonitas concupiscentiæ contraria aut præhabita supponitur aut debita; quare concupiscentia ejusmodi non erit ullus defectus in istiusmodi homine, imo nec morbus naturæ ex materiæ conditione consequens, siquidem omnis morbus est defectus sanitatis aut præhabitæ aut saltem debitæ: sed naturæ donum (ut supra diximus) nulli verecundiæ nulli reprehensioni obnoxium; ac per hoc necesse est ut sit à Deo, siquidem omne naturæ donum est ex Deo authore naturæ, ac proinde non odio sed amore dignum; nihil autem odit in creatura rationali Deus præter peccatum. Porro, nec ejusmodi concupiscentia in tali homine mala esse potest, cum non sit privatio alicujus naturalis boni, multo minus naturæ contraria, ut & habet Bellarminus, cum ipsa naturalis sit necesse est, ac proinde naturæ bonum.

2. Cum ait futurā fuisse naturalē hanc concupiscentiā homini in puris naturalibus condito, & tamen non ut bonum aliquod naturæ, sed defectum & quasi quendam morbum naturæ ex conditione materiæ consequentem; recte videtur loqui pugnantia; quomodo enim homo in puris naturalibus conditus dici potest qui congenitum habebit defectum ex puris naturalibus proficiscentem, imo morbum naturæ? Quis ejusmodi naturalia pura pronunciare potest quæ sana non sunt, ac non potius ægra ac morbida naturalia? aut quis hominem conditum in non sanis sed ægris aut morbidis naturalibus (qualis & fictitius Bellarmini homo conditus) cum prava concupiscentia & tamen sine justitia & sine peccato in puris naturalibus condi posse merito dicere queat? Imo quis non jure dicere debet, si Deus ejusmodi hominem conderet, Deum rem mancam imperfectam sponte conditurum? quod abhorrere videtur, ab ejus sapientia ac bonitate, Dei enim perfecta sunt opera.

3. Porro nos supra docuimus, hanc pravam concupiscentiam non recte dici ex conditione materiæ ortum habere, cum in Christo Domino conditio materiæ hunc effectum concupiscentiæ non produxerit: ut mittam alias rationes quas supra adhibuimus; Cum fateatur Bellarm. hanc pravam concupiscentiam non esse ex Deo, odio, non amore dignam, malam porro esse, naturæq; contrariam; hæc omnia satis perspicue testantur, Deum non potuisse ejusmodi hominem creare cum pugna propensionum & concupiscentia prava, quin talis homo rectissime diceretur non esse ex Deo, Deo exosum esse, malum esse, naturæq; contrarium, saltem κατα τι ratione hujus pravæ concupiscentiæ: At quis mente sanus vel cogitare potest, Deum ejusmodi hominem creare potuisse, qui vel simpliciter vel κατα τι non esset ex Deo, qui Deo exosus esset, qui malus esset; & naturæ contrarius? Opifex certe naturæ bonus est, ergo nihil condit quod κατα' τι non est ab eo, quod ei exosum est κατα' τι, aut malum κατα' τι, aut naturæ contrarium.

Hisce in hunc modum præmissis ad argum: Bellarm. respondemus. Si natura humana

mana non potuit creari à Deo sine justitia originali; sequitur, hominem mortuum non posse à Deo revocari ad vitam, nisi præditum originali justitia.

At hoc falsum, cum ex sacris literis contrarium constet.

Conseq. probatur; quia idem sequitur absurdum, sive creetur, sive reparetur à Deo natura mala & quæ necessario peccat.

Resp. Negamus consequentiam, nam etiamsi dicamus non potuisse hominem à Deo creari, animal in suo genere perfectum absque Originali rectitudine; tamen hinc non sequetur non posse hominem mortuum à Deo revocari ad vitam nisi præditum Originali rectitudine: dicimus enim aliam rationem esse creationis aliam revocationis ad vitam. Si enim Deus creasset hominem cum tali languore naturæ, qui odio & delectatione dignus sit, sit quoq; malus & naturæ contrarius, qualis est concupiscentia, asserente Bellarmino, Deus utique foret author peccati, cum concupiscentia prava per se & suapte natura sollicitet ad peccatum. At si Deus ad hanc vitam revocet homines justitia originali destitutos, & peccato originali obnoxios, non propterea est peccati author, quia corruptionem naturæ non inducit aut facit, sed invenit; ut in Lazaro quem à mortuis excitant, peccatum siquidem Originis adeo intime atque arcte inhæret post lapsum naturæ humanæ, ut non possunt corpora nisi totali destructione & corruptione præeunte ab hoc malo liberari: Ergo quando Deus in istorum resuscitatorum corpora peccato Originali adhuc infecta, animas postliminio quasi reducit, non idcirco ipse corruptionis istius author dici potest, cum eam nec induxerit, nec fecerit sed in iis inveniret; quod præclare demonstratur ex eo quod Deus omnes impios in die ultimo sola & immediata sui actione resuscitabit cum peccato, cum tamen eorum peccata non sint expiata, nec possunt a peccato abstinere, quare nulla Deo macula impingitur, quantumvis quorundam corpora cum peccati radice in vitam hanc revocasse dicatur.

Porro cum in minoris probatione asserit Bellarminus, eos quos a mortuis excitatos fuisse sacræ literæ meminerunt, à peccato Originis fuisse purgatos, & tamen sine ulla dubitatione in nova illa vita justitia Originali caruisse, in quibus recenset Lazarum & infantes ab Helia, & Helizeo suscitatos. Hæc non nisi temere asserentur.

Nam primo non est probabile, ad hanc vitam revocatos à peccato Originali purgatos fuisse, sic enim vitæ partem reliquam absq; omni peccato transigerent, adeoq; sine mortis (quæ peccati stipendium est) interventu in vitam cælestem transferri fuissent, quorum utrumque grandi probatione indiget. Quanto verius est illud Theologorum Dominium peccati regeneratione, sensum peccati morte, radicem non nisi totali corporis destructione & ad cineres reductione? unde & legantur apud Epiphanium Proclus, sive potius Methodius orthodoxus confert peccatum inhabitans Caprifico, è magnifici templi structura enascenti, quæ multiplicibus radicum brachiis per omnes lapidum diffunditur compages, quæ non prius excrescere desinit, quam disjectis ex eo, unde prodierit loco lapidibus, tota penitus labefactata concitat. Epiphan. Hær. 64. qui est Origianorum, n. 25. p. 548. *Tum enim sublata caprifico, suis locis restitui redivivi lapides possunt & templum ipsum incolume servetur, cum nullum amplius ex iis, quibus, evertebatur incommodis habeat; Caprificus vero ab imis radicibus evulsa moriatur. Ad eundem plane modum (inquit) artifex ille Deus templum suum hominem, qui peccatum caprifici cujusdam instar produxerat, dissolvit. cumque mortis ad tempus i, mpressione, atque impetu opprimi passus est primum; uti scriptum est: dehinc ad vitam excitavit ut iisdem prædita partibus caro, exiccato, intermortuoque peccato, velut templum quoddam instauratum, immortalis, ac sine ullo damno resurgeret, sublato à fundamentis profligatoque peccato; Etenim quamdiu corpus vivit, nec adhuc mortuum est, cum eo vivere peccatum necesse est, & occultas in nobis ipsis radices agere; quantumvis quibusdam velut castigationum reprehensionumque putationibus coerceatur. Alioqui post Baptismum nullum jam scelus perpetraremus; posteaquam peccatum à nobis funditus esset sublatum. Aliqui etiam post susceptam fidem, sanctissima illa aqua lotione perfusi peccatis sæpius obstringimur. Neque enim adeo se immunem ab omni peccato gloriari quispiam potest, ut ne cogitatione quidem ullum scelus admittat. Ex quo consequens est reprimi quidem ac consopiri modo fide peccatum, ne perniciosos fructus emittat, non omnino tamen ac raidicitus extingui. Quocirca nunc illius quidem germina, pravas nimirum*

cogitationes inhibemus, ne qua radix amaritudinis erumpens molestiam nobis afferat, nec apertas ad pullulandum vias, ac spiramenta dehiscere ac patefieri sciamus. Proindeq; divino verbo, velut securi quadam, fruticantes identidem ab radice stirpes excidimus. At in futuro illo statu, mali omnis vel cognitio tolletur. Hæc Methodius, de peccati radice penitus extirpanda, non nisi totali corporis destructione, & cinefactione, seu ad cineres reductione; jam resuscitatorum horum corpora nondum fuere ad cineres redacta.

De statu animarum separatarum horum resuscitatorum major est dubitatio, annon illæ per finalem gratiam ab omni peccati fæce purgatæ fuerint, in ipso è corpore egressu. Certe omnibus rite propensis, tutissimum est dicere per singularem οἰκονομίαν, ob miraculum sæculorum animas horum resuscitatorum ad hanc vitam, nec a peccato plene & plane purgatas fuisse, nec in Cœlum assumptas, sed alibi in nobis incomptis receptaculis asservatas fuisse, donec corporibus reunitæ fuerint.

Quinta Ratio (inquit Bellarm:) proprie pugnat adversus illos qui non solum qualemcumq; rectitudinem, sed etiam omnia dona primis parentibus in creatione concessa naturalia fuisse contendunt. Vis rationis huc redit.

Primi parentes erant filii Dei:

At absurdum est rem creatam, qualis est homo, Dei filium naturalem facere, id enim soli Christo competit, id probat ex Augustin: lib: 3. adversus maxim: c. 15. Ideo, inquit, homo fit gratia filius, quia non est natura. Et Cyrillus lib. 1. in Joh. c. 18. Alia inquit, naturæ ratio, alia adoptionis, & alia veri filii, alia adoptalis; sumus autem nos filii Dei adoptione. Vere igitur ac naturaliter ille filius est, per quem nos in filiationem adoptati.

Resp. Bellarminum agnoscere hoc Argumentum pugare contra illos, & illos solummodo, qui omnia dona primis parentibus collata naturalia fuisse contendunt. Nos vero fatemur quædam supernaturalia dona ipsis collata fuisse in quibus sunt, fides in mysterium sacrosanctæ τριάδος, imo porro dicimus, ipsum donum justitiæ seu rectitudinis originalis non fluxisse à principiis naturæ humanæ, sed supernaturalem originem habuisse, naturalem enim fuisse quoad usum, & debitam, adeoque debitam, ut absque ea natura humana bene esse non potuit ac malo & miseria carere: ac proinde non fuisse donum mere supernaturale, indebitam naturæ humanæ exaltationem, ut contendit Bellarminus.

Ad argumentum igitur Bellarm. respondemus, distinguendo de filiis Dei. { Natura. / Gratia.

Filius Dei per naturam bifariam accipitur, vel enim sic dicitur { λόγος, seu secunda persona. / *Angelus*, vel homo integer.

Λόγος dicitur filius Dei per naturam, propter æternam ex essentia patris generationem, sic solus λόγος filius Dei, & hoc sensu Augustinus contra maxim: & Cyril. in Joh. dicunt Christum, quam λογον, fuisse filium Dei natura. At Angelus & homo ante lapsum dici possunt filii Dei per naturam, jure creationis, quia integritas illa, & rectitudo in qua conditi sunt, adeo fuit illis naturalis, ut debita fuerit, & necessaria ad eorum bene esse, & absq; eo non potuerunt malo & miseria carere. Quomodo nos omnes φύσει dicimur filii iræ, jure generationis, quia ab Adamo jam facto filio iræ propagati sumus, & peccatum debetur filiis Adæ per modum pœnæ, est enim debita pœna peccati Adæ.

Distinguendum etiam est de filiis Dei per gratiam, vel enim sunt per gratiam. { 1. Hypostaticæ unionis. / 2. Creationis, / 3. Adoptionis.

Per

Per gratiam Hypostaticæ unionis solus Christus, quoad humanam naturam, est filius. Per Dei gratiam creationis, sic Angeli & Adam integer. Quod enim Angeli & Adam, & in eo humanum genus conditi sunt, id erat ex peculiari gratia Dei. Sic August. in psalmum 114. Attendamus, inquit, gratiam Dei non solum qua fecit nos, verum etiam qua reficit nos, & Epist 95 Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus —— quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Ex his respondetur ad Augustinum & Cyrillum.

Per gratiam adoptionis intelligimus gratiam quæ hominibus demerentibus & indiginis per Christum confertur, Sic filii Dei per gratiam regenerationis dicimur.

Ex istis facile solvitur ratio Bellarmini.

Ad minorem igitur respondemus, absurdum esse rem creatam dici filium Dei per naturam, propter æternam ex Patre generationem; non autem absurdum est rem creatam, qualis fuit Adamus integer, dici filium Dei per naturam, quatenus conditus fuit ad imaginem Dei, & propter illam naturæ originalem rectitudinem paterno amore hoc suum πλάσμα Deus complexus est: Idem tamen Adam, quam integer creatus, per gratiam etiam filius Dei recte dici potuit, quia singulari & gratuito Dei beneficio natura humana in eo ad tantum dignitatis fastigium evecta fuit.

Atque ita jam tandem absolvimus quæstionem illam de primi hominis justitia, quam ostendimus non fuisse indebitam humanæ naturæ exaltationem, sed debitam conditionem ac proinde naturalem.

Jam σὺν θεῷ pergendum est in artic. 9. nostræ confessionis explicatione simul ac demonstratione.

Cap. XIII.

Absoluta Quæstione de primi hominis iustitia naturali, ad Articuli noni Confessionis Ecclesiæ Anglicanæ explicationem atque demonstrationem fit progressus & ostenditur peccatum Adæ vere dici Originale, & posteris, eius iure, merito imputari.

NOs juxta verum sensum dicti Articuli, & ejusdem explicationem ex Homiliis in Art. 35 confess: nostræ Eccles: confirmatis, ostendimus.

1. Adamum sua inobedientia in pomo vetito commedendo sese subduxisse a subjectione debita, & obedientiæ ad quam ex præcepto Dei tenebatur renuntiasse, atque adeo merito se privasse originali illa justitia, in qua primitus conditus est.

2. Hoc peccatum personale inobedientiæ ab Adamo perpetratum, quo se privavit dicta justitia, reliquisse post se aliquid in Adamo permanens, unde ipse merito peccator & dicebatur & erat.

3. Docuimus ipsam privationem Originalis justitiæ in Adamo, quam dicit carentiam justitiæ debitæ inesse, proprio suo demerito contractam, culpæ personalis habitualiter manentis etiam proprie dictæ rationem habuisse.

4. Ostendimus ex dicta personali inobedientia Adæ, non solum secutam fuisse in Adamo privationem justitiæ Originalis vere culpabilem, sed & vitium & depravationem virium animæ, sed & pronitatem inordinatam & propensionem ad omnimoda mala, quæ & concupiscentia prava dici solet, quæ vere & proprie peccatum & dicebatur & erat.

Atque ita vidistis quem effectum habuerit peccatum Adæ, in persona Adæ, jam ad Articuli dicti germanam explicationem ordo postulat, ut postquam ostendimus quem effectum Adæ peccatum, in Adæ persona, protulerit; ostendamus itidem quos effectus

ctus in posteris produxerit, & quid in eos transierit, Conclusiones 9 supra deduximus ex ipso Articulo, Vide Conclus. 1, 2, 3, 4, 5, pag. 7, 8, 9. Ecclesia nostra in Homil. de Nativit. Domini, fuse depingit miseriam in quam Adam suo peccato incidit —— ostendit item Adamum lapsu factum fuisse massam peccati, & Dei justo judicio factum fuisse æternis pœnis obnoxium. Addit porro, hanc miseriam non solum in Adamum incidisse, sed in omnes ejus posteros, unde tota progenies Adami (inquit) iisdem pœnis obnoxii fiunt, quas Adamus culpa sua juste meruerat, idque probat ex 5 Rom. vers. 18. Sicut per unius delictum reatus venit in omnes homines in condemnationem, & unius Adami inobedientia multi constituti sunt peccatores.] Quibus verbis docemur (inquit Homilistes) ut quemadmodum in Adamo omnes universaliter peccarunt, sic in Adamo omnes, in universum, mercedem peccati acceperunt, scil. mortales facti sunt, morti obnoxii, habentes in se non nisi æternam condemnationem, tum animi tum corporis. *Facti sunt*, dicente Davide, *corrupti & abominabiles, omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non usque ad unum.* Addit, *O miserum & deplorandum hominis statum! ubi unius hominis peccatum omnes perdit & damnationi addicit homines, unde nihil hominibus expectandum erat aliud quam mortis angores & pœna infernales. Unde mirum non fuisset si homo ad desperationem plane adductus fuisset, quand quidem in tantum cecidisset à vita ad mortem, à salute ad perditionem, à cœlo ad infernum.* Huc usq; Homilia ex hoc loco juxta Ecclesiæ nostræ sensum constat.

1. Omnes homines in Adamo peccavisse.
2. Omnes homines in Adamo peccantes iisdem pœnis obnoxios factos, quibus & ipse Adam; æternæ, *scil.* condemnationi, tum animi tum corporis.

Vide similem locum Homil. 2. de morte & passione Salvatoris. Supra.

Ex dictis juxta germanum Ecclesiæ nostræ sensum recte colligitur Adæ peccatum transiisse in posteros,

tum { 1. Imputatione. / 2. Propagatione. }

Atque adeo ad peccatum quod originale vocant, complendum exigi utramq; tum imputationem peccati Adæ actualis, tum propagationem vitiositatis in eodem post actum peccati permanentis & inhærentis. Ut autem hoc clarius elucescat præmittendum est peccati nomen bifariam sumi posse,

vel quod denotat { 1. Liberam transgressionem præcepti. / 2. Id quod remanet in animo peccatoris post actionem illam transgressionis præcepti, unde vere peccatum dicebatur & erat. }

Istas autem acceptiones vocis peccati, omnes agnoscunt locum habere in peccato actuali & personali; sed cum originale peccatum, non minus proprie & vere peccatum sit quam personale & actuale, ut postea demonstrabimus, non est quod vereamur ad originale etiam peccatum illas extendere, ut vere infert Bellarminus, cum igitur videamus in puero recens nato, nihil esse quod peccatum in priori significatione dici possit, quippe in quo voluntas ab omni actione vacat, certe peccatum in priori significatione non in nobis, sed in prima tantum origine (*i.*) in primo parente quærendum est. Nec est aliud, haud dubio, quam inobedientia illa voluntarie ab eo commissa, per quam se & suos posteros justitia originali spoliavit, reos mortis efficit, turpes & invisos Deo reddidit; Itaque ut recte subjungit Bellarminus; peccatum in priori significatione unum esse duntaxat omnium hominum, sed in Adamo actuale, in nobis originale dicitur. Solus enim Adam actuali voluntate illud commisit, nobis vero per generationem communicatur, eo modo quo communicari potest id quod transiit nimirum per imputationem. Omnibus enim imputatur qui ex Adamo nascuntur, quoniam omnes in lumbis Adami existentes in eo & per eum

peccavimus

peccavimus, cum ipse peccavit. Sed & hic, ad clariorem hujus rei delucidationem adjiciendum Adamum in Paradiso duplicem personam gessisse,

1. Tum sui ipsius.
2. Tum totius posteritatis, cujus sustinebat massam.

Ac proinde actum inobedientiæ Adæ, geminum habuisse respectum tum ad
1. Ipsum, & sic erat personalis ac actualis ejus transgressio, non proprie originalis, sed originans, (i.) originali peccato posterorum originem præbens.
2. Ejus posteros, qui in lumbis ejus ut in massa una cum eo peccaverunt, quomodo Levi decimatus fuit, dum esset in lumbis Abrahami patris sui, Heb. 7. 8, 9.

Sed præterea dicimus, quemadmodum in Adamo præter actum inobedientiæ fuit etiam perversio voluntatis, & obliquitas & deordinatio per quam peccator proprie & formaliter dicebatur & erat, donec ei per pœnitentiam remitteretur: ita quoque in omnibus Adami posteris cum primum filii Adæ esse incipimus, præter imputationem inobedientiæ Adæ, esse etiam similem perversionem obliquitatem & deordinationem unicuique inhærentem per quam peccatores proprie & formaliter dicimur, donec per novam nativitatem talis iniquitas remittatur: sed hanc deordinationem in Adamo fuisse personale peccatum in posteriore significatione, in nobis originale in eodem posteriori significatione.

Sic igitur à nobis quæratur, quid proprie sit originale peccatum? Respondemus cum Bellarmino: Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipiatur, peccatum originale est prima Adæ inobedientia, ab ipso Adamo commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si autem peccatum accipiatur pro eo quod remanet in in homine post actionem; & unde idem homo non peccans, sed peccator nominatur, peccatum originale est carentia originalis justitiæ, una cum habituali aversione & deordinatione voluntatis, quæ & macula voluntatem Deo invisam reddens appellari potest.

Hisce ita præmissis ad Ecclesiæ nostræ de peccato originali sententiam fusius explicandam & demonstrandam quædam proponendæ sunt conclusiones. Sit prima coclusio,

1. Peccatum Adæ quæ fuit libera transgressio præcepti de non comedendo pomo vetito, & totius humani generis transgressio peccatum erat originale, quod peccatum originale denotat actionem & jure imputatur posteris Adæ, estque veri reatus inductivum.]

Ubi ostendendum hoc peccatum Adæ
1. vere dici originale.
2 Jure imputari posteris Adæ.
3. Veri reatus esse inductivum.

2. Adæ peccatum quod totius humani generis transgressio fuit recte dici potest originale, quia omnes jam inde ab initio in Adamo peccaverunt; cum enim Adam esset origo humani generis, peccatum ejus fuit peccatum originis humani generis, quod est dicere originale, quod peccatum denotat actionem, itaque in illo peccavimus, in illo condemnationem incurrimus, quia illius peccatum nos obstrinxit.

2. Dico jure hoc peccatum imputari posteris Adæ, licet enim unum fuerit duntaxat omnium hominum in Adamo, actuale & personale in nobis recte dicitur originale. Solus enim Adam actuali voluntate illud commisit, nobis tamen communicatur, per generationem eo modo, quo communicari potest illud quod transit, nimirum

mitum per imputationem. Omnibus enim imputatur qui ex Adamo nascuntur; quoniam omnes in lumbis Adami existentes in eo, & per eum peccavimus, cum ipse peccavit, ut supra diximus.

Probatur autem hæc assertio ex Apostol. Rom. 5 12. In quo omnes peccaverunt, Ex quo loco recte infertur, nos omnes non solum nasci peccatores, sed etiam aliquando peccavisse, quod idem Apostolus docet, Rom 3. cum ait, Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Homiliastes Serm. de nativ. Dom. p. 168. hoc idem evincit ex Rom. 5. 18. 19.

Sed quia certum est, ut recte Bellarminus, neminem nostrum peccavisse propria voluntate, antequam nati essemus, ut ipse Paulus testatur, Rom. 9. ubi de Jacob & Esau dicitur, eos nondum quicquam boni aut mali egisse, quando matri eorum dictum, Major serviet minori. Sequitur ut peccavimus aliena voluntate (i.) Adami; quæ tamen voluntas nisi fuisset aliquo modo totius naturæ, ac per hoc etiam nostra, nullo modo vere peccavisse diceremur: peccavimus igitur in primo homine, quando ille peccaret, & illa ejus prævaricatio, nostra etiam prævaricatio fuit.

Hoc ipsum probat Homiliastes, dicta Homil. Apost. ad Rom. 15. 18. *Sicut per unius delictum reatus venit in omnes homines in condemnationem.* Et vers. 19. *Unius inobedientia peccatores constituti sunt multi. Quibus verbis docemur* (inquit Homilia) *ut quemadmodum in Adamo omnes universaliter peccaverunt; Sic in Adamo omnes, in universum mercedem peccati acceperunt,* scil. *mortales facti sunt, morti obnoxii: habentes in se non nisi æternam condemnationem animi & corporis.* Hæc Homilia. Ex quo efficitur juxta verum Homiliastæ sensum, omnes posteros Adæ in Adamo peccavisse, ac proinde mortis supplicii, tum temporalis tum æternæ reos factos. Participes ergo omnes peccati Adæ facti, ac proinde pœnæ illius peccato debitæ. Participatione ergo, (i.) imputatione, non proprietate Adæ peccatum nostrum est. Eodem pertinet illud ad Rom. 5. 19 *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

Sub voce *Multi* infantes etiam comprehendi, docet Apostolus, dicens, vers. 14 Mortem regnasse ab Adamo usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adæ (i.) qui non peccaverunt actualiter; quod non nisi de parvulis intelligi potest. Eodem cap. 5. vers 15. dixit Apostolus. Unius delicto multos esse mortuos, & vers. 26 reatum ex uno transivisse ad condemnationem. Quomodo enim Christi obedientia in perpetienda morte multi constituti sunt justi, quatenus Christus pro iis satisfactionem præstitit, quæ illis imputatur, ita & Adami inobedientia multi peccatores constituti sunt, quatenus illa iis imputatur. Porro nos non vere per Adami inobedientiam constitueremur peccatores, nisi illius inobedientia nostra etiam inobedientia esset, & ex illa profluxisset illa deordinatio & perversitas quæ in nobis inhæret. Verba etiam (per unam offensam & per inobedientiam unius hominis respiciunt) ipsum Adami factum & divini mandati violationem, non contagionem inhærentem, aut contagionis ad nos derivationem. Sic *Theophilactus* in locum. *Delictum unius est illa inobedientia Adami per quam pecatores constituimur (i,) obnoxii supplici, reiq; mortis.* Unius delicto peccatores constituti dicimur, quod ejusdem imputatione obnoxii supplicio & rei mortis reddimur, & ejusdem reatu involvimur, ut aperte colligitur ex vers. 16. Ubi Apostolus diserte agit de reatu primæ transgressionis Adæ, non de propagatione originalis maculæ, unde & vers. 18 & 19. de ejusdem reatus communicatione necessario intelligendi sunt.

Sed & apertissima ratione hoc ipsum evincitur. Nisi enim ponamus Adamum cum primum peccarit, totius humani generis personam gessisse & præceptum de pomo vetito non comedendo, non solum Adamum, sed omnes qui in lumbis ejus erant pariter obligasse, atque adeo nos in Adamo & cum Adamo vere peccasse, nulla ratione explicari poterit, quomodo in parvulis recens natis, sit aliqua veri nominis culpa. Nam quicquid dicamus in parvulis ex peccato Adami hærere sive reatum, sive originalis justitiæ carentiam, sive aversionem habitualem, sive quodvis aliud, illud nullo modo parvulis vitio dari, ac ne esse quidem poterit nisi processerit ab actione libera, cujus actionis parvuli illi aliquo modo participes fuerint.

At

Ac reatus quidem cum sit relatio consequens actionem, qua ratione fieri potest ut existat in eo qui non est particeps actionis?

Carentia item justitiæ originalis, quomodo imputari potest alicui ad peccatum, nisi ejus vitio fiat, ut careat? Aversio item habitualis nullo modo culpæ deputandum est, nisi præcesserit actualis, imo nisi præcesserit actualis aversio ne intelligi quidem potest. Nam si Deus per absolutam suam potentiam, ut recte Bellarm. spoliaret hominem justum gratia, sine ulla ejus culpa actuali solo beneplacito suæ voluntatis, careret ille quidem conversione habituali ad Deum, quam habitus gratiæ faciebat: Sed non propterea diceretur à Deo aversus, sed tantum non conversus, qua actione nullius culpæ reus dicendus est. Quomodo si Deus (inquit) hominem aliquem ex nihilo nunc produceret, & gratiæ habitum illi non infunderet, non haberet ille conversionem ad Deum, sed neque aversionem, sed tantum non-conversionem, quæ nomen culpæ nullo modo meretur.

Porro, fingamus parvulum aliquem in quo habentur reatus, carentia, & aversio dicta; & tamen eundem non peccasse in Adamo, quis capere poterit eum merito reprehendi & puniri posse aut debere? Siquidem talis non est culpandus quod ita generatus est, cum impedire non potuerit ne sic gigneretur, nasci enim est plane involuntarium, ergo nasci cum dicto reatu, carentia, & aversione dicta. Stat igitur illud omne veri nominis peccatum essentialiter dicere ordinem ad liberam voluntatem, adeo ut si aliunde quam à libera voluntate nascatur, veri nominis peccatum non esset.

Atque hinc est quod blasphemiæ peccatum in furioso vel Psittaco non esse censetur etiamsi voces blasphemiæ edunt, Quod certum non recte censeretur nisi quia, quia non ducit originem à libera voluntate. Nullo ergo modo imputari potest ad culpam quod nullo modo à libera voluntate processit. Adde & illud quod recte annotavit Malderus, in 12. q. 81. art. 1. p. 258. Omne peccatum habituale dicere essentialem ordinem ad præcedens aliquod actuale; adeo ut sit impossibile eum fore aut esse peccatorem habitualiter qui actualiter nullo modo peccavit. Et quanquam quidam non existiment id esse necessarium in originali; in originali tamen non minus hoc est necessarium quam in personali peccato; cum etiam originale proprie peccato habituali accensendum sit: de cujus ratione est voluntarium esse, voluntarium autem peccatum esse non potest, sine respectu ad voluntatem actu peccantem. Unde necesse est ut parvulorum peccatum originale inhærens respectum habeat ad Adami primum peccatum quod parvulo ab illo oriundo suo modo imputatum est. Ex dictis satis constat non posse intelligi quomodo in posteros Adæ propagari possit reatus, nisi præcesserit imputatio actus, quippe quæ illius fundamentum sit, quia enim parvulo recens nato imputatur peccatum actuale Adami, ideo merito reus censetur hujus peccati.

Sed & ex Augustino hoc ipsum apertissime evincitur, peccatum nimirum Adæ imputatum fuisse posteris, & quidem jure imputatum fuisse.

Lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 7. unde nec illud liquido dici potest, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat, In quo omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur, ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc pecaverunt quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat adhuc omnes, ille unus, fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine vita unius hominis continebat.] Hic Augustinus non posse recte dici ait, peccatum Adæ, non peccantibus nocuisse, nec hoc peccatum Adæ alienum prorsus dici posse, cum in eo omnes peccarunt, & omnes ille unus fuerunt.

Et lib. 5. de peccat. merit. & remiss. cap. 10. Certe manifestum est alia esse propria cui que peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum in quo omnes peccaverunt, quomodo omnes ille unus homo fuerunt.

Et lib. 4. cont. 2. Epist. Pelagian. cap. 4. *Restat, ut in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccavit, unde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non solvitur.*

Nam & sic S. Hilarius intellexit quod scriptum est in quo omnes peccaverunt, Ait

 enim,

enim *in quo* (i.) *in Adam omnes peccaverunt.* Deinde addidit, *Manifestum est in Adam omnes peccasse quasi in massa; ipse enim per peccatum corruptus, unde omnes quos genuit nati sunt sub peccato.* Hæc Augustinus ex Hilario, quæ tamen in Hilarii Pictaviens. operibus hodie non reperiuntur, sed totidem verbis hæc reperiuntur in Comment. in Epist. Pauli ascriptis Ambrosio, qui tamen non videtur esse horum germanus author, cum alicubi hic author Græce se nescire profiteatur, cum S. Ambrosius optime Græcam calluerit, uti indicant multa quæ ex Origine & Basilio mutuatus est. Deinde horum Commentariorum Ambrosij, nec Hieronymus, nec Augustinus meminerunt, quod certe argumento esse potest sub nomine Ambrosi tunc non extitisse. Et paulo ante illud in illo homine peccaverunt omnes, ideo dictum est, quoniam quando ille peccavit, in illo erant omnes.

Et de Civit. Dei. lib. 16. cap. 27. *Etiam parvuli non secundum vitæ suæ proprietatem sed secundum communem generis humani originem omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverint.* Omnes in illo ut in commui stipite. Et lib. 13. c. 24. *Omnes etiam fuimus in illo uno, quando omnes, ille unus corrupit.* Ubi retractans quædam verba de Genesi contra Manich. l. 2. c. 29. & Retract. l. 1. c. 10. *Nulli naturæ nocere peccata nisi sua; possunt sane Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, & ideo parvulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi, nulli naturæ nocere peccata nisi sua, non intuentes ideo parvulos qui utique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum quia in primis hominibus, natura humana peccavit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata nisi sua, per unum quippe hominem in quo omnes peccaverunt, peccatum intravit in mundum. Non enim nulli homini, sed nulli naturæ dixi, nocere peccata nisi sua.* Ubi August. ostendit, quo sensu recte dixit nulli naturæ nocere peccata nisi sua: Siquidem hoc dicendo, supponit Adami peccatum actuale fuisse peccatum non personale solum sed & commune totius naturæ humanæ, quatenus toti naturæ imputatum est: Ac proinde recte dici, Nulli naturæ nocere peccata nisi sua, quatenus hoc peccatum cuilibet homini imputetur.

Sed & ante Augustinum Patres agnoverunt, Adamo peccante, totum quod in eo fuit genus humanum velut communiter peccavisse; non solum quod ex ipso peccatum contrahimus, sed quoniam ipso peccante omnes in eo prævaricati sumus. Et hoc ipsum quod ille peccatum admisit, nostrum sit & reputetur.

Hinc Irenæus, lib. 5, c. 17. Quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipimus nostri debiti remissionem.] Per lignum autem facti sumus omnes debitores Deo, quoniam in Adam omnes de ligno vetito commedimus.

Hinc est quod S. Basil. Orat. de jejun. Quandoquidem non jejunavimus (edendo *scil.* de ligno scientiæ boni & mali) excidimus è Paradiso. (*i.*) non jejunavimus quatenus in Adamo non abstinuimus à pomo vetito. G. Nazian. in Orat. de Natal. Dom. *At postquam* (inquit) *Diaboli invidia, mulierisque transgressione, proh mea imbecillitatis (mea enim fuit primævi parentis) traditi madati oblitus homo est, amaroque succubuit gustui, pariter & à vitæ ligno, & à Deo propter pravitatem extorris agitur.* Quomodo dicit Nazianzenus, Mea fuit imbecillitas primævi parentis, nisi quatenus illa imbecillitas primævi parentis Adæ sua reputata est? Et Orat. 3. de pace. *Totus cecidi, atque ob primigenæ hominis inobedientiam & Diaboli fraudem condemnatus sum.* Quomodo vere dicere potuit, se totum cecidisse ob primi hominis inobedientiam, nisi quatenus illa inobedientia sua quodammodo reputabatur.

Ambrosius in cap. 15. Luc. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; Periit Adam, & in illo perierunt omnes, *scil.* quatenus inobedientia omnibus imputatur; ad quam secuta est in omnibus tum privatio justitiæ, tum vitium animæ depravatio.

Imo & tempore Augustini & post Augustinum alii patres ejus insistunt vestigiis. Orosius Apologetico de arbit. liber. Omnes peccaverunt sive in Adam sive in seipsis & egent gloria Dei, Universa igitur massa pœnas debet; & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur.] Nulla ergo, juxta Orosium, injustitia esset apud Deum, si universa massa lueret pœnas ob peccatum Adæ.

Author

Author Hypognost. lib. 2. *Adæ peccatum vere tunc soli nocuit, cum solus esset ipse, & Eva mulier ejus, sed in illis unis omnes eramus, quia natura humani generis, sicut in nobis omnibus illi unum sunt, quia natura eorum sumus.* En tota natura humana in illis unis.

Prosper lib. de Ingratis. c. 27.

Inviolata Dei quondam & sublimis imago,
In primo cuncti fuimus Patre dum nemore ab alto
Corruit, & cuncti simul in genitore cadente.
Corruimus ——

Bernard. Serm. 1. de Dominic. 1. post 8. Epiphaniæ, agens de culpa originali. *Aliena* (inquit) *est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: Nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto.* Quid disertius? N. de Lyra in Rom. 5. *Peccatum Adæ imputatur omnibus ab eo descendentibus secundum vim generativam quod sic sunt membra ejus; propter quod vocatur peccatum originale.*

Accepistis necessitatem imputationis actualis peccati Adæ; jam sequitur ut ejusdem imputationis æquitatem & justitiam ostendamus.

Dixit Bernardus, ut modo audivimus, *Culpam originalem & alienam esse, & nostram. Nos enim* (ait) *peccasse in alio, & illud peccatum justo Dei judicio nobis imputari; & certe quid ni dixerit, justo Dei judicio imputatum nobis Adami peccatum: Enimvero cum Adam bona accepisset non sibi tantum sed & posteris, non est mirum si hisce bonis suo demerito privatus, ea sibi amiserit & posteris. Si quis ob crimen perduellionis, capite mulctetur, & ad ærarios redigatur, cum eo quoque liberi nobilitate excidunt: Nec quicquam æquius quam ut debitum à patre contractum filii dissolvant; & ut bonorum ita & debitorum sint hæredes.* Molin. peccat. orig. p. 141.

Sed & alia exempla adhiberi solent. Thomas 12. q. 81. art. 1. in Corpore; sic rem hanc explicat. *Omnes homines qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura quam à primo parente accipiunt; secundum quod in civilibus, omnes homines qui sunt unius communionis, reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo: etiam Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sint unus homo: Sic igitur multi homines ex Adam derivati, sunt tanquam multa membra unius corporis; Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum: unde homicidium quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se ut divisa à corpore, sed imputatur ei in quantum est aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis,* scil. *à voluntate: Sic igitur inordinatio quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius; sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis, omnes qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum: unde peccatum quod sic à primo parente in posteros derivatur, dicitur originale; sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis dicitur Actuale: Et sicut peccatum actuale quod per membrum aliquod committitur non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam à primo parente, unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud ad Ephes. 2. Eramus natura filii iræ.* Hæc Thomas: ubi exemplum de membris satis accommodatum est.

Quemadmodum motio manus si referatur ad manum, non habet rationem culpæ nec voluntarii si consideretur manus secundum se & divisa à corpore, sed si referatur ad voluntatem moventis habet rationem culpæ quatenus imputatur ei in quantum est aliquid hominis quod movetur à primo principio motivo hominis, *sc.* à voluntate: Sic ex voluntate primi parentis ex quo tota posteritas derivatur, peccatum illud in posteris, velut in membirs Adæ, voluntarium esse censetur.

Est aliud exemplum in homine movente seu imperante sua voluntate appetitum

sensitivum ad actum intemperantiæ, quæ quidem voluntas est extrinseca appetitui sensitivo hominis secundum se consideratо, non autem est extrinseca illi ut est *Appetitus sensitivus hominis*; quia voluntas est inclinatio totius suppositi humani & consequenter omnium partium illius, ut partes sunt: atque adeo in appetitu sensitivo reperitur intrinsece *Vitium & virtus* etiamsi in ipso appetitu sensitivo non reperiatur formaliter aliquod voluntarium proprium ipsius appetitus, sed solum voluntarium participatum à voluntate, quæ est inclinatio totius suppositi. Idem proportionabiliter dicendum est de posteris Adæ qui contrahunt per generationem peccatum sibi proprium & extrinsecum; quamvis non reperiatur in illis aliud voluntarium præter voluntarium primi parentis qui fuit caput totius naturæ; illud enim voluntarium censetur parvuli.

Alvar Disp. 45. n. 16.

Sed & addo in unoquoque corpore, sive sit physicum, sive politicum, sive mysticum, id quod facit caput, qua caput, hoc toti corpori jure imputatur; voluntas quæ est inclinatio totius suppositi, quæq; quasi caput & regina est in homine, cum peccavit totum corpus complectitur. Facta magistratu toti reipublicæ, facta patrisfamilias toti familiæ imputantur fide; jussor pro reo merito punitur.

Scriptura pronuntiat tribum Leviticam lumbis Abrahæ inclusam decimas obtulisse Melchisideco, Heb. 7. 9. Sic & nos Adæ posteri, in lumbis Adæ peccantis conclusi, peccati illius rei facti sumus, quatenus imputatur; quomodo in lege civili justissime statuitur ob crimen læsæ majestatis etiam liberos puniendos lib. 5. C. ad L. Jul. Maj. Cum ergo Adamus fuerit caput totius humani generis, & nos omnes illius membra, ille pater, nos filii, merito peccatum inobedientiæ, quod ille ut caput patravit, nobis imputatur.

Vid. Meisn. Dec. 1. Disp. 5. n. 18.

Hæc ut paulo accuratius ostendamus scimus omnes; nec novum, nec insolitum, aut injustum bona corporis, & mala à patre ad filium naturaliter propagatione transmitti. Si pater lepram contrahat aut podagram, forsan ex ebrietate aut alia quavis ejus intemperantia: unde & filius leprosus generatur aut podagricus, quis feret ut filius dixerit, injuste hæc sibi evenire, aut injuriosum esse aut Deum aut Naturam. Natura enim id fit, ut qui corpus accipit à patre, etiam illa accipiat quæ substantiam illam individuam necessario consequantur. Similiter dicendum est de bonis fortunæ; si forsan ære alieno absorbeatur hæreditas patris, aut tenuior erit. Hic enim nullæ querelæ justæ ratio in naturam aut in Deum esse potest, sed in patrem, cujus profusione & vitio hæc contingunt & in filii noxam cedunt; ipso tamen jure & æquitate naturali, quia filius in hujusmodi est aliquid patris, & censetur ipse peccasse quod ad hæc attinet in patre suo. Unde nec incongruum aut injustum judicamus cum videmus ignominiam patris redundare in filios; Præsertim quod filii sæpe solent imitari parentum vitia. Quidni ergo ex peccato patris hoc merito fiat ut aliquid detrimenti redundet in filios, etiam secundum animam. Id quod adhuc clarius constabit in protoplasto Adamo, cui collatum erat à conditore bonũ originalis justitiæ ex quo bono fiebat ut pars inferior, appetitus sensitivus, appetitui rationali seu voluntati, absque omni contumacia, superior item pars seu voluntas Deo conditori suo, pariter subderentur.

Hoc donum, licet supra conditionem hominis fuit, ratione corporis, tamen ratione melioris & dignioris partis hominis, seu animæ, quæ immortalis erat & à Deo fuit, debitũ erat homini primo, siquidem ratione animæ homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, atq; hac raitone justitia originalis debita erat humanæ naturæ ut & alia dona & perfectiones divinæ, absq; hisce enim homo esset mancus & miser & omnium animalium imperfectissimus: In hisce donis erat quod homo immortalis esset nec morti subderetur, quæ immortalitas si suam dignitatem servasset Adam ex quadam congruitate & decentia debebatur homini ob præstantem dignitatẽ animæ, quæ sua natura immortalis erat. Sed & alia conveniebant etiam homini per quæ quicquid in humana coditione propter carnis imbecillitatem inveniebatur infirmum & caducum firmabatur & solidabatur.

Sed hæc dona non tantum Adæ personæ conferebantur sed propter ipsum omnibus posteris & ab illo ad posteros transmittenda. Disposuit enim hæc dona providentissime Deus ipsi Adamo tanquam stipiti & capiti & principio omnium nostrum à se immediate

immediate condito ut ex illo in eos obvenirent,sciens (quod & ipse ordinavit) naturale esse patrem filiis thesaurizare,quod & habetur apud Apostolum, 2 Cor. 12. 14. ubi ait, *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis:* quem locum explicans Thomas, 22. q 101. art. 2. ad. 2 sic habet, *Quia pater habet rationem principii, filius autem rationem habet à principio existentis; ideo per se patri convenit ut subveniat filio, & propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam, quod est, thesaurizare.* Naturaliter ergo pater, quia habet rationem principii filiis de necessariis prospicere tenetur. Adamus ergo cum rationem principii habuit respectu totius generis humani, tum in temporaliibus tum in spiritualibus tenebatur iis prospicere de utrisq; si enim hoc dicimus in temporalibus quidni etiam in spiritualibus. Sic ergo pactum quodammodo iniit Deus cum Adamo ab initio ut originalem justitiam cum supra dictis haberet ipse & uxor ejus & liberi ejus: ac retineret, modo abstineret à fructu arboris vetitæ. At cum non abstinuit sed volens pactum cum Deo initum violavit: juste ergo ille & nos omnes qui in illo inclusi eramus, & à quo in nos obventura erant dona ei collata, & dona amisimus, unde totius naturæ depravatio secuta est. Atque hinc est quod peccatum primorum parentum nobis fuit imputabile, etsi non ex voluntate nostra actuali patratum, sed ex voluntate Adæ progenitoris nostri. Hoc enim merito fiebat quia Adæ voluntas in eo negotio, interpretative, nostra fuit, ratione pacti cum Adamo initi, cujus erat secundum naturam nobis thesaurizare & acquirere juxta dictum Apostoli. Ergo quod volens neglexit thesaurizare posteris, merito nobis hoc ejus peccatum imputabile fuit. Vid. Thom. 2. q. 2. ad 2.

Hæc est summa eorum quæ occurrunt apud Catharinum, l. de pec. orig vid. Disp. 7. & in Concl. in fine concl. 1, 2, 3, *&* 4.

Brevius hæc & accommodatius nostro proposito explicari possunt.

1. Deus juste ordinare potuit & de facto ordinavit ut Adamus esset non tantum humanæ naturæ individuum, sed & totius humanæ naturæ principium & origo.

2. Deus Adamo primo homini sic condito juste mandatum dedit de non comedendo de fructu arboris scientiæ boni & mali; & quidem hac lege ut si ille prout potuit & supposito mandato debuit, mandato huic obtemperaret in abstinendo, tum posteri omnes in justitia originali, innocentia & immortalitate nascerentur: Sin minus eo mandatum & prævaricante & peccante, tota natura humana in eo itidem peccaret.

An autem pactum formale inter Deum & Adamum ut humani generis parentem intercesserit ut volunt nonnulli (in quibus est Catharinus lib. de peccat. orig) an non, non multum refert, certum tamen est cum Adamus parens & origo fuerit naturæ, & generis humani oportuit in illo nos aut stare, aut cadere, quanquam quod ei Deus mortem interminatus sit si manum ad arborem vetitam admoveret, satis hinc apparet præmonitum fuisse de periculo in quod se præcipitem conjiceret, si peccaret à quo nihil metuendum esset, si in officio permaneret (ut recte animadvertit clariss. Whitak. de peccat. orig. cont. Stapleton. c. 7. p. 44.) Vid. Maldon. in 1, 2, q. 81, art. 1. p. 259 a.

Quod autem Adamo peccante tota humana natura peccavit patet ex Apostolo loco supra citato, Rom. 5. 12. *In quo omnes peccarunt.*

Sed & hac ratione evincitur quæ habetur apud Bonavent. in 2. Dist. 30. art. 1. q. 2. Si tota natura esset in una persona, corrupta illa persona, quantum ad esse, necesse est totam naturam corrumpi, quoad esse: Ergo pari ratione si corrumpetur illa persona quoad bene esse, corrumperetur tota natura, quoad bene esse. Sicut enim sequitur (inquit) si Adam moritur, homo moritur: Sic sequitur quod si Adam peccat, homo peccat. Cum ergo tota natura esset in Adamo quando peccavit videtur quod tota in eo peccaverit natura, ac per hoc tota in omnibus & singulis.

At non actu propriæ voluntatis; cum, tum temporis, posteri ejus actum liberum propria voluntate exerere & exercere non potuerunt; cum usum libertatis nullum tum

tum habuerint aut habere potuerint, Ergo Adami volitio nobis omnibus imputata, & illo peccante omnes peccarunt; quod etiam testatur ipse Apostolus.

Hactenus ostendimus actualis peccati Adæ imputationis tum necessitatem tum æquitatem.

Ex his sequitur quod tertio loco asseruimus, hoc peccatum Adæ, posteris Adæ veri reatus esse inductivum,

---

Cap. XIV.

Ostenditur peccatum Adæ esse posteris ejusdem veri reatus inductivum, nempe participatione culpæ & imputatione reatus.

HOc tertium evidenter sequitur ex eo quod secundo loco ostendimus: Si enim peccatum Adæ merito imputatur posteris, hinc sequitur iisdem posteris esse veri reatus inductivum: ut enim ubi non imputatur peccatum, tollitur reatus, ita ubi imputatur peccatum, ibi ponitur reatus.

Apud Augustinum Pelagius dixit nulla ratione concedi posse ut Deus qui propria peccata remittit imputet aliena: de peccat. remit & remiss. lib. 3, ca. 8.

Respondet Augustinus, *Remittit Deus sed spiritu regeneratis non carne generatis: Imputat vero non jam aliena sed propria; Aliena quippe erant quando hi qui ea propagata portarent nondum erant, nunc vero carnali generatione, jam eorum sunt quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.* Hic opponit Augustinus τὸ remittere peccatum & τὸ imputare; τὸ imputare est *reatui* subdere; τὸ remittere est *non imputare ad damnationem*

Et de Nuptiis & Concupisc. lib. 1. c. 33. *In iis* (inquit) *qui regenerantur in Christo, reatus adhuc manentis concupiscentiæ remittitur, ut in peccatum non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiant prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit: Sic illius concupiscentiæ, quando remittitur reatus, aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Et mox —— Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierant actu, manent reatu?* Hic unum idemque est Augustino, habere peccatum, & reum esse peccati; item non imputari peccata, remitti peccata, & auferri reatum.

Quod autem Adami peccatum posteris imputatum, sit veri reatus posteris inductivum patet ex iisdem scripturæ testimoniis quibus dictum peccatum imputari posteris asseruimus.

Et quidem 1. ex illo loco notissimo, Rom. 5. 12. ubi Apostolus ait, *In quo* ἐφ' ᾧ, vulgata habet, *In quo* ut referatur ad Adamum, in quo peccarunt posteri; & propugnat hoc Augustinus contr. Julian. 6. c. 12. Pelagius enim in commentario qui etiamnum extat, exposuit causaliter, & idem sonet, ac quoniam, quatenus seu quandoquidem. Sed videtur perinde esse, & eodem recideri, sive relativè, sive causaliter sumantur hæ particulæ ἐφ' ᾧ. Nam utrobique innui hoc, omnes homines peccâsse, quia omnes morti obnoxii, quod satis est ad institutum Apostoli: Nec desint exempla, ubi ἐφ' ᾧ redditionem causæ denotant.

[*Adamo*] omnes peccarunt. Si omnes Adamo peccante, peccarunt peccato, *scil.* ejus actuali in fructu vetito comededendo, iis imputato; tum ex illius peccati imputatione nascitur verus reatus, in hoc siquidem loco diserte ait Apostlus, nos non tam peccatores nasci, quam peccasse. Quod idem Apostolus itidem docet, Rom. 3. 23. ubi sic habet, *Omnes enim peccaverunt*, quod non de solis adultis, sed & parvulis intelligendum vult tum Judæorum, tum etiam Gentilium omnium, *scil.* quotquot gratis justificantur per ejus gratiam, per redemptionem quæ est in

Christo

Christo Jesu, vers. 24. qualiter etiam justificantur omnes parvuli quotquot justificantur, horum enim Christus æque redemptor atque adultorum.

Cum autem certum sit neminem peccare propria voluntate antequam sit & nascatur, P. Apostolus diserte de Jacobo & Esavo testatur, Rom. 9. 11. quos antequam nati essent nihil mali aut boni fecisse pronuntiet, necessario ergo intelligendum est omnes peccavisse, aliena voluntate, *scil.* Adami, quæ tamen voluntas nisi fuisset aliquo modo voluntas totius naturæ humanæ, ac per hoc etiam nostra, nullo modo vere peccasse diceremur.

Ipsius enim voluntas, nostrum fuit; ejusque igitur transgressio nostra est, quia ille non ut unus singularis persona consideratur, sed ut radix generis humani, in quo omnes virtute inclusi fuimus, itaque, ait Augustinus, lib. de peccat. merit. & remiss. c. 10. Omnes eramus ille unus homo.

Peccavimus ergo omnes in Adamo, quando ille peccavit, & illa ejus prævaricatio, nostra etiam prevaricatio fuit, ac proinde veri reatus in nobis inductiva. Omnis enim veri nominis prævaricatio, veri reatus etiam est inductiva, in prævaricante.

2. Idem evincit Homiliastes noster ex 5. ad Rom. 5. 18, 19. Homil. Nat. Dom. *Sicut per unius delictum reatus venit in omnes homines in codemnationem.* Et vers. 19. *Unius inobedientia peccatores constituti sunt multi, quibus olim docetur* (inquit Homilia) *ut quemadmodum in Adamo omnes universaliter peccarunt; sic in Adamo omnes in universam mercedem peccati acceperunt* (i.) *mortales facti sunt, morti obnoxii, habentes in se non nisi condemnationem animi & corporis.* Hæc dicta Homilia, ex quibus efficitur juxta verum Homiliastæ sensum, omnes posteros Adæ in Adamo peccavisse, ac proinde mortis tum temporalis tum æternæ reatum incurrisse. Imputatio ergo peccati Adæ, vere nos reos constituit peccati illius primi à Protoplasto actu admissi.

Hæc ratio ex Homilia adducta corroboratur è Bonavent. simili, in 2. dist. 3. art. 1. q. 2. Estque ratio ejus sexta, Quia Adam peccavit, factus est mortalis, & quia mortalis est, necesse fuit quod generaret omnes filios mortales: Sed sicut se habet effectus ad effectum, ita se habet causa ad causam: Si igitur causa mortalitatis fuit culpa, & mortalitas personæ Adæ totam humanam naturam fecit mortalem, & totam corrupit pœnaliter, pari ratione videtur quod culpa Adæ totam naturam humanam infecit culpabiliter, & omnes ex illo exeuntes corrupit culpabiliter; si igitur culpa quæ omnibus inest per naturam, est culpa originalis, colligitur, hinc --- quid sit ponere culpam.] Hæc Bonavent.

Sed & ratio supra adducta, qua probavimus, Adam peccatum in commedendo pomo vetito nobis imputatum fuisse, similiter probat idipsum peccatum fuisse veri reatus posteris inductivum. Neque enim ulla ratione explicari queat quomodo in parvulis recens natis, sit aliqua veri nominis aut reatus aut culpa nisi illa processerit ab actione aliqua libera, cujus actionis parvuli illi aliquo modo participes fuerint. Quæ actio cum non reperiatur in ipsis parvulis est usus libertatis nondum capacibus, necesse est ut illa sit Adamo libera in comedendo fructu vetio, neque enim alia dari potest.

Dices imputationem peccati non semper inducere veri nominis reatum ut in Christo Domino, qui nullius reatus veri nominis reatum habuit, utpote qui ab omni peccato, ac proinde ab omni peccati reatu immunis fuit.

Resp. Imputari posse peccatum alicui bifariam

- Primo, quando persona innocens se vadem aut fidejussorem pro peccatore sistit, & lubens sustinet pœnas alicujus peccatis debitas, ut ab iisdem, persona nocens liberetur.
- Secundo, quando is cui imputatur peccatum quodamodo particeps est ipsius peccati.

Priori modo potest peccatum imputari alicui, & tamen ipse non reus peccati alicujus

alicujus ab illo admissi, dici potest. Sic Christo Redemptori in se innocenti & ab omni peccati labe immuni, imputata sunt peccata nostra; unde & ipse peccatum, 2 Cor. 5. 21. Non quod ille formaliter aut peccator aut peccati reus esset, sed quia caput est nostrum, & peccata nostra sua esse voluit, quoad onus satisficiendi pro ipsis, quatenus voluit in se suscipere illud onus ut satisfiat justitiæ Dei vindicativæ pro peccatis humani generis pro quibus ψιλος ἄνθρωπος satisfacere non potuit, pro imo pro quibus nemo nisi θεάνθρωπος justititiæ Dei rigidæ satisfacere potuit.

Secundo modo peccati imputatio alicui, veri nominis reatum semper inducit; qui enim particeps est peccati alterius; is etiam vere particeps est reatus illius peccati, & vere reus pœnæ. Jam nos omnes Adami posteri actus inobedientiæ ab ipso in comedendo pomo vetito perpetrati, participes sumus: siquidem ille actus non mere personalis & proprius fuit, sed generalis & communis totius naturæ humanæ; omniumq; Adæ posterorum, unde & omnis Adami progenies veri nominis reatum contraxit; posteri siquidem Adæ in illo actu Adamo actualiter peccante in eo quasi in capite, fonte & seminario comprehensi & quasi conclusi originaliter idem peccatum commiserunt, ac proinde verum reatum contraxerunt.

Omnes inquam illo peccante peccarunt { 1. Participatione culpæ. 2. Imputatione reatus. 3. Propagatione naturalis pravitatis.

1. Participatione culpæ, quia omnes posteri seminali ratione fuerunt in lumbis Adæ. Ibi igitur omnes in Adamo peccante peccaverunt: Ibi omnes in Adamo peccante peccaverunt: sicut Abraham in lumbis Levi decimatus dicitur Heb. 7. 9. Liberi enim sunt pars parentum, unde & culpa parentum participatione est liberorum.

Dices peccatum Adami à Deo imputatum dici posse posteriis ejus, quatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit obnoxios nasci voluit, sive quatenus Deus malum, quod in pœnam Adamo inflictum fuerat, in posters ejus dimanare & transire permisit. At nihil cogit dicere Peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo imputatum, quasi Deus posteros Adæ revera censuisset ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quam Adamus commisserat, reos Cens. Cens. pag. 84.

Resp. Juxta hanc imputationis acceptionem & explicationem.

Resp. Nulla imputatio agnoscitur culpæ Adæ, imo nec pœnæ proprie dictæ in posteros Adæ, utpote qui nullo modo alicujus culpæ rei agnoscuntur, sed sola permissio transitus mali illius in posteros Adæ quod in pœnam Adamo inflictum fuerat: quæ permissio nullo sane sensu dici potest imputatio peccati Adæ, neq; enim Deus qui permittit malum aliquod seu miseriam transire in posteros Adæ, vere dici potest imputare peccatum Adæ posteris; imo non pœnam proprie dictam, cum omnis pœna justa infligatur propter peccatum illius cui infligitur.

At Scriptura pronunciat omnes posteros Adæ peccasse, & in eo peccasse, Rom. 5. 12. quod non recte diceretur nisi peccatum ejus ut totius humani generis principii aliquo modo ad totum humanum genus pertineret, ejusq; culpæ totum humanum genus particeps esset. Ubi enim dicitur, omnes peccarunt, seu omnes in eo peccarunt, vult Apostolus omnes mandatum Dei transgressos fuisse & culpam vere incurrisse, quod non vere diceretur, nisi peccatum ab Adamo actu perpetratum, omnibus posteris, qui seminali ratione in ejus lumbis fuerunt imputatum fuisset. Cum enim actus ille Adami transiens esset, & posteris ejus communicetur non nisi per generationem, non potest aliter nobis communicari, quam communicatur id quod transiit, nimirum per imputationem. Addo Apostolum ibidem diserte asserere, ideo mortem in omnes homines transiisse quia omnes peccarunt, sc. in illo actualiter peccante, & fructum vetitum comedente non ut singulari persona, sed ut in principio, capite, ut seminario contenti & originaliter existentes, idem peccatum commiserunt: quod enim Adam egit & comedit, nos censemur egisse & comedisse quia voluntas nostra posita fuit Deo summo, omnium Domino], in voluntate Adæ; tanquam communis omnium parentis, & totius humani generis originis. Et ut loquitur Augustinus, omnes ille unus

unus homo fuerer, lib. 1.c.10.de peccat.merit. & remiss.vel ut alibi ait ex Hilario in Adamo omnes peccasse ut in Massa 2d. Epist.Cont. Pel.l 4. c. 4. id quod Apostolus ex eo evincit quod mors quæ est proprie dicta pœna transit in omnes Adami posteros.Ratio enim transmissionis morbi in posteros, apud Apostolum petita est ex justa imputatione culpæ in posteros, cum enim certum sit Deum punire parvulos morte ut pœna proprie dicta, certum itidem est Deum proprie iis imputare peccatum, ut enim quibus Deus remittit & condonat peccata non puniendo, iis peccatum non imputare dicitur, ut *Rom.* 4 7. ex David *Psal.* 32. sic ubi punit peccata, ibi proprie loquendo imputat peccatum, & quidem non mere alienum sed & suum. Id quod optime exprimit Bernard. Serm. 1. de Dominic: prima,post octavum Epiphaniæ agens de culpa originali. *Aliena (inquit) est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus. Nostra quia etsi in alio nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputabatur licet occulto.* Hæc Bernardus vere & accomodatissime.

Dices secundo, Scripturam testari Adamo soli pœnam comminatam fuisse etiam Adamo soli inflixisse Deum.

R. Etsi Scriptura solius Adami meminit in pœnæ comminatione, Quacunque die ex illa arbore comederis, morte morieris, tamen meminit Adæ non ut singularis personæ,sed ut communis totius humanæ naturæ stipitis.Nā certum est ea lege Deū transegisse cum Adamo,ut si ipse in justitia in qua conditus erat permaneret, totam progeniem in eadem permansurum fuisse, sin ab eadem excident,etiam totam progeniē in eo casuram,unde & comminatio ad totum genus humanum pertinebat;ut illud,morte morieris ita intelligendum est; ac si diceretur,Tu cum tota tua sobole & progenie, morieris. Porro falsum est,pœnam in comminatione comprehensam soli Adæ inflictam fuisse. Illud enim, morte morieris, ad totam progeniem pertinet, unde & mors ut pœna infligitur omnibus Adæ posteris etiam parvulis sive respiciamus mortem corpoream, sive etiam spiritualem animæ mortem, quod certum est indicium posteros ejus peccati, ejus suo modo,participes esse,neq; enim Deus juste punire potuit parvulos,vel morte corporali; nisi aliquo modo peccatum aliquod haberent ob quod juste punirentur. Sed & Apostolus docet mortem, ut pœnam peccati, ipsos parvulos invasisse *Rom.* 5. 14. & stipendium peccati esse mortem,]docet, & mortem esse aculeum peccati, 1 *Cor.* 15.

Dices Tertio, rursus divinam bonitatem, veracitatem & sapientiam non sinere ut Deus alienum peccatum alteri proprie imputet,Exam: Conf. Ubi supra.

Resp. Peccatum Adæ non est dicendum peccatum prorsus alienum respectu posterorum, cùm fuerit peccatum capitis totius humani generis, cum omnes unus ille homo fuerunt ut supra ex August. audivimus. Cum enim conditus esset in originali justitia & innocentia, hac lege ut si ille in justitia & innocentia maneret, omnes etiam ejus posteri in justitia & innocentia nascerentur; sin minus, illo cadente & peccante omnes itidem posteri caderent & peccarent. Cum in hac lege nihil sit injustum nihil iniquum prorsus dicendum est quomodo si Adam in justitia & innocentia perstitisset, ejus justitia & innocentia proprie imputanda erat posteris, & ratione hujus imputationis vere justi & innocentes nascituri erant omnes posteri; sic eo cadente & peccante ut communi humani generis stipite, ejus peccatum omnibus posteris ita proprie imputandum erat ut ratione hujus imputationis, omnes posteri vere peccatores & censerentur, & essent, & nascerentur, absque omni aut bonitatis, aut sapientiæ Dei criminatione. Siquidem utrobique imputatio tum justitiæ si destitisset tum peccati inobedientiæ cum cecidisset non nitebatur fictitia aliqua suppositione, sed vera participatione rei imputatæ quæ est proprie dicta imputatio. Nec ullo modo pugnat aut cum bonitate, aut veracitate,aut sapientia divina, quin cum hisce optime congruit Dicendum ergo est, quemadmodum corruente homine, omnia ejus membra cadunt; & succiso trunco omnes arboris rami in terram decidunt; sic per inobedientiam & malitiam suam corruente Adam, omnes in eo lapsi sumus ejusdem in obedientiæ particicipes, & eadem malitia infecti, qua ipse legem Dei transgrediens prave affectus fuit. Vide locum Prosp. supra.

Addo tantum abesse ut Dei veracitas impediret, quo minus Adæ peccatum posteris proprie imputet, ut necessario dicendum sit, veracitatem divinam postulasse, ut si Adamus peccaret, non ipse solus, sed etiam tota posteritas excideret ab innocentia & gratia, reaque cum ipso fieret æternæ mortis, juxta interminationem, morte morieris, nempe tu cum tota tua progenie & posteritate. Quomodo in lege civili feuda tali conditione dantur vassalis, ut si ea per culpam perdant perentes, parentum reatu involvantur & liberi quod non juste fit nisi prius natura imputetur & culpa.

4. Dicunt contra naturam peccati esse ut censeatur peccatum aut ut proprie in peccatum imputetur, quod propria voluntate commissum non est. Exam. Consar. ibid.

Resp. 1. Si per propriam voluntatem intelligatur actus liber propriæ voluntatis id quod necessario intelligere debet, negamus prorsus contra naturam peccati esse, ut id censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputetur, quodque talem liberum actum voluntatis commissum non est, siquidem hoc vere se de solo actuali peccato quale est dictum, factum, aut concupitum contra legem æternam, quomodo definitur actuale peccatum ab Augustino lib. 22. c. 27. contra Faustum, ut admittit ipse Bellarminus lib. 4 c. 10. de amiss. Gael. & statu peccati, ubi ait per ea verba Augustinum ante definire peccatum ut accipitur pro actu peccati, non pro reatu aut maculo, quæ remanent transeunte actu & lib. 5. c. 20. Ubi hanc Augustini definitionem explicans sic habet. Peccatum proprie dictum non solum de ipso actu transeunte, sed etiam de eo quod post ipsum manet in anima peccatoris. Siquidem eadem est (inquit) malitia & perversitas quæ est in actu malo per modum transeuntis, & in voluntate per modum habitus permanentis; & subjicit. Definitio autem August. convenit peccato, ut peccatum significat actum transeuntem, non ut significat maculam permanentem; in ea enim (inquit) significatione quæ magis est nota, peccatum definire solet. Hæc Bellarm. nec male si recte intelligantur. Sed & Augustinus ipse Juliano hoc ipsum argumentum objicienti hoc ipsum respondet lib. 3. contr. Julian. c. 5. in initio *Frustra (inquit Augustinus compellans Iulianum) itaque putes, ideo in parvulis non esse delictum quia sine voluntate, quæ in iis nulla est, esse non potest. Hoc enim recte dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod si nullum esset perfecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore vel in anima, sub tanta justi Dei potestate paterentur; Quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium.* Hæc August. Ubi Augustinus opponit peccatum originale peccato actuali, & personali; illamque de voluntario sententiam, non universaliter de omni peccato intelligendum vult sed ad actualia peccata adultorum restringendum esse.

Ea enim notione vocem peccati accipit Augustinus cum exigit, ut sit voluntarium quo Apostol. Jacob cum c. 1. v. 25. *Concupiscentia (inquit) si conciperit, parit peccatum.* Sc actuale.

2. Si contra naturam peccati sit ut censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputatum quod propria voluntate commissum non est, sequetur in parvulis non esse aliquod veri nominis peccatum, utpote in quibus nihil propria voluntate commissum est. Cum enim parvuli per ætatem non sint capaces usus libertatis, nec propria voluntate aliquid committere possunt, sequitur non dari in parvulis aliquod veri nominis originale peccatum. Hoc enim ante omnem voluntatis liberum usum in nos plane inscios & nescios propagatur. Et revera illi cum quibus disputamus originale peccatum non nisi χαλαχρηστικῶς & abusive esse peccatum non erubescunt pronuntiare.

Resp. Ad specimen, sed reclamat Scriptura Psal. 51. 7. & *Ephes.* 2. 3. quæ omnes etiam parvulos pronuntiat esse peccatores, Rom. 3. 9. Omnes tam Judæos quam Gentes & recte tam parvulos quam adultos, & vers. 23. omnes declinaverunt & Cor. 5. 12. Omnes peccarunt, Omnes sc. qui morti obnoxii sunt ut morti non solum adulti sed & parvuli, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, ubi intelligit Apostolus ipsos parvulos juxta omnes interpretes; si ergo proprie moriantur infantes, & proprie loquendo peccatores dicendi sunt, quamvis propria voluntate non committunt peccata. Sed hac de re despirandum est postea.

3. Falso dicitur, contra naturam peccati esse, ut aliud censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputetur, quod propria voluntate commissum non est, quod ut plenius & accuratius intelligatur præmittendum est quæstionem qua quæritur, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium? non quæri de definitione peccati, an sc. valuntarium ingrediatur definitionem peccati, sed de causa & origine peccati, cui impertinens est utrum id quod peccatum esse dicitur sit ab ejus voluntate perfectum cui inest, an ab cujuspiam alterius voluntate, quia à quacunque voluntate proficiscatur, semper verum est; quod neque ex Deo sit qui peccati osor & ultor est, neque ex æterno aliquo principio malo, Deo contrario, ut delirarunt Manichæi. Sed sicut peccati origo, voluntas mala est, ut modo audivimus ex Augustino lib. 3. c. 5. contra Julian: ita nisi voluntas mala fuerit non est cujusquam origo peccati. Ceterum ut recte M. Baius de origine peccat. c. 7. quemadmodum de abortivo discerentes, Homo ne sit an non, non inquirimus an à Deo ducat originem (quanquam homo esse non possit nisi quod à Deo sit) sed an anima rationali informatus fuerit, quod ad ejus definitionem proprie pertinet. Sic de actu aliquo aut habitu differentes, an ex suo genere sit peccatum non hoc inquirere debemus, an sit à voluntate, vel à qua sit voluntate perfectum, sed an ex suo genere sit ἀνομία, seu transgressio legis quæ peccati definitio habetur apud Apostolum Johannem, 1 Joh. 3. 4 vel an ex suo genere sit divinorum inobedientia mandatorum, quæ peccati definitio fere habetur apud Ambrosium lib. de Paradiso c. 8. Quicquid enim est ejusmodi, undecunque sit hoc merito peccatum esse pronuntiamus. Sin si ulterius inquiratur, cui peccatum hoc debeat imputari: tam demum recte quæritur à qua voluntate ducat originem: quia peccatum suæ origini jure imputatur, nisi fuerit illi dimissum; id quod de primis parentibus pie credendum iis dimissum esse quicquid proprie voluntati in sese mali fecerunt & in posteros generando trajecerunt vid. Irenam lib. 3. c. 34. & August. de peccat. merit. & remiss. 2. c. 34. Ceterum quia vitium cum quo infans concipitur, ratione suæ originis, non ipsi infanti, sed vel generanti, vel primo duntaxat parenti imputaretur. Sciendum est ergo omne id quod revera secundum propriam rationem peccatum est, undecunq; ducat originem, tantum quia inest veraciter illi imputari si vel actu vel habitu ei Dominetur; sic ut non geras contrarium mentis affectum. Falso igitur dicitur contra naturam peccati esse, ut illud censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputetur, quod propria voluntate commissum non est. Cum ad peccati originalis rationem in parvulis non requiratur propria & actualis voluntas. Sed sufficit si voluntaria fuerit partim in voluntate primi parentis, ex qua ut causa efficiente & inficiente peccatum hoc posteris propagetur; partim si voluntaria fuerit voluntate singulorum in quibus est hoc peccatum voluntate licet sola habitualiter perversa, & à Deo aversa, prave inclinata fuerit.

Dico partim { Voluntate primi parentis.
Voluntate singulorum in quibus est hoc peccatum licet habitualiter solum.

Nam ut recte animadversit doctissimus Estius in 2 Dest. 31. S. 12. Neutra voluntarii ratio in peccato originali seorsum sumpto sufficere ad peccati rationem videtur. Non prior nam si ea sola spectetur voluntarium tantum extrinsecus competat ei, quod in parvulo dicitur esse peccatum originale, & per consequens sub peccati ratione non erit parvulo internum originale illud malum. At neque posterior quia necesse est omne peccatum, ut peccatum sit, voluntate aliqua fieri aut factum esse. Nam alioqui Deo aut naturæ, cujus Deus institutor & autor est, adscribendum esse necesse est. Quare ut veram peccati rationem in parvulis agnoscamus, necessario respiciendum est ad eam voluntatem, à qua velut radice atque origine propagatum est hoc malum. Nam ut recte doct. August. contra Julian 3. c. 12. *Nulla foret hominis culpa si talis à Deo creatus esset qualis nunc nascitur.* Hæc Estius & quidem recte & orthodoxe.

4. *Resp.* Tantum abesse ut contra naturam peccati sit ut propria voluntate non committatur, ut Apostolus ipse pro vere nominis peccatis habet involuntarios concupiscentiæ motus. Ad Roman. 7. 15. de seipso affirmat. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi illud facio,& v.16 Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi quæ bona sit, & vicissem, vers. 10. Non quod volo bonum hoc facio,sed quod nolo malum hoc ago. At malum quod agimus culpa; malum quod patimur pœna est, qua propter & malum illud quod Paulus egit, malum culpæ, adeoq; peccatum fuit unde propter hoc sese sub peccato venundatum conqueritur, vers. 24. Si vero quod Paulus egit, hoc non voluit sed odit; Et tamen quod paulus egit fuit peccatum: Ergo quædam dantur peccata quæ propria voluntate commissa non sunt,sed plane sunt involuntaria.

Idem Apostolus ait Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum,& spiritus adversus carnem, ut non qua vultis illa faciatis.* Hic si quæratur quid fuerit, illud quod nolentes facere dicuntur, Galatæ? Bonum certe non fuit, quia hoc voluntas appetit non fugit; ergo malum & quidem non pœnæ sed culpæ, & peccatum. Si ergo quoddum pecca à nolente potest fieri, tum voluntarium, non erit de ratione & definitione peccati, ergo non est contra naturam peccati, ut propria voluntate non committatur.

5. Si contra naturam peccati sit & censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputetur, quod propria volunntate commissum non est. Tum non dantur peccata ignorantiæ & infirmitatis proprie dicta: frustra ergo instituta sacrificia pro peccatis ignorantiæ in lege Mosaica Numb. 15. 27. & frustra etiam Sacerdos reconciliat animum peccantem pro peccato suo, ibid. Ps. 28. vid. & Levit. 5, 2, 3, 4. Psal. 19. 23. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Paulus ignorans persequebatur ecclesiam, 1 Tim. 1. 13.& tamen hæc ignorantia indigebat misericordia ut remittatur. Id peccatum autem quod ex ignorantia fit propria voluntate non committitur, falsum ergo est, contra naturam peccati esse ut censeatur peccatum quod propria voluntate commissum non est. Atque hæc dicta sunto ad solutionem quartæ objectionis.

6. Quædam peccata sunt necessaria, ut sunt illa quæ sunt pœna alterius peccati præcedentis, teste Augustino vid. Walan. cont. Corvin. p. 252.

Dicut quinto contra justitiam & æquitatem est ut quis reus agatur propter peccatum non suum ut vere nocens judicetur, qui quoad propriam suam voluntatem innocens est, sive potius non nocens. Et hæc injustitia tanto major est, quanto pœna, quæ ex imputatione illa sequitur, gravior est. Summa itaque injustitia est, si pœna quæ imputatur, sit æternisensus pœna. Exam. Confer. p. 84. b.

Resp. Cum hic dicatur contra justitiam & æquitatem esse ut quis reus agatur propter peccatum non suum, hic falsum supponitur peccatum Adæ non esse suum cujusque peccatum. Cum enim Adamus in fructu vetito comedendo, nostræ cogitationi non sistendus sit ut humanæ naturæ individuum, sed ut totius humanæ naturæ principium & origo, à quo seminali ratione totum humanum genus propagandum erat & in quo originaliter continebatur, cumque Deus Adamo sic considerato juste mandatum dare potuerit & de facto dederit, de non comedendo de fructu arboris vetitæ, & quidem hac lege ut si ille, prout optime potuit, cum in statu innocentiæ originali justitia prædītus, conditus esset, & supposito mandato, jure debuit, mandato dicto in abstinendo obtemperavit, tum posteri ejus omnes in innocentia & justitia originali nascerentur: Sin minus, eo mandatum hoc tam facile, prævaricante & peccante, tota humana natura, & soboles ab ea orionda censeretur peccare. Quis non videt Adami peccatum, hisce rite perpensis, juste suum cujus peccatum & censeri debere & esse. Hoc ipsum clarius constabit si consideremus Deum cum Adamo in hoc negotio quasi pactum quoddum iniisse, ut justitiam originalem illam in qua conditus est haberet ipse, & uxor ejus, & liberi ejus, ac eandem ille, & posteri ejus retinerent, modo à fructu arboris prohibitæ abstineret; sin minus sese & omnes ejus posteros mortem animæ tum corporis expositurum, quando dixit. Quocunque die comedeas ex ea morte morieris. Quia ergo omnes in eo eramus juxta pacti conditionem, quod pertinet ad hæc dona vel retininda si se abstinere, vel amittenda si comedere.

deret, ideo & recte comedisse censemur in eo comedente, sicut & contra in eadem abstinasse censire fuissemus si ipse abstinuisset. Hæc æquissime dicuntur; nec ullam injustitiam redolent, si in eo comedente recte comedisse censemur & nos, quomodo rei agimur propter peccatum non nostrum cum Adamo peccante, & nos peccavimus; nihil ergo hic contra justitiam, & æquitatem actum. Hujus partis meminit Augustinus lib. 16. de civit. Dei 259 c. 27. & de nuptiis & concupisc. lib. 2. c. 11. sic Malier. 12. p. 258. Cin. Pet. ex Catharinus sup. p. 119. b. 120. b. Hæc è Bonavent. petita non tam accomodanda sunt, ad solutionem objectionum quam fiunt adversus imputationem peccati Adæ, atque propagationem originalis peccati, sc. quod pariter dicendum de iis quæ ex Estio adducuntur pag. 128. Sen. prim. 5. Addr Domini Soti lib. 1. c. 10. de natur. & Grat. impugnet hoc pactum quem bene & merito impugnat Hieronym. de la Rua Contr. 2. Scholast. p. 76. & hoc ipsum recte videtur explicate Bonaventur in 2 Dist. 30 Art. 1 quest. 2. in corp. artis p. 373. col. 2. D. *Potuit (inquit) Adam totam naturam corrumpere & culpabilem facere suo peccato triplici de conditione concurrente; prima est, quia non tantum erat humana naturæ individuum, sed totius humanæ naturæ principium. Secunda est quia non tantum fuit sibi datum mandatum sicut singulari personæ, sed tanquam stipiti totius humanæ naturæ; & hic (inquit) bene indicat textus quia mandatum illud descendit per virum ad mulierem. Tertia quia Adam innocentiam & immortalitatem suscepit pro se, & pro tota sua posteritate, unde ipse innocens & immortalis generasset immortalem & innocentem. Quia igitur ipse erat omnium principium, & transgressus est mandatum quod ei datum erat secundum quod erat principium, & amisit illam justitiam & innocentiam, quam debebat omnibus posteris conservare, hinc est quod per ipsum originali justitia sumus privati, & in ejus infectione cæteri sunt infecti, non tantum pœnaliter, sed etiam culpabiliter, tum propter carentiam illius innocentiæ, quam deberemus habere, tum propter prædominationem concupiscentiæ per quam animæ nostræ sunt inordinatæ & injustæ; & si injustæ simul & inordinatæ, necesse est eas summæ justitiæ displicas.* Hæc optime Bonavent. ex cujus sententia constat. Adami peccatum non fuisse peccatum personale Adami, sed totius naturæ humanæ, & hoc uno ejus peccato totam naturam humanam corruptam fuisse non solum pænaliter, sed etiam culpabiliter, unde constat juxta eum Adami peccatum fuisse suum cujusque peccatum, & totam Adæ posteritatem merito ream agi, non propter alienum peccatum, & non suum, sed & propter suum cujusque peccatum

Sed porro nihil in hoc negotio contra justitiam & æquitatem actum ex parte Dei, ut isti novatores clamitant, etiam hac ratione constare potest. Deus enim magis est voluntatis nostræ Dominus quam nos ipsi; atque nostram nos voluntatem possumus ponere in ulterius sive parentis sive præpositi, sive alterius cujuspiam voluntate, ut fit in compromissionibus. Vel cum in suffragando suffragium meum alterius potestati committo aut comendo .·. vel in substitut one procuratorum, cum aliquem quis procuratorem suum constituit in quovis negotio. Potuit ergo etiam Deus in voluntate Adæ nostram concludere, absque omni injustitiæ criminat one atque ita constituere de donis originalis justitiæ & innocentiæ ei collatis, ut quoad eorum amissionem, rei omnes Adæ posteri censeretur; ipsius primi parentis voluntate fortissime prævaricante. Qui enim potuit singul s dare voluntatem, qua tam actualis quam habitualis, propriæ justitiæ aut injustitiæ capaces essent, etiam potuit generalem omnibus voluntatem præficere, qua peccante omnes peccarent, & contraherent in voluntate sibi propria singuli habituale peccatum, quod diceretur originale, sicut propria voluntate peccante contrahunt singuli peccatum habituale. Nihil ergo in toto hoc negotio contra justitiam aut æquitatem ex parte Dei actum est ex Malden in 12. q. 81. art. 1. p. 258. col. 2. & q. 82. art. 1. dubio 4. p. 278. col. 2. Id quod adhuc appertius demonstrare conabimur. Esto Deum omnium voluntatum Dominum, in Adamo univisse nostrum omnium voluntates; & quidem sic univisse, ut proinde voluerit Adæ posteros ab ortu in justitia & innocentia nasci, dependenter tamen ab ejus communis omnium parentis inobedientia, iisdem privari si in obedientiæ crimen ipse incurreret. Quæro quid quamve hic fiat contra justitiam, atque æquitatem? nihil certe. Dices parvulum hic exponi periculo peccandi & contrahendi peccatum originale.

Sol.

Sol. At sic, non parvulus magis exponitur periculo contrahendi originale peccatum, quam Adamus periculo peccandi actualiter: Nec Adam huic periculo à Deo exponitur, quam quia permisit & usum libertatis, eique præceptum imposuit, quo obligatus erat ad obedientiam sub reatu culpæ, in quo notissimum est, ne minimam esse injustitiæ speciem. Addo Deum in prædicta unione facienda, tantum abfuisse ab inferendo injuriam Adæ posteris, ut contra censeri potuisset optime illi consuluisse, cum illi magnum emolumentum & supra debitum conditionis suæ naturæ precepturi essent ex Adæ obedientia, quæ valde facile erat ei præstitisse, quandoquidem præceptum ex cujus observatione transfundenda erat originalis justitia non erat nisi unum, idque levissimum, quo sc.] ei interdicebatur certæ arboris fructus, cum cumulatissime ipsi de aliis cibis provisum fuisset. Habuit multa quæ merito ad parandum impeterent, Dei jubentis authoritatem, in illo fælicissimo statu in quo conditus est perseverantiæ promissionem, originalis justitiæ item posteris transfusionis, gravissimas pœnas transgressori interminatas, caruit concupiscentia quæ non peccandum induceret, quæ omnia optime expressit Augustinus de civit. Dei 24. c. 12. *Hoc (inquit) de uno genere non comedendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum, tum breve ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto facilieri possit observantia custodiri,* & c. 15. *Ubi enim magna est inobedientia pœna proposita, & res à creatore, facilis imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire, in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?*

Addo ultimo in loco cum dicant, *Contra justitiam & æquitatem esse, ut quis reus agatur propter peccatum non suum.* Si volunt peccata juste non imputari nisi Authori patrante & committenti illa peccata in sua persona, non est universaliter verum.

Cum dicat Apostolus Rom. 1. 32. dignos esse morte non solum qui mala faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt; ideo nimirum, quia in istis est, quod jure imputetur. Quocirca licet peccati originalis quod est in parvulo non sit Author ipse parvulus, sed primus homo, qui & fecisse illud in omni sua posteritate dicendus est hoc ipso quod divinum mandatum transgressus sit; vere tamen & juste singulis illud contrahentibus imputatur tanquam consentientibus non in actu sed velut in habitu propteria quod hoc peccato voluntas eorum depravata sit atque à Deo aversa, Deoque contraria. Qua ratione etiam voluntarium etiam in unoquoque dici potest hoc peccatum, ut supra docuimus. Quæ tamen ratio minime sufficiet nisi simul respiciatur ad actualem voluntatem Adæ, qui hoc peccatum perpetravit, ut ex Estio p. 125: autem observavimus vide Estium in 2 Co. 32. S. 9.

2. Sed pergunt aiunt Hetrodoxi contra justitiam & æquitatem esse ut vere nocens judicetur qui quoad propriam suam voluntatem, innocens est, sive potius non nocens, & hæc in justitia tanto major est, quanto pœna quæ ex imputatione illa sequitur gravior est, summa itaque injustitia est si pœna quæ imputatur sit æterni sensus pœna.

Resp. Hoc itidem supponitur parvulos quoad propiam suam voluntatem esse innocentes aut saltem non nocentes; quod omnino falsum est ne quid gravius dicam. Falsum est sive respiciamus parvulorum voluntates ut in Adæ voluntate conclusi sunt quomodo & ipsi toti in Adami lumbis fuisse censentur; sive ut primo Adæ peccato vitiatæ, infectæ & ut Augustini verbo utar, tabificatæ sunt.

Si primo modo consideremus voluntates parvulorum ut in Adami voluntate conclusi sunt, Adamo peccante ipsi etiam peccarunt, teste Apostolo, qui ait omnes peccasse Rom. 5. 12. & omnes declinasse Rom. 3. Si omnes eo peccante peccarunt quomodo ergo innocentes dici possit, aut etiam non nocentes. Ac licet solus Adam in suamet persona peccavit, quia actu erat, nos tamen in ipso peccavimus, quia in eo tum eramus virtute, & potestate generationis. Unum ergo & idem peccatum peccavimus; ipso quidem actualiter, nos in illo originaliter. Quod nostrum peccatum tunc in ipso commissum causa est, ut quando nascimur aversi à Deo, & peccatores nascamur. Ac licet potentia tantum peccavimus in Adamo, sic tamen peccavimus, ut etiam peccatum nobis insit actu, atque ita fuimus non alienum solum peccatum

tum, sed & nostrum. Falso ergo quoad propriam voluntatem aut innocentes, aut non nocentes dicuntur parvuli, cum in Adamo omnes etiam quoad propriam voluntatem idem peccatum quod ipse actualiter peccavit, omnes parvuli in illo peccarunt originaliter, ex quo peccato factum sit ut omnes parvuli nascantur aversi à Deo & peccato rei. Vid. Tolet. in Rom. 5. 12. annot. 16. & Cathar.

Si secundo modo consideramus parvulorum voluntates ut Adami peccata primo infortas quis non pelagianus dicere potest, voluntates eorum non nocentes, multo magis innocentes, cum juxta Scripturas sunt perversæ, distorsæ, à Deo & omni bonitate habitualiter aversæ & ad omne malum proclives & propensæ, imo omnimoda malitia habualiter repletæ. Certe ita sunt innocentes, parvuli quoad voluntates, ut juxta Scripturas sint immundi Job 14. in peccatis concepti. Ps. 51. 7. Natura filii iræ, Ephes. 2. 2. Indigent circumcisione præputii. Unde conformiter Scripturis Augustinus confess. 2. 7. Imbecilitas membrorum Infantilium innocens est, non animus Infantium, & lib. 1. operis imperfect. con. Julian c. 4. 7. Si tibi placet innocentia parvulorum, remove ab iis, si potes grave jugum quod est super filios Adæ, à die exitus de ventre matris eorum, sed puta quod Scriptura, quæ hoc dixit, melius te noverit, quid esset innocentia creaturæ, & quid justitia creatoris. Quis autem non videat, si habent parvuli qualem prædicas innocentiam in gravi jugo eorum Dei non esse justitiam?

Porro quia in gravi jugo eorum divina justitia est, non est in iis talis qualem prædicas, innocentia. Hæc Augustinus. Sed de voluntatis depravatione ex peccato Adæ, inferius dicendum est fusius. Hactenus Evicinus nihil in hoc toto negotio contra justitiam aut æquitatem Deum egisse. Addunt hanc injustitiam tanto majorem esse quanto pœna gravior quæ ex imputatione illa sequitur. Summam ibidem injustitiam esse, si pœna quæ imputatur, sit æterni sensus pœna.

Resp. Injustitiam majorem aut minorem non dari ubi nulla omnino est injustitia. Notandum autem probatum est, quanquam Deum contra justitiam aut æquitatem, in toto hoc negotio non egisse, cũ non reos peregeritnisi vere peccantes, nec ut nocentes judicet nisi vere nocentes, ut supra probatum est. Quidni ergo peccantes & nocentes debitis pœnis afficiat? Est autem stupendium peccati mors. Rom. 6. sc. tam animæ quam corporis, illa sc. mors quæ opponitur vitæ æternæ: subjicit enim Apostolus, donum Dei est vita eterna, ubi stipendium opponit dono & similiter mors æternæ vitæ; per mortem ergo intelligit Apostolus non mortem solum temporalem sed & æternam. Est autem æterna mors non solum pœna damni sed & sensus. Quare cum in Adamo omnes peccarunt, etiam parvuli, etiam omnes parvuli quibus hoc peccatum non est dimissum obnoxii sunt æternæ morti, ac proindæ pœnæ etiam sensus & non solum damni. Id quod aliis etiam rationibus evincetur.

1. Ipse Christus, Mat. 25. ubi formulam universalis judicii describit, ait congregabantur ante eum omnes gentes, vers. 32. in quibus sunt tam parvuli quam adulti; Medium statum aut locum non statuit inter regnum patris & ignem æternum, neque dici potest locum Matthæi intelligendum esse de solis adultis Christianis quia iis solis congruit Christi increpatio ibi commemorata, Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, & alioqui enim dicendum similiter esset, de iis solis locum illum intelligi debere qui opera miserandi emiserunt, non autem de iis qui multa mala commiserunt, quia sola illa opera omittentes non liferam ibi increpantur. Dicendum ergo in illa descriptione universalis judicii. Christum transire latenter à genere ad speciem, & rursus à specie ad genus (*i.e.*) à toto cætu judicandorum ad partem ejus, sc. ad fideles, & à parte ad totum, more aliarum Scripturarum quomodo explicet Tyronibus Donatistæ, Aprobante Augustin. de doctrina Cristian. lib. 3. c. 34 Regula quarta; vigilare (inquit) debet lectoris intentio, ut quando de sola specie ibi loqui videatur, non de ipsa sola, genere prorsus omisso, eam intelligi putet, quæ cautio recte quadrari potest huic Matthæi loco. Nam utcunque Augustinus notat ibidem formam judicii qua boni & mali in Ecclesia judicabuntur specialiter describit, nusquam tamen negat describi etiam simul formari universi cætus, vivorum & mortuorum judicandi; imo illam describi satis aperte demonstrat Sermon 14. de verbis Apostoli c. 3. *De vivis (inquit) & mortuus judicabitur, alii erunt ad dextram alii ad sinistram. Non*

novi

novi aliud; & *paulo infra. Si ergo dextra erint & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus. Ecce in dextra regnum coelorum est. Percipite (inquit) regnum Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erint in sinistra? Ite in ignem æternum.* Mox, *qui non in dextra procul dubio in sinistra, ergo qui non in regnum procul dubio in ignem æternum, fides autem Catholica docet, parvulos illos non futuros in regno; ergo ibunt in ignem æternum.* —— Et postea c. 4. proponens Matt. c. 25. v. 46. *Ecce exposuit tibi quid sit regnum, & quid Ignis æternus; ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.* Hæc B. Augustinus. Alter locus habetur Apocalyp. 20. v. 12. Ubi de universali judicio agens Joannes. *Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ.* —— Et ver. 15. *Et qui non inventus est in libro vitæ Scriptus, conjectus est in stagnum ignis* Hunc locum edisserens Augustinus de civit. Dei lib. 20. c. 15. *Per librum vitæ intelligit prædestinationem divinam, seu librum prædestinationis. Unde Ecclesia in quodam secreto communi dierum quadragessimæ, canit. Et omnium fidelium nomina beata prædestinationis liber adscripta retineat.* Ergo certum est juxta Joan. omnes homines qui prædestinati non fuerint fore mittendos in stagnum ignis. Certissimum ergo erit parvulos non renatos in idem stagnum mittendos fore, quia de fide certum est, eos non esse prædestinatos, nec in libro vitæ Scriptos.

2. Certum est, peccati quod in hac vita non dimittetur, graviorem esse in futuro sæculo pœnam quam in præsenti; siquidem hoc tempus misericordiæ illud vero justitiæ est, ubi proprie peccatis stipendium suum destinatum. Sed parvuli in hac vita quamplurimis sensibilibus pœnis & miseriis propter originale peccatum obnoxii sunt: multo minus ergo à sensibilibus pœnis & miseriis liberantur parvuli non renati, in vita futura, ubi plenam accipiunt pro peccato suo retributionem absque misericordia. Hinc Gregor. Moral. *Qui hic (inquit) ex proprio nihil egerunt, illuc propter reatum culpæ originalis ad tormentum pervenient, quoniam sub divina districtione justum est, ut propagatio mortalis velut infructuosa arbor, & in ramis, servet amaritudinem, quam traxit ex radice.* Hæc Gregorius.

3. Fieri non potest, quin parvuli secundum animam dolorem sentiunt, ut qui tanto bono ad quod creati fuerant, se in æternum privatos intelligunt, fieri (inquam) non potest, quin tales animo doleant cum tanta se privari beatitudine sentiunt.

4. Pœna parvulis etiam destinata cum reatu originalis peccati decedentibus non alia est quam æterna perditio, damnatio, miseria, mors secunda, infernus, Gehenna, & constitutio sub regno & potestate diaboli, pœna etiam quæ filiis iræ debetur, *Eph.* 2. talis autem pœna non sonat meram pœnam damni, sed & pœnam sensus etiam.

Hoc tamen adjicimus pœnam sensus parvulis destinatam mitissimam & levissimam fore inter omnes damnatos. August. Enchirid. c. 92. Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt & in cæteris qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem;] & contra Julianum lib. 5. c. 8. Quis dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros, quæ qualis & quanta erit quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis & nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret. Ex dictis aliquatenus constare possit nullam fore apud Deum injustitiam multo minus summam, si pœna parvulorum non renatorum statuatur pœna etiam sensus, & non solum pœna damni.

6. Insurgant in hunc modum. *Si peccatum Adæ parvulis à Deo sic imputetur quasi Deus eos revera censuisset, ejusdem cum Adamo peccati & culpæ quam Adamus commiserat, reos. Deus sic videri possit cum infantibus rigidius agere quam cum ipsis Diabolis. Rigor enim Dei adversus Angelos Apostatos fuit summus, eo quod ipsis peccatum ab iis perpretatum condonare noluit. Rigor enim adversus infantes qui propter Adami peccatum condemnantur. At eo major, quod omnes Angeli in propriis suis personis peccarunt, infantes non nisi in persona parentis primævi Adami: qua de causa Angeli ipsi in culpa, quod peccatum, quod vitare poterant, admisere; infantes non in culpa, nisi qua in Adamo existen-*

existentes, ejus voluntate peccato & culpa involuti sunt. Arm in. ad art. 31. art. 13. & 14.

Resp. Hoc argumentum supponere, infantes non esse in culpa, ac reos existere non nisi alieni peccati: At Scriptura pronunciat omnes peccasse; imo æque proprie peccasse, atque proprie mori dicuntur, nec solum peccasse sed & peccatores constitui. Rom. 5. 18. Mors autem non infligitur nisi propter peccatum; nec mors alicui personæ infligitur nisi propter illius personæ proprium peccatum. Ideo Apostolus pronuntiat in omnes homines mortem transire, quia omnes peccarunt. Rom. 5 12. Non igitur existimandum est parvulos reos esse non nisi alieni peccati, sed & sui cum in ipso Adamo ut in capite, fonte, & seminario cogitandi sumus extitisse; atque ita in eo idem quod ille peccatum perpetrasse, unde Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam & in illo perierunt omnes*, quem locum allegans Augustinus opere posteriori contra Julianum, quod & hic nostri.

Ob. Sed peccatis (inquis) alienis perire non debuerunt.

Resp. Augustinus lib. *6*. cont. Julian. c. 4. *Parentum peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra; Aliena quippe proprietate sunt actiones, & nostra sunt contagione propagationes, quod si falsum esset profecto grave jugum super filios Adæ, à Die exitus de ventre matris eorum, nullo modo justum esset*, & lib. 1. operis imperfect. cont. Julian. c.47 *Aliena sunt, sed paterna sunt: ac per hoc jure seminationis atque germinationis & nostra sunt. Quis ab hac perditione liberat, nisi qui novit quærere quod perierat? In iis ergo quos liberat amplectamur misericordiam: in iis ergo quos non liberat agnoscamus judicium, occultissimum quidem sed sine ulla dubitatione justissimum.* Hæc Augustinus, cui convenit illud Bernardi [Sup citat. p. 117.] *Aliena* [*culpa*] *est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus Nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus & nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto.* Hæc Bernardus. Augustino ergo & Bernardo omnes posteri in Ada rei, non alieni tantum peccati sed & sui peccati.

2. *R.* Hujus assertionis authores male item supponere, non existere in posteris Adæ peccatum aliquid originale inhærens, sed Adami peccatum solummodo imputatum à quo sumus & denominamur peccatores. Sed hanc assertionem ut falsissimam & Pelagianam postea σὺν θεῷ profligabimus.

3. *R.* Demus etiamsi; detur damnari nonnullos parvulos ob solum originale (quod Catholicæ Ecclesiæ consensu semper approbatum fuit) tamen hinc non recte infertur Deum cum iis rigidius agere quam cum Diabolis nisi parvulum qui minori peccato tenetur pari aut graviori supplicio afficiat quam diabolos. Cum infantes (ut recte Augustinus) erunt in damnatione omnium mitissima, dæmones in damnatione longe acerbissima. Quod si levissimam damnationem Deus parvulis infligat, puta millessimam partem pœnæ, quam diaboli sustinent, quis merito incusare Deum potest, summi erga parvulos rigoris hoc solo nomine, quod dæmones propria sua personali malitia peccarunt, parvuli non nisi in suo capite & humanæ naturæ principe.

4. Cum nonnulli ex iis cum quibus jam disputamus, *Corvinus sc.* agnoscant originalem reatum etiam parvulis derivari ex imputatione peccati Adæ, Hoc uno admisso, argumentum propositum æque in eos militat. Sic enim licet nobis argumentari; Qui statuunt Deum omnes homines tam infantes quam adultos æternæ mortis reatu constrictos censere, ex eo solum quod imputatur illis peccatum quoddam actuale, non in propria unius cujusque persona commissum, sed ab Adamo perpetratum, illi faciunt Deum rigidius agentem cum hominibus quam cum Diabolis. Nam nemo diabolorum reus censetur nisi ob peccatum in propria persona, & ex propria malitia commissum. At homines, ex horum sententia, rei mortis æternæ constituuntur, tantum considerati, uti alieno peccato Adami, ex imputatione divina, rei.

Quicquid responsi dederunt nobis, idem & nos illis regeremus.

7. Sic argumentarunt olim Pelagiani. *Nulla ratione conceditur, & Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena*, apud August. de peccat. merit. & remiss. c. 3. & 8.

Resp. Augustinus de peccat. merit. & remiss. lib. 3. c. 7. non sic dicantur ista al*i*ena peccata, tanqnam omnino ad parvulis non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita in quo eos gignere poterat adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicantur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erit in futura Propagium, vita unius hominis continebat.

Et cap. 8. Remittit (Deus) propria, sc. peccata, sed spiritu regeneratis non carne generatis. Imputat vero non jam aliena peccata sed propria. Aliena quippe erant quando hi qui ea propagata portarent nondum erant, nunc vero carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.

Ex hisce constat peccatum Adami merito imputari omnibus posteris ejus quam primum nascuntur; ut non prius incipiant esse filii Adæ, quam imputatur illud primum peccatum atque ita imputetur, ut jam non amplius alienum peccatum quam unius cujusque proprium merito censendum sit.

Atque ita tandem juxta rerum sensum articuli 9. nostræ confess. explicat in homiliis, Adæ peccatum transiisse in posteros imputatatione. Una etiam demonstravimus veritatem nostræ 2 conclusionis page 214 peccatum nimirum Adæ qua fuit libera transgressio præcepti de non comedendo pomo vetito, & totius humani generis transgressio, peccatum erat originale, *Originans sc.* qua peccatum originale denotat, actionem seu potius deordinationem in actione. Objectionibus etiam occurrimus quibus non nulli Theologi hujus primi peccati imputationem impugnari solent.

Cap. XV.

Hoc idem contingere evincitur ea propagatione originalis pravitatis ubi ostenditur carentiam originalis justitiæ esse veri nominis peccatis annumerandum.

Nunc vero proximo in loco ostendendum est peccatum Adæ transiisse in posteros non imputatione solum, sed & propagatione, quod ut clarius innotescat ex præmissis hactenus, repetendum est peccati nomen bifariam sumi, vel qua

Denotat { Liberam transgressionem præ cepti. / Id quod remanet in anima peccatoris post actionem hanc transgressionis præcepti unde transgressor peccator & vere dicitur & est. }

Sic peccatum Adæ quo in comedendo fructu vetito, Dei mandatum transgressus est, post se reliqui aliquid in Adami anima, unde peccator & vere dicebatur & erat. Cum vero peccatum Adæ non fuerit peccatum solius personæ Adæ, sed & totius naturæ humanæ quæ in eo ut communi capite, stipite, & seminario continebatur ex institutione Dei qui voluit ex uno sanguine ut Paulus loquitur Act. 17. 26. (*i.e.*) Ex una cognatione seu origine totum genus humanum propagari, idcirco id quod post actum peccati Adæ transeuntem mansit in Adami anima, unde peccator & dicebatur, & erat, id ipsum necesse erat & traducatur una cum natura in omnes Adami posteros.

Supra

Supra autem ostendimus post actum primæ transgressionis secutum fuisse in anima Adæ

tum { Privationem seu carentiam originalis justitiæ debitæ in esse. Deordinationem omnium virium animæ, & pronitatem & præcipitem inclinationem ad omnimodo mala, quæ uno nomine concupiscentia prava dici solet, quo utroque nomine ostendimus supra, Adamum & vere peccatorem dictum fuisse, & extitisse.

Eodem plane modo in omnes posteros Adæ una cum natura propagata est,

Et { Privatio originalis justitiæ debitæ in esse. Deordinatio omnium virium animæ & præceps inclinatio ad omnimoda mala.

Et quidem traduci & propagari una cum natura tum dictam privationem, tum etiam dictam deordinationem, in pœnam peccati actualis Adami, facile largiuntur omnes; sed an dicta privatio & ἀταξία censenda sint peccata proprie dicta, hoc est quod negant & pernegant Novatores nonnulli, ut antiquiores Romanenses taceam. De hisce ergo utrisque ordo exigit, ut proximo loco agamus, &, an proprii nominis peccatis annumerandæ sint.

Et quidem primo in loco inquirendum est an illa carentia justitiæ originalis, quam cernimus in unoquoque parvulo ab Adamo descendente una cum natura propagari, veri nominis peccatum, dicenda sit, an solummodo pœna primi peccati.

Et certe quod carentia justitiæ originalis debitæ in esse, quæ in omnibus parvulis ab Adamo ortis una cum natura propagatur sit veri nominis peccatum, ostendi potest variis rationibus.

Et quidem primo ex eo, quod hæc carentia in Adamo vere sit peccatum, ergo & peccatum est in posteris.

Consequentio probatur, primo quia si veri nominis peccatum fuerit in Adamo, etiam in posteris. Nos enim cum in Adamo, ut in capite, donum originalis justitiæ accepimus; ita in eo idem donum conservasse tenebamur. Si ergo doni hujus non conservatio peccatum actuale omissionis erat in Adamo, etiam quidni in nobis posteris pecatum consendum est, ac proinde si carentia habitualis, hujus justitiæ erat peccatum in Adamo, ergo & in posteris erit peccatum, propagatione culpabilis, sc. defectus una cum natura posteris transfusus.

Secundo. Si tota natura esset in una persona, si in illa persona carentia originalis justitiæ demerito suo contracta fuit, veri nominis peccatum etiam erit in tota natura ab illa persona propaganda; ergo in qualibet persona ab illa persona oriunda: cum igiter tota natura esset in Adam quando peccavit, videtur quod tota in eo peccaverit, ac proinde tota in omnibus & singulis culpabiliter carent, necesse est, justitia originali debita in esse. Antecedens multipliciter probatur, primo ex sacris literis Gen. 3. 9. Cum Deus Adamum ad se vocat dicendo, ubi es? Et ait [*Adam*] *vocem tuam audivi in horto & timui quia nudus eram & abscondi me, & dixit Dominus quis indicavit tibi quod nudus esses? v.* 11. Satis indicat & Adamus se pro conscientia nuditatis suæ ut Deo exosæ & timuisse & se abscondisse, satis indicat & Deus hanc nuditatem vere culpabilem & sibi exosam; non enim fuit ignorantis sed increpantis vox, ut docet Augustinus lib. 11 ne Genes. ad literam. c. 34. est enim ac si dixisset cur de nuditate erubesces? annon agnoscis carentiam debitæ justitiæ ex peccato tuo ortam? Certe erubescentia ex nuditate satis arguit carentiam justitiæ debitæ in esse, & coram Deo, & ex testimonio conscientiæ Adæ, vere culpabilem fuisse, eumque Deo merito vituperebilem fuisse.

Vide etiam rationes quinque sup. à qua omnes spectant ad probationem antecedentis prioris Enthymematis.

2. Probatur carentiam originalis justitiæ debitæ in esse omnibus parvulis ab Adamo oriundis, una cum natura propagatam, veri nominis peccatum esse. Et quidem primo ex Scripturis, & quidem ad Romanos 3. 10, 11. & hominem lapsum depin-

gens sic habet, *Non est justus quisque non est intelligens, non est inquirens Deum; Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* ——— Vers. 17. *Viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei coram oculis eorum.* Quæ verba aversionem hominis à Deo, & justitiæ debitæ carentiam denotant, non actualem solum sed & habitualem, modum habitus permanentem. Cum enim conqueritur Deus de toto humano genere lapso, non esse inter eos unum aut justum, aut intelligentem, aut Deum requirentem, aut bonum facientem, sed omnes declinavisse & deflexisse, omnino inde evincitur tum Adamum lapsum, tum omnes posteros ab eo oriundos rectitudine inesse debita culpabiliter carere, ac proinde obnoxios fieri iræ divinæ. Conqueritur enim Propheta Psal. 14. v. 2, 3. & 53. 3, 4. de malitia hominum non solum actuali, sed & originali, de declinatione universali omnium filiorum hominum, non solum adultorum, sed, interprete Apostolo Rom. 3. omnium qui sunt in superficie terræ, hominum nemine excepto, id quod hoc fine demonstrat Apostolus ut omne os obstruatur & reus fiat omnis mundus Deo, v. 19. Apostolus vult demonstrare totum mundum, omnes homines, nemine, ne quidem infantibus, exclusis, damnationis esse reos, eo quod careant justitia, nec requirant Deum, nec faciunt bonum & viam pacis non cognoverunt, nec timorem Dei habeant coram occulis suis, sed omnes declinarunt; quæ sententiæ non solum intelligendæ sunt de actualibus omnissionibus adultorum quatenus omittunt actus justitiæ, aut omittunt actu requirere Deum, aut facere bonum, aut viam pacis cognoscere, aut timere Deum, aut actuali Declinatione a viis & mandatis Dei Sed de primo sic. Ubi talis est carentia ibi imaginis divinæ in sanctitate & justitia consistentis, nobis concreatæ, privatio est: At talis privatio imaginis Dei in persona condita ad imaginem Dei merito primæ transgressionis contracta, non potest quin in tota natura sit vituperabilis. Ergo est veri nominis peccatum.

2. Carentia Originalis justitiæ debitæ in esse, est in parvulorum animis defectus culpabilis eosdem Deo invisos & exosos reddens, ergo carentia talis est veri nominis peccatum.

Consequentia probatur, quia nihil creaturam Dei Deo invisam & exosam reddit, præter peccatum. Sapient. 10. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Fecit autem Deus omnia præter peccatum. Quare hæc carentia justitiæ in parvulo cum non sit à Deo, sed sit defectus culpabilis à primi hominis ortus transgressione, vere erit peccatam.

Dices Deum odio habere hanc carentiam ut defectum à peccato relictum, & impeditivum boni ejus, sed non ut peccatum proprie dictum.

Sol. At Deus nullos defectus qui non sunt peccata, sed mere pœnæ, odit, quales sunt defectus & morbi corporei. ——— At omnes defectus animorum sunt merito culpabiles, & Deo exosi, cum etiam ipsis renatis sint exosi, teste Apostolo ad Rom. 7.

Antecedens probatur, Non potest enim, non Deo summæ justitiæ displicere justitiæ carentia in eo, qui in justitia conditus est, ut Deo summæ justitiæ conformis fiat eoque fruatur. At omnes, etiam parvuli, in Adamo primo parente, in justitia conditi sunt, ut Deo summæ justitiæ conformes fiant eoque fruantur, ergo quemadmodum in Adami animo carentia justitiæ erat defectus culpabilis, Deo exosus, ita etiam in omnibus parvulis ab eo propagandis.

3. Quod formaliter tollit illam qualitatem, quæ capaces nos facit, imo idoneos facit ad capessendum regnum coelorum est formaliter peccatum.

Sed talis est dicta carentia; tollit enim formaliter originalem justitiam quæ capaces nos facit, imo idoneos ad capescendum regnum coelorum.

Major probatur quia nihil nos idoneos ad regnum: [*ergo*] cœlorum capessendum facit præter justitiam & sanctitatem: huic autem formaliter opponitur injustitia & peccatum.

Minor evidens est siquidem carentia justitiæ debitæ formaliter opponitur justitiæ debitæ in esse,- privatio enim & habitus formaliter opponuntur, ut ubi ponatur privatio, ibi habitus non amplius maneant, quomodo posita cæcitate hoc ipso tollitur visus.

4. Debet

4 Debet inesse rationali creaturæ, etiam parvulis,illa bona & permanens habitudo mentis erga Deum ut Dominum, atque adeo facultas & promptitudo ad serviendum illi ut ultimo fini. Hæc subjectio habitualis debet in esse vel parvulis: atque privatio seu carentia hujus bonæ habitudinis seu rectæ dispositionis mentis, qua parvulus promptus & propensus esse debet ut feratur in Deum ut ultimum suum finem, in rationali creatura Deo exosa esse necesse est. Hæc siquidem carentia & privatio facit ut in parvulo sit habitualis declinatio & aversio à regula quæ de fine hominis statuit & disponit, atque adeo facit ut regulæ suæ non sint conformes neqne congruant, *Vide Caner.Petri c. 6. p. 26. & Greg. de Valen. de Origin. peccato c.* 13. Regula enim à Deo posita est, definiens media quibus ad ultimum finem perveniamus; recedere autem ab hac regula est peccatum moris,cum sic recedat ab ordine quo ad finem pervenire tenemur. sive recessio fuerit actualis sive habitualis.

5. Vide quartam & quintam rationem sup. & sint quinta & sexta ratio. Septimo privationem justitiæ originalis debitæ inesse pertinere ad Originale peccatum posterorum, quod ab eo, iis propagetur,ex eo patet,quod Adamus erat radix & stipes,origo & principium totius humanæ naturæ, ac proinde cum sese voluntaria aversione à Deo, & conversione ad bona commutabilia creata, privaverit se rectitudine illa & justitia, qua omnes animi vires in officio continuit,& debito ordine coegit, hoc ipso privavit se ista justitia, & omnes itidem posteros: neque enim posteris propagare potuit justitiam qua se privavit: siquidem gignens non potest per generationem propagare illud quo sese privavit. Hæc autem privatio justitiæ considerata qua facta peccata Adæ, ut communis stirpi suo,ut ipsum Adamum exosum & in visum Deo reddebat ita & omnes posteros,cum omnium posterorum voluntas,in ejus voluntate conclusa esset, ita ut in ipso peccasse recte dicatur. Deumque deseruisse. Unde Anselm. de conceptu Virginal. Hoc peccatum,inquit,quod originale dico aliud intelligere nequeo in ipsis Infantibus, nisi ipsam factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem quam omnes sunt filii iræ, quoniam naturam accusat sponta per nam quam fecit in Adam justitiæ desertio. Hæc ille. Ubi originale peccatum præcipue consistere vult, in justitiæ debitæ nuditate quamvis insuper requirat, ut nuditas hæc per totam posteritatem sit factis spontaneo in Adamo unde & Deo exosa & invisa est in tota posteritate.

Dices primo per privationem Originalis justitiæ non relictum esse in unoquoque Adami filio ante proprium suum actum atque veri nominis peccatum. Quis enim sani cerebri capiat per privationem justitiæ originalis ob peccatum relictum esse peccatum aliud destinatum, tum ab illa privatione qua ipsa peccatum esse creditur, tum ab illo peccato propter quod privatio illa facta est? Insaniendum est, ei qui hanc privationem capere vult exam. Conf. p. 84. b.

Resp. Hoc responsum plane pelagianismum redolere. Si enim per privationem originalis justitiæ non relinquetur in Adami posteris ante proprios suos actus aliquod veri nominis peccatum. Quid hoc aliud est quam cum Pelagio dicere, peccatum Adami soli ipsi nocuisse, non autem posteritati ,neminemque obnoxium nasci peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum. Si enim non reperiatur in unoquoque Adami filio ante proprium suum actum, aliquod veri nominis peccatum, cum certum sit filios Adæ in Infantia carere usu liberi arbitrii, & præcepti capaces non esse proinde ab omni peccato proprii nominis immunes sunt. Nec ulli peccato obnoxii nascantur. Cum tamen Propheta David in seriis precibus Deo factis, vere & ingenue confessus fuerit se in iniquitate conceptum fuisse, & in peccato concepisse illum matrem suam Psal. 51. Et loquitur de Iniquitate & peccato proprie dicto, nam non nisi de propria dicta Iniquitate, & peccato agit in toto illo Psalmo.

Et Apostolus Paulus pronunciat se natura fuisse filium iræ, sicut & cæteri. Quorsum etiam institutum est mysterium circumcisionis parvulis octavo die in V. T. Aut mysterium Baptismi in N. T. & quorsum secundum regulam universalis Ecclesiæ ablancur parvuli in remissionem peccatorum quod Cœlestius,primarius Pelagii discipulus in libello quem Romæ edidit fateri coactus est, teste August. de peccato originali. c. 5. ut mittam plurima illa hoc spectantia, de quibus alibi non ita pridem fusius diximus.

At

At (inquiunt) quis sani cerebri capiat, per privationem justitiæ Originalis ob peccatum, relictum esse peccatum aliud distinctum, tum ab illa privatione, quæ ipsa peccatum esse creditur, tum ab illo peccato propter quod privatio illa facta est.

Sol. Respondemus distinguendo de privatione justitiæ originalis.

Vel enim denotat:
- Actum Dei privantis seu auferentis justitiam originalem & ut sic erat actus Dei punientis actuale peccatum Adæ, ut stipitis totius humanæ naturæ.
- Defectum habitualem hujus justitiæ in Adamo & posteris Adæ, qui inhæret animæ cujusque, ex prævaricatione ejus libera primitus constructum.

In prima notione, est actus Dei ut judicis justi, peccatum punientis.

In secunda notione est carentia justitiæ debitæ in esse, quam fecit in communi parente Ada *justitiæ defectio*, ut loquitur Anselnus ubi supra. Est autem privatio justitiæ, quæ defectus est habitualis illius justitiæ quæ debet in esse, nostra spontanea defectione contractus, Deo ingratus, & nos Deo exosos reddit.

Vel ut paulo distinctius loquamur, Dicimus primo Deum ob peccatum Adæ, ut communis stipitis, privasse Adamum & posteros justitia originali, per actum suum in pœnam peccati.

2. Dicimus per actum hunc Dei relictum esse in Adamo, & unoquoque filio Adæ, carentiam illius justitiæ quæ inesse debuitl merito, tamen & juste sublata est, quam carentiam dicimus veri nominis esse peccatum moris, quomodo in eo cui effoditur occulus a justo judice, relinquitur cæcitas, vitium & peccatum naturæ.

3. Dicimus hanc carentiam destinctam esse ab illo peccato actuali Adæ, & in eo posterorum, cum sit habitualis defectus in omnibus posteris, Deo ingratus, & in se merito vituperabilis, ex hisce manifestum est.

1. Ex actuali peccato Adæ &, in eo posterorum, secutum fuisse.

2. Actum Dei ut justi judicis privantis Adamum & posteros originali justitia.

3. Ex hoc actu Dei sequitur carentia justitiæ in anima Adæ, & posterorum; qui defectus est Deo exosus, ut proficissens à spontanea aversione à Deo.

Merito nos dicimus insaniendum esse ei, qui hanc privationem capere non potest.

Dicunt secundo peccatum originale seu non habere pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat, nec pro malo quod per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo ad posteros dimanet, sed pro malo, infirmitate, vitio, aut quocunque tandem alio nomine vocetur, quod ab Adamo justitia originali privato, in posteros ejus propagatur: unde fit ut posteri omnes Adami eadem justitiæ destituti, prorsus inepti & inidonii ad vitam æternam consequendum aut in gratiam cum Deo redeundum, aut ad viam inveniendum, qua ad vitam, aut in gratiam cum Deo redeunt, nisi Deus nova gratia sua eos præveniat & vires novas iis restituet ac sufficiat; quibus ad eum possint pervenire.

Sol. Hisce verbis disserte asserunt se peccatum originale non habere pro peccato proprie dicto quod posteros Adami odio Dei dignos faciat; seu pro malo, vitio, infirmitate quod tamen paulo post aiunt non nisi καταχρηστικῶς vocari, peccatum originis. Alibi etiam Resp. ad specimen 7. aiunt, peccatum, & originale, esse repugnantia, & respondet ad speciem 17. debitum & originale sibi invicem contradicunt. Imo nec pœnam proprie dictam esse statuunt, quæ per motum proprie dictæ pœnæ ab Adamo ad posteros dimanet, sed pro malo, infirmitate, vitio, aut quocunque tandem alio nomine vocetur, quod ab Adamo justitia originali privato in posteros ejus propagatur. Quæ omnia sunt impura & novella dogmata, Catholicæ Ecclesiæ hactenus inaudita, ideoque acuratius refellenda.

Et quidem impugnavimus non ita pridem ex testimonio David, Psal. 51. 7. Ecce in Iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea] ubi propheta ingenue agnoscit peccatum suum originale; neque enim hujus peccati in quo concep-

tus

tus est meminit, ut peccatum adulterii jam nuper commissum extenuet, aut aliquo prætextu modificet, aut alio transferat, sed ut peccatum suum magis exaggeret, agnoscendo se ab ipso utero iniquitate repletum esse, & meram pravitatem omnibus animæ facultatibus ab ipsa origine adhærescere.

Porro certum est prophetam in hoc textu non agere de Iniquitate & peccato improprie dicto, sed de Iniquitate & peccato proprii nominis. Nam voces Hebreæ *Guavon* & *Catah* proprii nominis peccatum significant. Peccatum sc. quod posteros Adami odio dignos faciat. Quin & eædem voces in hoc ipso Psalmo sæpius occurrunt, ubique tamen pro vere & proprie dicto peccato sumuntur qualia fuerunt peccata adulterii & homicidii, quæ certum est fuisse peccata quæ Davidem Dei odio dignum faciebant, qua duo peccata potissimum hic deplorat. Sed neque Davidis supplex confessio seria & ingenua censenda esset; nisi de peccato proprii nominis intelligatur, non dici potest se peccata sua amplificare velle, sed extenuare, vel potius palliare, imo potius cum Deo æquivocare, quod cum vere respicientis ingenua confessione consistere nequit, imo ab ingenua confessione maxime abhorret.

Porro certum est Davidem in sua confessione non potuisse intelligere peccatum actuale proprii nominis, cum ipse actu nondum peccare potuit in utero matris, nondum per ætatem habere potuit usum liberi arbitrii quod acquiritur ad peccatum actuale perpetrandum, ergo necessario dicendum, illum intellixisse peccatum originale; ergo ex Davidis sententia datur originale, aut saltem supponitur originale peccatum dari. 2 loquitur in singulari de peccato certo, non in plurali de multis actualibus; etsi enim 70 interpretes vertunt in plurali, ἐν ἀνομίαις ϗ ἁμαρτίαις, & eos secutus latinus interpres; tamen in Hebræo fonte Propheta non nisi singulari usus est ut plane existimandum sit prophetam respexisse peccatum originale. Quomodo etiam idem peccatum, mundi peccatum, appellat Baptista Joan 1. 29. ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. 70 vero interpretes & eos secutus Latinus interpres, ideo usi sunt plurali numero, eo quod ex uno peccato & fonte, originali sc. hoc peccato, dimanent cætera omnia actualia peccata.

3. Quomodo veraciter inter orandum confitetur apud Deum Davides, se in Iniquitate conceptum, si in nullo homine ante proprium suum actum, nullum veri nominis peccatum reperiatur, nullum quod parvulum exosum Deo reddat] & invisum]: non enim confitemur apud Deum Iniquitatem & peccatum, nisi quod iram Dei in nos provocat, & odio Dei dignum est.

4. Quam non ficte & lusorie compellat Deum Propheta, ecce in peccato conceptus sum; si peccatum & originale, sint termini repugnantes, si debitum & originale sibi invicem contradicant; si peccatum cum prima conceptione & origene consistere nequeat. Aut quomodo malum quod inest omnibus Adæ posteris & peccatum originis dici solet, non nisi καταχρηστικῶς vocatur peccatum originis, cum illud confiteatur Propheta in seriis orationibus, cum illud recenseat inter veri nominis peccata, imo illud confiteatur, ut peccatorum omnium suorum & fomitem & fontem? *Labia dolosa (inquit Augustinus Epist. 107.) si in hominum quibuscunque sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint.* Absit ut quod peccatum confitemur oribus & vocibus nostris, id vere peccatum esse cordibus negemus. Aut certe Davidis confessio non erat seria, ingenua, & verax; aut certe peccatum in quo se conceptum fuisse confitebatur, erat veri nominis non καταχρηστικῶς peccatum. Quanto rectius Hilarius in Psal 118. edisserens hunc locum. Ecce in Iniquitatibus conceptus sum. —— Scit sub peccati origine & sub peccati lege esse se natum. Quanto rectius Ambrosius, Merito David flebiliter deploraret in se, ipsa inquinamenta naturæ, quos prius inciperent in homine maculæ quam vitæ Apologia David c. 11. Quarto recti us Nazienzenus agens de Baptismo, per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur per quas in Iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ, quæ omnia testimonia in enarratione hujus loci adducit Augustinus lib. 1. & 2. cont. Julian. cum multis aliis ubi de veri nominis peccato, inquinamentis, & maculis agunt.

Alter locus affinis adduci solet è Job 14. 4. *Quis dabit mundum ex immundo? non unus.* Sic in Hebraic. vulgata interpretatio sic. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Lxx interpretes sic; τίς γὰρ καθαρὸς ἔσαι ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδ' εἷς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. Quod Augustinus ita reddidit. Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius Diei vita super terram.

Ubi Job ait, Quis dabit mundum ex immundo, *Mit-tame*. *Tama* est nomen participium seu adjectivum, & respicit aliquod substantivum. Cumque notetur prima hominis origo, ideoque subintelligi debet vel semen ex quo gignimur, vel parens à quo gignimur, plerique interpretes referunt ad semen. Quis dabit, inquit Mercerus in locum, mundum ex immunda re?

1. Ex semine virili & muliebri: ideo vulgatus interpres ἐξηγητικῶς vertit. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine. Lxx etiam interpretes paraphrasti κῶς interpretantes. etiam ad parvulos extendi voluerint, & communiter interpretes referunt ad originalis peccati labem. Glossa interlinearis Ansel Laudanensis confert hunc locum; cum illo David Psal. 51 *Ecce in iniquitate conceptus sum.* Glos. ordin. stra. Quis potest facere mundum ex immundo. Is enim qui per se solus mundus est mundare prævalet immunda. Ipsa enim, propter delectationes carnis, nostra conceptio immunditia est, quæ verba desumuntur è Gregor. M. in locum Moral 11 c. ult. *Certum est Jobum agere de universali generis humani imbecillitate, à qua neminem excipiendum vult, eamque deplorare.*

2. De sordibus à parentibus in ipso ortu propagatis.

3. Loquitur de impuritate inevitabili. Videtur solum Christum dicere non de immundo semine natum; glossa Lyræ sic. *Quis potest facere & —— quia homo originale peccatum trahit, per hoc quod ab Adam secundum rationem seminalem descendit.* Homilia de miseria Hom. in part. 1. in hunc modum explicat hunc locum p. 8. *Quis potest facere mundum qui ex immundo semine conceptus est?* Gregorius M. in locum Moral. 11. c. 26. in locum sic habet. *Is qui per se solus est mundus, mundare prævalet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens, habet tentationem, immunditias impressas in semet ipso; quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe, propter delectationem carnis ejus concepti, immunditia est.* Unde & Psalmista, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Hunc locum confert Gregorcum loco Psalmistæ & mox. *Qui ad locum munditiæ mente pervenit, conceptionis suæ viam respiciat per quam venit: atque inde colligit. quia ex sua virtute non habet initium vivendi: cui se immunditia factum est initium subsistendi;* addit Gregor. *potest vero hoc in loco intelligi, quia B Job incarnationem redemptoris intuitus, solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in mundum venit ex virgine & nihil haberet de immunda conceptione.* Hæc Gregorius. Philippus. item presbyter. qui vixit Ante Gregor. Originale peccatum ex hoc ipso loco deducit. Alii loci occurrunt ex veter. Test. qui testantur de malitia quam habent homines ab incunabilis, ab ipsis natalibus Gen. 8. 22. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt à pueritia,* sci. Infantia. Psal. 58. *Impii abalienati sunt à vulva, & ab utero loquuntur mendacium.* Et 116. 11. *Omnis homo mendax.* Et Esaiæ 48. 8. Compellans Israelem, *Transgressorem ab utero vocavit te,* ex quibus locis evidenter deducitur pravitatem insitam inesse, omnibus ex utero matrum, ab Adamo propagatam, quod proinde est ac si dicamus dari originale peccatum proprii nominis, quod vel ipsos parvulos Deo exosos reddat. Sed actum non agam.

Certum est tum ex V. T. tum ex N. T. adduci locos alios quamplurimos ex quibus deductione satis manifestum solidissime, evincitur dari peccatum originale veri nominis, quod vel parvulos ipsos à prima conceptione facit filios iræ & iræ divinæ obnoxios. Idem etiam conficitur evidentissime ex rationibus Theologicis ex analogia fidei petitis quarum aliquas protulimus alibi non ita pridem. Eandem veritatem confirmant Conciliorum definitiones contra Pelagianos coactorum. Pontificum item Romanorum responsa. Traditio item Ecclesiæ usque ad Augustinum, cujus testis locupletissimus idem Augustinus. Ecclesiæ item post Augustinum, cujus rei testes sunt Prosper, Fulgentius, Leo M. Gregorius, M. Beda. Anselmus, Hugo de S. victore,

Lombar-

Lombardus & eum secuti Scholastici ad hoc usque tempus, ut mirum sit novatores reperiri qui hanc fundatissimam Catholicam veritatem, tot rationibus tantaque authoritate munitam ausint in dubium vocare. Sed pergamus & audiamus quid sibi velint isti navatores, aiunt *se peccatum originale non habere pro peccato aut pœna proprie dictis, sed pro malo, infirmitate, & vitio, quod ab Adamo justitia originali privato in posteros ejus propagatur, unde fit ut posteri omnes Adami eadem justitia destituti prorsus inepti & inidonii ad vitam æternam consequendam, aut in gratiam cum Deo redeundum, aut ad viam inveniendum, qua ad vitam aut in gratiam; cum Deo redeant, nisi Deus nova gratia sua eos præveniat & vires novas iis restituat ac sufficiat quibus ad eam possint pervenire.* Hæc illi, volunt isti peccatum originale non esse peccatum proprie dictum, quod posteros Adami odio dignos faciat, aut reos pœnæ proprie dictæ, sed pro malo aut vitio, quod omnes posteros Adæ ineptos faciat ad vitam æternam consequendum, aut in gratiam cum Deo redeundum, aut ad viam inveniendum, qua ad vitam & in gratiam cum Deo redeant.

Cap. XVI.

Ostenditur (contra novatores) Ineptitudinem ad vitæ æternæ consecutionem, ad redeundum in gratiam cum Deo, & ad viam inveniendam, qua in gratiam cum Deo redeant, esse peccata.

R*ESP.* primo istos Novatores fateri, à privatione justitiæ originalis inesse homini ineptitudinem triplicem.

ad
1. Vitæ æternæ consecutionem.
2. Redeundum in gratiam cum Deo.
3. Viam iuveniendum quæ ad vitam, aut in gratiam cum Deo redeant.

2. Hanc ineptitudinem esse malum non tamen aut { Culpabile. / Pœnale, seu pœnam. }

At certum est primo ineptitudinem ad viam inveniendum, qua ad vitam aut in gratiam cum Deo redeant vere culpabilem esse in rationali creatura, ineptitudinem etiam ad redeundum in gratiam cum Deo, & ad consequendum vitam æternam. Istæ omnes ineptitudines, in rationali creatura, condita ad æternam beatitudinem, & ut fruatur Deo ut ultimo fine, summo suo bono, sunt vere vituperabiles & proinde verinominis peccata. Ut autem rectius statuamus quid sentiendum sit de hac triplici ineptitudine, & an ad originale peccatum reducenda sit; prius perpendendum est quid pertineat ad rationem seu naturam originalis justitiæ; nam privatio hujus est positio alterius. Est autem originalis justitia bona quædam habitudo seu rectitudo totius hominis, qua totus homo conformis sit legi seu voluntati divinæ, quaque habilis, aptus, & idonius factus est ad debite Deum colendum eique serviendum cum perfecta obedientia. Hoc innuit Scriptura, quando docet hominem conditum fuisse ad imaginem & similitudinem Dei, Gen. 1. 27. & cum dicitur Deum fecisse hominem rectum, Eccles. 7. 30. Talis autem rectitudo constare non potuit nisi omnibus animæ facultatibus bene ordinatis & recte se habentibus. Si enim aliqua facultas destituatur, bona sua habitudine seu rectitudine, impedimento erit reliquis, quo minus debitum Deo obsequium exhibere possit. τὸ γὰρ καλὸν ἐξ ὅλης

ὅλης αἰτίας, τὸ δὲ κακὸν ἐκ μερικῶν ἐλλείψεων. Dicente Dionyſ. de divin. nom. cap. 4. Bonum eſt ex integra cauſa, malum ex ſingularibus defectibus.

Juſtitia ergo originalis ſuo ambitu continebat. 1. Perfectam mentis illuminationem, qua plane inſtructus eſt in cognitione divinæ voluntatis, & in omnibus quæ ad ſuum officium ſpectabant.

2. Perfectam cordis ad Deum converſionem, qua illum habilem, aptum, idoneum, promptum reddidit ab obſequium divinæ voluntatis.

3. Perfectam ſubordinationem partium animæ inferiorum & appetitus ſenſitivi tam concupiſcibilis quam iraſcibilis, ſuperioribus menti & voluntati abſque omni pugna & rebellione aut paſſionum ἀταξία. Si quidvis horum ſuſtuleris, originalem juſtitiam tollas neceſſe eſt. Si mentis tollas illuminationem, voluntas cum ſit in ſe potentia cæca, non poteſt Deo debitum obſequium præſtare. Tolle voluntatis ad Deum converſionem & ſubjectionem, mens illuminata videbit meliora; ſed ipſa Deo rebellis pejora ſequetur: eſto demum mens illuminata & voluntas Deo ſubdita, ſi appetitus ſenſitivus deordinatus ſit paſſiones ejus tenebras menti offundent, catenas voluntati injicient, quo minus quis poſſit expedite, prompte, & delectabiliter debitum Deo ob ſequium exhibere. Haſce originalis juſtitiæ partes eſſe vel inde patet, quod ſacræ literæ renovationem imaginis Dei in hiſce tribus conſiſtere indicant ut ex 4 ad Epheſ. 4. & ad Coloſ. 3. colligitur. Hiſce ita explicatis facile dijudicare poteſt, in quibus ſita ſit ratio Originalis peccati, privatio enim prædictæ rectitudinis ut bonæ habitudinis in ſingulis dictis animæ facultatibus, cum corrupto habitu qui huic privationi ſemper adhæret, originalis peccati naturam conſtituit. Originale igitur peccatum juxta Scripturas & patres privatio eſt originalis juſtitiæ, iniquitas item & non tamen pura privatio ſed ex Adamo contracta impietas & injuſtitia, pravaque hominis diſpoſitio, qua perperam & male in Deum & creaturas affectus eſt averſus à Deo, & ad ſeipſum & creaturas inordinate converſus, id quod de parvulis etiam dicendum eſt, non quod illi de Deo aut creaturis aliquid cogitent, cum in illo ſtatu, nullum aut voluntatis aut rationis uſum habeant, ſed quoniam habitualis in iis eſt averſio à Deo qua inepti ſunt ad omne bonum, quinetiam & prava diſpoſiſitio, qua non recte in ordine ad Deum & creaturas diſpoſiti ſunt. Eſt enim originalis illa Iniquitas pravus quidem & corruptus naturæ humanæ habitus quo homo ex Adam carnaliter natus ineptus fit ad omne bonum, & male & carnaliter affectus eſt & perperam reſpectu Dei & eorum quæ Dei ſunt diſpoſitus, ſic nimirum corde & mente diſpoſitus eſt affectus, ut non ſecundum Deum, ſed ſecundum ſeipſum vivere, latenti vitio, promptus ſit; quod in adulta ætate, ſeſe prodit. Vid. Caner, Petr. c. 4. ex quibus etiam dijudicari poteſt an hac triplex ineptitudo ad originale peccatum ſpectat necne.

At primo certum eſt hanc triplicem ineptitudinem ex privatione originalis juſtitiæ extitiſſe in ipſo Adamo; nam ex privatione

Originalis juſtitiæ
1. Ineptus factus eſt ad vitam æternam conſequendam.
2. Ineptus item ad redeundum in gratiam cum Deo.
3. Ineptus item ad inveniendum viam, qua ad vitam aut in gratiam cum Deo rediret.

At quis in Adamo ipſo lapſo non fuiſſe veri nominis culpas, haſce omnes dicet in Ineptitudines.

Hanc Ineptitudinem triplicem in ipſo Adamo vere eſſe peccatum ſic demonſtratur; ut peccatum actuale Adami in commedendo fructu vetito, erat actus voluntarius, quodammodo & hunc ſuum actum & ejus perſonam privans rectitudine, ſecundum legem Dei, debita; ita peccatum habituale eſt privatio, ſeu carentia illa voluntarie in eo remanens ut facta tali actu, peccatum autem quodlibet actuale privat duplici rectitudine, una quæ debebat ineſſe actui, altera quæ debebat ineſſe perſonæ, quæ eſt per rectitudinem ſeu gratiam habitualem. Peccatum autem habituale conſideratur in privatione quæ reſpondet perſonæ, cum ordine tamen ad privationem quæ reſpondet actui.

Cum

Cum igitur Adam actu voluntario peccavit, ex illo actu peccatum habituale, *i.e.* privatio rectitudinis habitualis voluntarie in eo remanens, qua debebat in esse personæ, in ipso Adamo extitit. Hoc ipso autem quod talis privatio habitualis ejus personæ inesset; Hoc ipso in eptitudo ad omne bonum, quam diu talis permansit in eo privatio, in eo remansit, *Vide Malder. in* 12. *q.* 82. *artic.* 1 *Conclus.* 7. *p.* 181.

Sed de singulis videamus et primo de ineptitudine ad vitam æternam consequendam.

Adamus in originali justitia conditus, non tantum capax fuit consecutionis vitæ æternæ, sed aptus & idoneus ad vitam æternam capescendam, & eandem aptitudinem conservare & exercere tenebatur ad vitæ æternæ consecutionem; quomodo ergo non grande peccatum erat in Adamo non conservare hanc aptitudinem, & contrahere hanc ineptitudinem. Angelorum malorum prævaricatio in hoc potissimum consistebat, dicente Jud. vers. 6. quod non servarent suum originem, id est originalem statum, sed domicilium suum relinquerent. Quomodo ergo non peccavit Adam immaniter, non conservando hanc aptitudinem qua aptus & idoneus à Deo factus est ad consequendum vitam æternam quomodo non immaniter peccavit, contrahendo suo actu voluntario hanc ineptitudinem ad consequendum vitam æternam, & quomodo erit hæc ineptitudo voluntarie contracta, in Adamo grande scelus, & tamen in posteris, qui in eo non servarunt suam originem nec malum culpæ nec malum pœnæ.

In Adamo lapso veri nominis culpa eaque gravissima erat ignorantia ultimi finis, quæ regula est omnium humanarum actionum, qui solus perficit tum agentem, tum actionem, in quo terminatur & appetitus & operatio cujus libet hominis agentis, qui omnibus mediis amabilitatem, ordinem, ac mensuram dat, & prescribit; quid magis in rationali creatura culpabile fingi potest, quam ignorantia proprii finis, quæ regula esse debet omnium suarum actionum, & quo ignorato nemo potest vel unam actionem moraliter bonam facere? unde in omnibus errare necesse est.

In Adamo etiam lapso, culpa gravissima est ignoratio mediorum ad finem, *i. e.* omnium earum rerum per quas ad bonam beatamque vitam pervenire potest, quis non vituperabile merito judicat in homine (ratione præditio) dubitare, hæsitare, nutare, cæcutire, in deliberatione rerum agendarum, circa consecutionem veri & summi boni, utraque hæc ignorantia est earum rerum quas imprimis homo tenetur scire, & quas Adamus integer de facto clare scivit?

Porro ex justitiæ originalis carentia privatus est Adam iis viribus & virtutibus quibus aptus & idoneus factus est ad vitam æternam consequendam. Hoc ipso quod istis habitualiter caruit, factus est ineptus ad eandem vitam consequendam, quæ carentia habitualis & ineptitudo merito fuit ei vitio vertenda, utpote quam contraxit suo demerito & libera à Deo aversione, merito item Deo exosa & merito in se vituperabilis, ut quæ deformitas erat insignis, qua anima ipsa deformata erat in Dei conspectu. Utque macula quæ remanet in anima peccatoris post actum transgressionis cujuslibet præcepti, indispositio item ad idem bonum, merito Deo exosa est, & in se vituperabilis, & transgressorem exosum Deo & vituperabilem reddit, ita plane dicendum est de hac ineptitudine in Adami anima existente, ex carentia originalis justitiæ, ad vitam æternam consequendam.

2. Ex ejusdem justitiæ originalis carentia habituali, privatus est Adam illa aptitudine qua, vi originalis justitiæ, idoneus, promptus & alacer factus est, ad favorem Dei conditoris retinendum, ad amicitiam cum Deo initam colendum & conservandum, ad ejus offensum studiose vitandum, qua aptitudine sua culpa privatus, hoc ipso Ineptus fit, & merito fit, ad redeundum cum Deo in gratiam, quæ Ineptitudo sua culpa voluntaria contracta, merito Deo exosa fuit, & cum Deo vituperabilem reddidit. Unde & veri nominis culpa fuit.

3. Ex ejusdem justitiæ originalis carentia privatus est Adam illo lumine quo via vitæ, & ad gratiam cum Deo retinendam, illi clara, obvia, manifesta lucebat, quo aptus & idoneus factus est, ad viam istam dignoscendam, ineandem, & in eadem ambulandam, ex qua privatione mens occæcata est, & prorsus Ineptus factus est ad

hanc viam inveniendam, & dignoscendam, repleta siquidem est mens ignorantia, errore, infidelitate quæ Ineptitudo formaliter opposita est illi aptitudini, imo illi claræ notitiæ viæ ad vitam, quæ ab originali justitia fluebat. Unde & veri nominis peccatum erat, Deo ingratum & exosum.

Diximus ex carentia habituali justitiæ originalis, privatum fuisse Adamum illa aptitudine qua idoneus & promptus factus est ad favorem Dei conditoris retinendum & continuandum; lumine etiam illo quo viam dignosceret, quo favorem Dei retineret & continuaret; aptus & idoneus esset. Non itidem diximus privatum fuisse aptitudine ad redeundum in gratiam cum Deo irato & offenso aut lumine illo quo viam inveniret, qua in gratiam cum Deo rediret.

Aliud enim est privatum esse aptitudine { Retinendi favorem Dei, in quo sumus. | Redeundi in favorem Dei, à quo excidimus culpa nostra.

Aliud item est privatum esse aptitudine viam inveniendi, qua { Ad vitam pergamus, aut retineamus favorem quem cum Deo habemus. | Ad vitam redeamus, postquam deviavimus, aut in gratiam cum Deo irato redeamus.

Quomodo & aliud est { Pergere in via vitæ, retinere item gratiam cum Deo, item nosse viam retinendi gratiam cum Deo. | Invenire viam vitæ è qua erravimus, viam item redeundi in gratiam cum Deo offenso & irato.

Homo enim in statu integro habuit priorem aptitudinem ex Originali illa justitia in qua conditus, aptus enim erat & idoneus ad favorem actualem quem cum Deo habuit retinendum & ad pergendum in via vitæ quæ ei clara & obvia fuit. Non itidem posteriorem. Neque enim necessaria erat durante statu integritatis viam nosse placandi Deum iratum. Quanquam dicendum est originalem justitiam mentem humanam aptam & facilem fecisse ad fidem adhibendam divinis documentis ac revelationibus quandocunque à Deo revelanda erant. Unde & tarditas & Ineptitudo ad fidem ejusmodi taliter revelatis adhibendum, semper erant veri nominis peccata, post revelationem factam. Daven. de habit. just. p 282. Hæc triplex dicta ineptitudo ut merito in Adamo culpabilis est, ita & nomine pœnæ eidem à Deo justo judice irrogata est. Quid enim justius quam ut Adamus qui conditus est à Deo, aptus & idoneus ut vitam æternam consequatur, & Deo summo bono fruatur, Ineptus fieret ad vitam æternam consequendam, quid item æquius aut justius quam ut ille qui in gratia & favore Dei conditus est & aptus & idoneus, ut in gratia & favore Dei perseveraret, & tamen noluit in hac gratia perseverare, ut Ineptus prorsus fieret ad redeundum cum Deo in Gratiam. Quid denique magis æquitati & justitiæ congruum, quam ut Adamus qui factus est & Idoneus ad pergendum in via vitæ, & ad retinendum favorem quem cum Deo habuit, & tamen neglexit pergere in via, & retinere favorem quem cum Deo habuit; quam ut Ineptus prorsus fierat ad viam vitæ inveniendam & viam gratiam cum Deo redeundi, sic. August. dlib. ac. 3. c. 18. Justum esse docet apud Deum, ut qui sciens recta non facit amittit ipsam recti scientiam.

Videtis hanc triplicem Ineptitudinem in ipso Adamo fuisse tum malum culpæ, tum malum etiam pœnæ proprie dictæ, neque enim sufficit dixisse fuisse malum aut vitium, aut nudam calamitatem, aut etiam vulnus in Adamo, non autem malum aut culpæ, aut pœnæ proprie dictæ cum novatoribus, nam mala, vitia, vulnera, defectus, morbi sive infirmitates potentiæ animæ quæ capax est peccati non aliud esse potest quam malum culpæ, seu peccatum. Hinc Thom. omnis defectus in natura prolis inventus, derivatus à peccato Adæ habet rationem peccati originalis dummodo sit in subjecto

susceptivo

susceptivo culpæ,q'q. disput. de malo quæst. 4. art. 2. ad quartum,& Daven. de Justi. p. 280. non enim aliud sunt vulnera animæ quam peccata animæ, nec mala sunt naturalia sed moralia, à fine ultimo consequendo retardantia.

Addo eandem esse rationē carentiæ sive justitiæ sive gratiæ in qua conditi sunt Angeli defectores seu Apostatæ, carentia enim hæc in istis non erat nuda Ineptitudo qua Inepti erant ad consequendam vitam æternam, atque adeo calamitas duntaxat quæ non malum culpæ esset, non pœna proprie dicta; sed veri nominis malum culpæ,Nam, dicente Juda, eo quod non servarunt suam originem, sed culpa sua caruerunt, & reliquerunt domicilium in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservantur, vers. 6. A. Nemo vinculis æternis reservatur in diem judicii, ob nudam calamitatem aliquam aut ob Ineptitudinem quæ non sit peccatum, & malum culpæ. Hæc carentia ergo justitiæ & gratiæ in ipsis est veri nominis malum culpæ, ergo etiam in ipso Adamo. Namque quod ad rem ipsam spectat,eadem est in utrisque ratio, tum in hominibus tum in dæmonibus.

Cap. XVII.

Exinde evincitur deordinationem virium animæ esse veri nominis peccatum.

Quod autem diximus de triplici hac Ineptitudine in Adamo, à justitiæ originalis privatione exorta diximus,de virium animæ deordinatione in Adamo seu prava concupiscentia itidem dicendum est,quod veri nominis in Adamo seu prava concupiscentia itidem dicendum est, quod veri nominis in Adamo peccatum fuisse supra pluribus rationibus evicimus.

Cum ergo demonstravimus in ipso Adamo hanc privationem seu carentiam originalis justitiæ;& Ineptitudinem triplicem ex eadem ortam; deordinationem etiam omnium virium animæ inde secutum veri nominis peccatum fuisse: inde promptum est colligere eandem carentiam & Ineptitudinem inde ortam, & deordinationem omnium virium animæ inde secutam in omnibus posteris ejus secutam veri nominis peccata esse, neque enim dici potest hanc carentiam ut inde ortam Ineptitudinem in Adamo fuisse veri nominis peccatum odio dignum, Deo exosum & merito vituperabile; non itidem in posteris, cum certum sit hanc carentiam & inde contractam Ineptitudinem ad omne bonum, non fuisse peccatum, solius personæ Adæ sed peccatum naturæ humanæ quæ tota tum erat in Adami persona,cujus caput,stipes, radix, seminarium erat, quæ tota in lumbis ejus erat, & ab eo in omnes posteros seminali ratione propagata est. Atque hinc est quod Scriptura testatur Genes. 5. 3. Adamum genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam. Adamum sc. jam lapsum. Cum tamen ipse Adam à Deo in statu integro factus esset ad imaginem & similitudinem Dei (*i.e.*) in agnitione Dei. Colos. 3. 10. & in vera justitia & sanctitate, Eph. 4. 23. interpretante Apostolo, ubi notanda est oppositio inter imaginem & similitudinem Dei ad quam homo creatus dicitur vers. 27. & imaginem Adami ad quam genuit Sethum. per imaginem notatur naturæ integritas, justitia & sanctitas, ergo per Adami jam lapsi imaginem intelligenda est imago priori opposita, naturæ sc. depravatio, injustitia & corruptio per peccatum; Ambros. in Psal. 119. versu ultimo, imaginem Dei interpretatur imaginem justitiæ, sapientiæ, virtutis. Et alii patres dicunt imaginem Dei per peccatum non solum obscuratam ac deformatam esse; sed & deletam & obliteratam, eamque per Christum renovari, restitui ac reformari. Sic Basilius de S. Sanct. c. 9. & Ambros. lib. 7. in Lucam c. 15. & August. de spir. & lit. c. 27,& 28. & lib. 2. cont. Adim c. 5. *Vid. Estium in 2 dist. 16. 7. p. 161.*

Gen,

Gen. 6. 5. *Vidit Dominus — omne figmentum cogitationum cordis hominis tantum malum omnibus diebus*, & 8.:21. *cogitatio cordis humani mala est à pueritia sua*, ob pronitatem & præcipitem inclinationem ad malum ab Infantia. Et Apost. ad Rom. conqueritur de malitia totius generis humani ex variis Scripturæ locis V. T. id quod hoc fine demonstrat, *ut omne os obstruatur & reus fiet omnis mundus Deo*, *vers.* 19. at non fit totus mundus, ne parvulis exceptis, reus coram Deo, nisi ob malum culpæ, non ob Ineptitudinem confictam à novatoribus quæ non fit malum aut culpæ aut pœnæ proprie dictæ, sed quod sit malum culpæ posteros Adæ odio Dei dignos faciens: ejusmodi enim malum culpæ duntaxat, reum facit omnem mundum Deo.

Davides Psal. 51. Reus gravissimorum peccatorum adulterii & homicidii, cum ad horum & omnium aliorum peccatorum fontem, digitum intenderat, sic Deum compellat vers. 7. Ecce in Iniquitate conceptus sum, non ait in Ineptitudine & in peccatis; addit genuit me mater mea, non ait in Ineptitudinibus genuit me mater mea. Quomodo veraciter inter orandum confitetur propheta apud Deum se in Iniquitate conceptum fuisse, si in nullo homine ante proprium suum actum, nullum erat veri nominis peccatum; nec esset nisi Ineptitudo ad vitam æternam consequendam, aut ad redeundum in gratiam cum Deo, quæ tamen veri nominis culpa non esset.

Certe Ineptitudo omnis ad vitam æternam capessendam, in subjecto apto & capaci facto consequendæ vitæ, & proprio demerito contracta necesse est ut veri nominis culpa sit & contrahenti merito imputetur ad veri nominis pœnam, utpote quæ Deo in tali subjecto exosa sit & merito exosa.

Hoc idem evincant rationes ab analogia fidei petitæ.

Et quidem primo à mysterio circumcisionis, nisi enim in peccato parvuli nati & concepti fuissent, quorsum in V. Test: institutum est parvulis, 8. à nativitate Die? Quorsum inquam, si non ad auferendum reatum nativæ corruptionis? Aut quid aliud denotat aut denotare potest circumcisio præputii, quam ablationem originalis reatus cum quo quisque in mundum nascitur. Num hoc Augustissimum Sacramentum institutum existimabimus, ad tollendum originalem Ineptitudinem quandam quæ nullius culpæ rationem habebat imo nec pœna certe? nihil minus.

Secunda ratio sumi potest, à mysterio Baptismi. Quorsum enim institutum mysterium Baptismi à Domino in N. T. quod Circumcisioni succederet, & quorsum more ab Apostolorum temporibus accepto, baptizantur parvuli in universali Ecclesia nisi ad abluendum originalem culpam, cum qua quisque nascitur; aut quid aliud denotat ritus ablutionis, quam ante ablutionem nos nasci cum macula parentali? ut appellat Fulgentius *de veritate prædestinationis lib.* 1 *p.* 24. Et post ablutionem eandem auferri nec amplius imputari. Aut quid aliud sonat, ego te baptizo, ego te lavo, ego te abluo inter baptizandum, quam ego te abluo a reatu originali, in quo conceptus & natus es. Num hæc omnia peragantur in Ecclesia quotidie, ad abluendum originalem Ineptitudinem quæ nec culpa sit, nec pœna, sed quædam calamitas ab ipso ortu naturam concomitans. Sacræ literæ meminerunt ablutionis peccatorum per Baptismum, meminit sanctificationis & purgationis Ecclesiæ lavacro aquæ per verbum est Eph. 5. 27. meminit Baptizationis in remissionem peccatorum, nuspiam in ablutionem aut ablationem originalis Ineptitudinis. Hæc enim aut æquipollens formula nusquam occurrit in sacris literis aut in patribus.

Restat ergo ut sit figmentum Novatorum.

Tertia Ratio peti potest ab universalitate redemptionis, vel datur veri nominis originale peccatum in parvulis, vel Christus non veraciter dici potest redemptor parvulorum. Non enim veraciter redimuntur nisi captivi, & quia spiritualiter captivi non nisi mancipia diaboli. Nemo autem mancipium est diaboli qui reatu peccati non est obstrictus. Nec Christus vere dicitur servator parvulorum, cum ille in mundum venit non nisi peccatores salvos facere, 1 Timoth. 1. 15. & ab Angelo cognominatus est Jesus, quia salvum facit populum suum à peccatis eorum Mat. 1. 21. Aut igitur nulli parvuli censentur in populo Christi aut servantur à peccato. Quomodo autem servantur à peccato in quibus nullum agnoscitur esse veri nominis peccatum? Recte

Zosimus

Zosimus pontifex, apud Augustinum Epist. 157. ad Optatum. *Nullus nisi qui peccati servus est liber efficitur, nec redemptus vere dici potest nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus.* Et conformiter Augustinus. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantum Salvatorem nec Redemptorem: Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? unde redimit si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?* Et mox, *unde liberantur* [*parvuli*] *si nulla servitute peccati tenentur abstricti? de peccat. merit. ut remiss. 1. c. 23, 24.* Juxta novatores Christus diceretur Redemptor & servator parvulorum quatenus redimit & servat à triplici dicta Ineptitudine, à nuda calamitate; non autem ab ullo peccato, aut pœna peccati.

Ob. Respondent *R.* ad specim. *9.* p. 163. peccatores duobus modis aliquos dici. Vel primo qui ex peccatoribus nati sunt, & vi cognationis ac conjunctionis istius naturalis iisdem quibus illi calamitatibus ac malis obnoxii atque involuti jacent. Vel à secundo qui non tantum nati sunt ex peccatoribus, sed etiam propriis actualibus suis peccatis se eorundem aut graviorum etiam malorum reos fecerunt, priori sensu Infantes peccatores dici concedunt, quia nascuntur ex Adamo peccatore. Eodem cum parentibus loco, velut peccatores censiti ac tractati fuisse leguntur. Infantes enim censentur (inquiunt) in & cum parentibus suis velut unus homo. Vid. 1 Reg. 1. 21. Joan. *9.* 34. & 2 Cor. 5. 21.

Respondeo, certum est Infantes peccatores dici & esse non solum quia ex peccatoribus nati sunt, & vi cognationis iisdem quibus illi calamitatibus ac malis obnoxii: sed quod & ipsi in lumbis Adami erant, & in eo vere peccarunt, teste Apost. Rom. 5. 12. ut supra evicimus. Nec in ipso tantum peccarunt; sed & ipsi proprii nominis peccatores facti, quatenus in illos derivantur propagatione, tum privatio originalis justitiæ, tum deordinatio virium animæ, seu prava concupiscentia, quæ ambo originale peccatum vere nominis constituunt. Et veri nominis peccatum fuit, ut partim demonstravimus, partim demonstraturi sumus. Quod si novatores statuunt parvulos cum parentibus suis velut unum hominem censeri. Quid ni & omnes cum in Adamo veri nominis peccatores censeantur & sint, cum ille veri nominis peccator & censebatur & erat.

4. Sumitur ex ea quod parvulis infligitur veri nominis pœna. Morti enim obnoxii sunt parvuli æque ac adulti. At Deus non infert pœnam nisi ubi præcesserit culpa, nec pœnam mortis, nisi ob præviam culpam, mors enim est pœna peccati, Gen. 2. 17. In quocunque die comederis morte morieris, & Rom. 5. 12. per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors. Et Rom. 6. ult. stipendium peccati mors. Et 1 Cor. 15. Aculeus peccati mors. Cum igitur parvuli puniantur morte, pœna omnium gravissima, quæ est mors temporalis & æterna, hinc necessario infertur, Infantes reos esse, veri nominis peccati, quod non aliud esse potest quam illud quod originale dici solet, omnis enim pœna si justa est, pœna peccati est, & supplicium nominatur ut recte Augustin. Retract. 1. c. 9. nec minus recte Fulgentius de incarnatione c. 14. *Qua justitia parvulus subjicitur peccati stipendio si nulla est in eo peccati pollutio? vel quomodo videt morte punctum si non sensit aculeum?* Et mox *Qua igitur justitia Deus justus Infantibus sive peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœna non invenit causam. Hæc ne est creatoris Dei benignitas ut imaginem suam creet, eamque sine ulla iniquitate condemnet, cum non sit iniquus Deus qui infert iram? Si ergo nolant in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominem primum, in omnes homines cum morte transmisisse peccatum.* Hæc Fulgentius. Non igitur relicta est post Adami Peccatum, in posteris ejus sola Ineptitudo quædam quæ nuda calamitas est, quæ neque culpa sit neque proprii nominis pœna, cum mors in parvulis, teste Apostolo, sit proprium stipendium peccati, & peccati proprie dicti, aculeus.

5. Omnes homines ab Adamo propagati, per viam generationis sunt caro peccati, Rom. 8. 3. (*i. e.*) carnem habent peccatricem. Solus Christus enim Spiritu sancto conceptus, missus est in similitudinem carnis peccatricis, cum peccatrix non esset, licet veri nominis caro fuerit. Hoc argumento utitur Fulgentius adversus Pelagianos. de Incarnatione & gratia Christi c. 15. dicentes (inquit) parvulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profecto habere carnem peccati quos tamen humanam

manam carnem habere non negant; ex eo vero quod eos sic humanam carnem habere non negant: ut eam esse carnem peccati negant, consequens est ut humanam carnem negent esse carnem peccati. Fatentur (inquit) Apostolum compellantem, quia Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati. Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, ut qui carnem humanam negant carnem esse peccati, Christum autem in similitudinem carnis peccati remisse non negant, ipsam Christi carnem non humanam esse sed alterius naturæ, sacrilega infidelitate confingunt. — Et mox, aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem, in cujus similitudinem Deus filium suum misit, carnem peccati esse consentiant. Quod cum consenserint, nullus remanebit labor quo eis peccatum, carni parvulorum in esse monstratur. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa, peccatum, Si vero peccatum non habet, falsum portat, carnis peccati vocabulum.

Ex dictis conficitur in parvulis dari veri nominis peccatum; & non meram ejusmodi infirmitatem duntaxat aut Ineptitudinem quæ mera nuda calamitas sit; non autem aut culpa aut proprie dicta pœna.

Ob. Sed pergunt, in parvulis solam dictam Ineptitudinem superesse prætendunt, atque hoc significatum à Deo credunt ejectione Adami è Paradiso typo Cœli & obsidione viæ, qua ad illum patebat aditus. Hæc enim inquiunt calamitas non tantum evenit Adamo, sed posteris omnibus Adami fuit cum eo communis.

Respondeo, Multo potius dicendum est, ex ejectione Adæ ex Paradiso terrestri typo Cœli, & obsidione viæ, qui ad illum patebat aditus, significatum esse, Adamum culpa & demerito suo hanc ejectionem & perpetuam inde exclusionem è Paradiso meruisse, non quod personam suam duntaxat, sed & omnium posterorum, quorum personam gerebat, cum transgressus fuerit mandatum divinum, cujus etiam peccatum non tam erat peccatum personæ, quam peccatum naturæ, ut sæpius dictum est. Hinc est quod ut ejectio illa non erat nuda calamitas Adamo, sed & veri nominis pœna, debita culpæ ejus actuali, & habituali aversioni quæ animæ ejus inhæsit, post transitum actus: sic & dicendum hanc eandem ejectionem & exclusionem respectu posterorum Adæ in eo peccantium non esse nudam calamitatem, sed & veri nominis pœnam, debitam iis, tum ratione peccati Adæ actualis quod illis merito imputatum est, tum ratione aversionis habitualis, seu maculæ, quæ animæ cujusque parvuli ab eo oriundi inhæret, quæ Deo ingrata & invisa est, ut ex Medina sup. observavimus. Non ergo somniandum est cum novatoribus, hanc ejectionem esse meram calamitatem respectu posterorum, cum sit respectu protoplastorum, qui soli de facto ejecti sunt è terrestri paradiso, fuisse veri nominis pœnam. Sed pergunt peccatum originis non esse malum aliud (inquiunt) (*i. e.*) aut malum culpæ, aut malum pœnæ proprie dictæ, quod vocant, ratio manifesta arguit.

1. Malum culpæ non est quia nasci plane involuntarium est, & nasci cum hæc aut illa labe, infirmitate, vitio aut malo; ergo est plane involuntarium, ac proinde non malum culpæ.

Respondeo, Etsi nasci sit plane involuntarium quatenus nascimur absque ullo actu nostræ voluntatis; tamen quicunque ex Adamo naturali propagatione nascuntur, necesse est ut nascantur cum nativa vitiositate quæ est malum culpæ, quæ tamen culpa non est dicenda plane involuntaria, quia voluntaria erat parvulo, voluntate primi parentis qui caput fuit totius naturæ, quæ ejus voluntaria transgressione in eo corrupta est. Et hoc voluntarium sufficit ad peccatum originale quia peccatum originale, ut originale est non est, peccatum personæ sed naturæ; ac proinde non requiritur, quod propria voluntate personæ quæ maculatur, contrahatur, sed sufficit voluntarium quod præcessit in capite totius naturæ; In quo prius infecta persona, deinde natura; in nobis autem filiis ejus, prius infecta natura deinde persona. Dicendum ergo nasci cum malo culpæ seu vitiositate culpabili, esse plane involuntarium, si considerentur parvuli, ut personæ perticulares secundum se; non autem si considerentur, ut membra & partes naturæ vitiatæ, nam ut sic constituunt unum cum Adamo. Atque hoc sensu dicit Augustinus omnes nasci impia voluntate. Lib. I. contra adversarium legis & prophetarum cap. 12. & alibi, omnes nasci subditos carni. de nat. & grat. c. 67. &

Fulgentius

Fulgentius ait, omnem hominem nasci impietati subditum, de fide ad Petr. c. 26. & Prosper. contra Collet. in nascentibus læsum esse liberum arbitrium c. 20. & Aransican: patres damnant eos qui docent animi libertatem illæsam, corpus tantummodo corruptioni obnoxium factum esse per offensum primi hominis. Can. 1. Exemplo hoc illustrari potest, ut in homine, si voluntas moveat appetitum sensitivum ad actum intemperantiæ; in appetitu sensitivo reperitur intrinsece vitium, etiamsi in ipso appetitu sensitivo, non reperiatur formaliter aliquod voluntarium proprium ipsius appetitus, sed solum voluntarium participatum, à voluntate quæ est inclinatio totius suppositi: ita parvuli nascendo contrahunt per generationem peccatum sibi proprium & intrinsecum quamvis in illis non reperiatur aliquod proprie dictum voluntarium, præter voluntarium primi parentis qui fuit caput totius naturæ.

2. Dici potest peccatum originale voluntarium dici posse  Partim voluntate Adæ. Partim voluntate ipsius parvuli, quæ infecta est vitio naturæ corruptionis, à quo perversa, aversa, prave inclinata

dicitur, licet nunquam fuerit in actu, quomodo rabies est in leunculo inclinatione licet non actu, sufficit autem ad veri peccati rationem in parvulo, ut respiciamus ad eam voluntatem, à qua velut radice atque origine propagatum est hoc malum, illa erat voluntas Adæ, necesse enim est ut peccatum omne, ut peccatum sit, voluntate aliqua fieri, actu factum esse. Alioqui enim Deo aut naturæ, cujus Deus author est, ascribendum esset. Nam ut recte Augustinus, nulla foret hominis culpa, si talis à Deo creatus esset qualis natura nascitur, Cont. Julian. lib. 3. c. 12. vid. Alvar. Disp. 44. n. 15. & Estium 2 dist. 31. S. 12.

Ad argumentum ergo respondetur negando consequentiam, etsi enim nasci sit plane involuntarium; tamen non sequitur nasci cum nativa vitiositate esse plane involuntarium, in posteris Adæ. Nam supposito quod quis nascatur ex Adamo via generationis, necesse est ut talis nascatur cum voluntate qualis fuit in Adam generante, (*i. e.*) cum voluntate vitiata, infecta, seu, ut loquitur Augustinus, tabificata: occulta enim tabe carnalis concupiscentiæ suæ (inquit Augustinus) tabificavit in se omnes de sua stirpe de venientes, de peccat. merit. & remiss. 1. c. 9. quæ tabes est vitiositas, quæ vitiositas cum ab Adami peccato voluntario processerit quando omnes ille unus homo fuerunt, ut loquitur Augustinus de peccat. merit. & remiss. 1. c. 10. non est dicenda plane involuntaria, cum

Voluntaria fuit  Partim voluntate Adæ generantis, actu. Partim ipsius parvuli voluntate, inclinatione.

Pergunt, Si malum illud *Quod ab Adamo originali justitia privato in posteros ejus propagatur, malum culpæ non est, nec potest esse malum pœna; quia culpa & pœna sunt relata, culpa autem in posteris Adæ alia esse non poterat quam hæc; alia enim prior concipi non potest, quia alioquin non esset culpa seu peccatum originis.*

Sol. Etsi in posteris Adæ malum seu vitium, quo ab Adamo justitia originali privato in posteros ejus propagatur, malum culpæ non esset nec esset pœna peccati inhærentis posteris, tamen pœna proprii nominis dici potest ratione habita peccati actualis Adæ. Nam cum dicant, non posse esse malum pœnæ quia culpa & pœna sunt relata; verum est culpam & pœnam esse relata, sed non necesse est ut pœna posterorum sit pœna culpæ ipsorum posterorum, quippe cum pœna posteris infligi possit ob peccatum ipsius Adæ, quomodo supra diximus ejectionem & exclusionem posterorum Adæ ex Paradiso non esse nudam calamitatem, sed & veri nominis pœnam inflictam debitam iis, ratione peccati Adæ protoplasti, saltem quatenus iis imputatur, quæ exclusio quamvis culpa non fuerit, tamen proprii nominis pœna fuit, quomodo & morbi, & mors temporalis & æterna, seu damnatio, pœna sint, non culpæ.

 Cum

Cum autem addant, culpam aliam in posteris Adami esse non posse, quam hanc, *sc. quæ ab Adamo Originali justitia privato, in posteris ejus propagatur, alia enim prior (inquiunt) concipi non potest, quia alioquin non esset culpa, seu peccatum Originis.* Si exclusum volunt à posteris Adæ, actuale peccatum Adæ, ac si illud non potuit juste imputari posteris Adæ, eo quod propria voluntate commissum non est: aut quod hoc esset contra justitiam aut æquitatem divinam, ut supra disputarunt, dicimus hoc falso dici. Nam nos supra ostendimus juste peccatum Adæ actuale, imputatum fuisse omnibus posteris, & hoc ipsum ipsi novatores seculi Pigh. & Catharin, hactenus asseruerunt: At jam non solum peccati originalis propagationem impugnent, sed & actualis peccati Adæ imputationem imprudentissime inficiantur atque adeo totam Originalis peccati in parvulis rationem tollunt, & audacissime cum Pelagio affirmant non relictum esse in unoquoque Adami filio ante proprium suum actum, aliquod veri nominis peccatum: exam: consum: c. 7. p. 84. b. etiamsi proprium illud peccatum voluntate Adæ commissum est, nec quidquam hic fieri contra justitiam aut æquitatem divinam. pag. 124, 127.

Cum autem subjungant culpam aliam priorem concipi non posse, quia alioquin non esset culpa seu peccatum originis. Nos respondemus Adami posteris prius, actuale Adami peccatum imputatum fuisse, quam illis privatio originalis justitiæ propagata est. Ex imputatione enim peccati Adæ privantur posteri Adæ justitia originali. Siquidem prius natura communicatur peccatum actuale Adæ posteris ejus per modum imputationis; quam privatio originalis justitiæ iis inhæreat per modum generationis seu propagationis. Unde plane dicendum contra quam isti novatores, censent, imputationem peccati actualis Adæ necessario reducendam ad peccatum originis ut ejus partem primariam & fundamentum privationis justitiæ Originalis. Ipsi siquidem scholastici, & nominatim Albertus, non immerito actuale peccatum *Adæ*, quæ posteris imputatur, Originale Origans appellant; (*i. e.*) originali peccato posterorum Originem præbens. Ex hoc enim peccato imputato posteris, aversio habitualis, & pronitas ad omne malum, quod est originale originatum omnibus Adæ posteris propagatur per generationem.

Ex dictis perspicitur, falso dici peccatum Originis, nec dici posse malum culpæ, aut malum pœnæ seorsim; nunc dispiciendum est an non recte dicatur culpa simul & pœna conjunctim.

CAP. XVIII.

Ostenditur (contra Novatores) peccatum Originale, peccatum simul esse & pœnam.

PErgunt. Multo minus fieri potest ut sit culpa simul ac pœna idque duplici ratione stabiliunt.

1. Sic, nihil indignius Deo tribui potest quam quod peccatorem peccato, quo de novo reus fit pœnæ, puniat.

Sol. Respondeo, nihil Deo indignum tribui, cum peccatorem peccato punit ejusmodi, sc. peccato in quod quis incidit merito peccati ante commissi. Nam nonnulla peccata sunt, quæ non sunt alicujus peccati pœna, qualis fuit prima inobedientia Adæ in comedendo fructu vetito, ut habet August. Retract. 1. c. 16. & in exposit. Psal. 57. ejusmodi peccatum fuit primum Angelorum prævaricantium. Tale etiam erat primum peccatum actuale omnium in Infantia Baptizatorum. Sed cum dicimus Deum peccatorem peccato punire, intelligimus de peccato in quod quis incidit merito alicujus præcedentis peccati, cum peccatum precedens meritum est sequentis, ut cum

Christianus professione, pessime vivendo, meretur, & in hæresin labi permittatur, & hoc modo vere dicimus Deum punivisse Adami inobedientiam, privatione personali originalis justitiæ, & deordinatione personali omnium virium animæ. Nihilque hic Deo indignum geritur quin potius justitiæ divinæ hoc maxime congruum est docente Apostolo Roman. 1. 24, 26. qui ait, gentes merito ingratitudinis, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed creatoris cultu neglecto, creaturis servierunt, ideo in fœda & abominanda peccata perlapsos esse atque à Deo traditos. Notandum tamen, hæc peccata quæ dicuntur pœnæ aliorum peccatorum, dici pœnam non in quantum pœnata sunt, alia enim ratio peccati, alia pœnæ, sed in quantum sunt incommoda, noxæ, vel nocumenta à Deo vel illata vel permissa, atque ordinata ad justas vindicias peccati quod contra legem Dei perpetratur. Nam justitia Dei non permittit, ut vel momento temporis existat dedecus peccati sine decore vindictæ. Sic Augustin: lib. 3. de lib. arbit. c. 15.

Nullo temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpatur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore justitiæ. Deus ergo peccatorem peccato punit, non quod peccatum esse contingit, sic enim solus peccator peccati causa est, sed quod justæ pœnæ rationem habet. Ut enim Deus est causa omnis actionis, qua actio quædem est, non autem deformitas actus: sic Deus est author omnis pœnæ, quatenus vindictæ rationem habet, non autem quatenus eadem pœna peccatum esse contingat; sic enim est à sola voluntate peccatoris. Sic Augustinus de prædest. S. c. 10. Etsi sunt quidem qui ita peccata sunt, ut pœnæ etiam sunt peccatorum, —— non ibi peccatum Dei est sed judicium (*i. e.*) justa vindicta. Atque hoc sensu privatio originalis justititiæ, tum in Adamo tum in posteris, quæ utrisque inflicta est in pœnam inobedientiæ Adæ, quæ & nostra inobedientia erat, veri nominis pœna, & judicium: & tamen eadem privatio ut denotat defectum habitualem hujus justitiæ animæ inhærentem ex spontanea utrisque desertione, & libera aversione contractum, & Deo exosum, veri nominis peccatum erat.

Cum ergo dicant novatores nihil indignius Deo tribui potest, quam quod peccatum peccato, quo de novo reus fit pœnæ, puniatur. Consulto confundunt quæ studiose distinguenda sunt. Deus enim peccatorem peccato punit non quod author sit peccati, aut de novo reum facit pœnæ, faciendo ut peccet; hoc enim merito detestamur, solus enim peccator suæ libertati relictus, author & perpetartor est peccati, solus suo vitio causa est cur novum reatum peccando incurrat, Deus autem quod peccatum est duntaxat permittit, & ut justæ pœnæ, seu nocumenti rationem habet ordinet ad justitiæ suæ manifestationem, atque hoc faciendo, nihil Deo indignum geritur. Atque ita soluta manet prima ratio.

2. Sic insurgunt, peccatum originis non posse simul esse & culpam & pœnam, quia adeo diversa sunt culpa & pœna ut prorsus sint incompatabilia. Pœna enim est actus Dei & actus justitiæ. Culpa actus hominis & ἀδικία. Pœna est involuntaria, Culpa nisi sit voluntaria, culpa esse non potest. Et cum Deus puniendo, hominem in ordinem cogere intendat, ista punitione novam inordinationem voluntati hominis injiceret, & sua punitione sibi ipsi novæ pœnæ occasionem daret, atq; ita rationem justitiæ & ordinem pœnæ turbaret in infinitum usque.

Sol. Respondeo certum est Deum sæpe unum peccatum altero punire, ut cum ex ebrietate occidit ebrius hominem, justo judicio suo Deus punit ebrietatem, siquidem ebrietas est causa homicidii, & homicidium est pœna ebrietatis, & tamen hoc non impedit quo minus ipsum homicidium sit veri insuper nominis peccatum. Ipse actus occisionis substractus peccat, homicidii, est à Deo, puniente ebrietatem, ipsa tamen deformitas quæ actu inhæret, est veri nominis peccatum, in qua proprie peccati ratio consistit: potest ergo homicidium attendendo ad diversa & culpa esse & pœna. Porro falso dicitur universaliter loquendo culpam & pœnam.

Falso dicitur culpam & pœnam esse incompatabilia. Nam primo certum est culpam unius posse esse pœnam alterius, sic constupratio concubinarum Davidis, erat culpa Absolonis, eadem tamen constupratio erat pœna Davidis, qui Uriæ uxorem adulterio polluerat, ut constat ex comminatione Dei per Nathanem Prophetam 2 Sam, 12. 11. Itaque hæc dicit Dominus, Ego, ecce, suscitabo super te malum de domo tua & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis. Sic parricidium Adrameleri & Sharezeris cæde paterna manus suas funestantium pœna erat justa Senacheribo. Non ergo culpa & pœna sunt incompatibilia. Secundo certum est culpam posse esse pœnam, non modo alterius, sed & ipsius peccantis. Sic culpa Achitophelis & Judæ violentas manus in seipsos inferentium, seseque suspendentium, recte dicuntur pœnæ fuisse ipsorum sese suspendentium. Huc spectat illud Augustini. confess l. 12. Jussisti Domine & sic est, ut omnis animus inordinatus pœna sit sibi, & alibi justitia Dei non permittit, ut vel momento temporis existat dedecus peccati, sine decore vindictæ. Et certe vere dicere videamur, ut quemadmodum Aristot. dixit, virtutis actionem esse virtutis præmium, idque optimum Ethic. l. 9. Sic vitii & peccati tanta est inormitas, ut non possit esse vir malus, non miser. Falso ergo dicitur culpam & pœnam esse incompatibilia, cum ex justa Dei ordinatione plerumq; sint concomitantia.

Sed nec rationes subjunctæ evincunt hanc incompatibilitatem, ubi aiunt primo pœna est actus justitiæ, Culpa actus hominis & *ἀδικία*.

Respondeo, ubi aiunt omnem pœnam esse actum Dei dico falso hoc asseri, cum omnis pœna non sit actus. Ipsa carentia originalis justitiæ debitæ in esse est pœna, non tamen est carentia actus, sed habitus seu qualitas originalis justitiæ, privatum enim esse & manere Originali justitia quæ debuit inesse, est pœna; & certe magna pœna. Secundo, falso asseritur omnem culpam esse actum hominis. Non enim omnis culpa consistit in actu aut in omissione actus, dantur enim habitus vitiosi, vere cupabiles & vituperabiles, etiam in dormientibus & ab omni actu cessantibus; nec habitus acquisiti tantum sed & dispositiones & inclinationes vitiosæ in anima, & habitualis aversio à Deo atque in hisce est originale peccatum, quod & denotat habitualem aversionem à Deo & perversam & pronam inclinationem ad omnimoda peccata. Sed neque omnis culpa dicenda est ἀδικία, si per ἀδικίαν, actualem injustitiam intelligamus. Dico tertio, Sed neque in hisce pœnis quæ sunt actus Dei, & culpis quæ sunt actus hominis, non adeo diversa sunt culpa & pœna, ut prorsus sint incompatabilia. Diximus supra constuprationem concubinarum Davidis fuisse actum Absalonis, & quidem immane peccatum; & tamen eadem constupratio, qua actus, erat actus Dei & quidem pœnalis Davidi, imo & ipsa deformitas actus, seu defectus, qui permissus à Deo & non impeditus per auxilium ejus efficax, erat pœnalis Davidi per accidens, licet non qua defectus, tamen qua privatio boni convenientis naturæ, ut certe Gr. de Valentia, in duodecima disputatione. 6. quæst. 17. puncto tertio. Addo quod etiam supra asseruimus, eundem actum posse esse & culpam, & pœnam ipsius peccantis, sic actus Judæ seipsum laqueo suspendentis, & culpa erat & pœna Judæ peccanti, & qua culpa actus hominis, & qua pœna actus Dei. Si autem Deus author sit peccati, ut actus est pœnalis: quidni etiam possit esse Author actus facinorosi, prout actus est affligens creaturam, quam Deus affligi vult, non in pœnam peccati, sed in alium finem, quomodo afflictio Christi servatoris per actus nefarios Judæ, Pontificum, Pilati, Judæorum, & militum Romanorum fiebat in mundi redemptionem. *vid. Tuis. in vindic. Perk. lib. 2. crim. 3. Sect. 16. p. 33.* Hæc de prima ratione.

Secunda Ratio, pœna est involuntaria, culpa nisi sit voluntaria culpa esse non potest. Ergo culpa & pœna sunt incompatibilia, cum voluntarium & involuntarium sint incompatibilia.

Sol. Respondeo primo non necessario exigi ut omnis pœna sit involuntaria actu secundo, sufficit enim ut sit involuntaria actu primo, ut possit etiam in actu secundo esse involuntaria annotante G. de valent. *Duodecima Disp. 6. q. 17.* satis enim est ut pœna suapte natura adversetur inclinationi hominis, & ut est quiddam homini incommo-

commodum, à Deo permissum sit, nam hac ratione, peccatum, qua privatio boni honesti, est grave quoddam damnum animæ & multo gravius quam privatio boni utilis aut jucundi. Et ad hoc sufficit si involuntarium sit actu primo.

Cum ergo omnis pœna non sit involuntaria, ejusmodi pœna ratione involuntarii non repugnat peccato voluntario; male ergo arcessitur incompatibilitas pœnæ & culpæ ratione involuntarii & voluntarii.

2. certum est unum peccatum esse pœnam damni respectu alterius; hæc enim non respicit involuntarium. Siquidem & dormientes, & Ignorantes & amentes & parvuli, cum pœnam patientur, nihil de pœna cogitantes, nihil sentientes. Est autem pœna damni veri nominis pœna. Et de hac pœna loquuntur sæpe Scripturæ. Cum ergo omnis pœna non sit involuntaria, ejusmodi pœna ratione involuntarii non repugnat peccato voluntario, male ergo arcessitur incompatibilitas pœnæ & culpæ ratione involuntarii & voluntarii. Sic Gentes veritatem Dei in injustitia detinentes juste puniuntur peccato Idolatriæ, docente Apostolo ad Roman. 1. & iidem Idololatriam patrantes juste puniuntur impuris libidinibus in pœnam patratæ Idololatriæ, quæ tamen pœnæ erant ejusmodi quæ dolore aut cruciatu afficiebant sensibili peccantes quem involuntarie sustinebant patientes, sed pœna damni & insensilis, quam revera patiebantur Gentes propter peccatum Idolatriæ quod voluntarie committebant. Certum est Impuras libidines esse pœnas Idolatriæ juxta Apostolum, non tamen sensibiles aut involuntarias; sed tamen pœnas grave damnum animæ inferentes, absq; omni voluntatis resistentia, imo cum omni complacentia voluntatis, imo cum insatiabili desiderio explendi nefarias suas cupiditates, ut docet idem Apostolus, Ephes. 4. 19. Tertio, dico non solum pœnam damni voluntarium & spontaneum esse posse, sed & pœnam etiam sensus, minime necesse est ut sit omni modo involuntaria, siquidem potest quis interdum spontaneam pœnam subire imo & seipsum sponte vere punire, unde & inter pœnitentiæ salutaris actus recenset Apostolus ἐκδίκησιν qua quis de se ob peccatum admissum vindicias sumit, 2 Cor. 7. 11. Videmus hominem pium posse sese scienter & volenter punire, non ergo ratione involuntarii, & voluntarii, pœna & culpa sunt incompatibilia.

4. Certum est unum peccatum secundum malitiam moralem posse esse pœnam alterius, siquidem malitia moralis, simul esse potest voluntaria & involuntaria, ut annotavit Vasqu. in duodecima disputatione 8 n. 3. & qua Involuntaria sufficit ad rationem pœnæ, quoniam peccatum, qua peccatum, solum est voluntarium non directe, nemo enim respiciens ad malum operatur, potest igitur esse voluntarium non directe, & involuntarium expresse seu directe. Nam licet actus peccati qua delectabilis vel utilis est, moveat voluntatem directe, tamen idem actus qua inhonestus & malus malitia culpæ, non alicit voluntatem, ac proinde recte dicitur involuntarius ea ratione qua cum aliquis libidine ductus peccat, & videns pœnam imminentem quam nollet sequi, nihilominus victus a libidine peccat. Addo ex eodem Vasquezeo, non solum posse contingere veram rationem pœnæ cum voluntario non directo nec expresso circa malum, sed etiam quando ipsa malitia pœnæ directe volita est ratione boni alicujus quod in ea consideratur: ut cum quis se exercet in operibus pœnitentiæ, ut jejunio, vestitu viliori, quibus punire peccata sua directe cupit; ex dictis & Instantiis allatis satis patet; argumentum à differentia voluntarii & involuntarii petitum prorsus invalidum esse, ad probandum peccati & pœnæ peccati incompatibilitatem, *vid. Twiss. lib. 2. Crim.* 3. *S.* 15, *&* 16. *p.* 31,32,33.

Tertia Ratio. Armin. Cal. Perk. p. 170. peccatum est actio, pœna est passio, ut eadem res non est actio & passio; ita nec eadem res peccatum & pœna.

Sol. Respondeo, primo, quandoquidem hic agitur de originali peccato, dicendum est, non omne peccatum esse actionem, nam datur peccatum etiam habituale, quale est aversio habitualis, item prava concupiscentia, quæ per modum habitus animæ inhærent.

2. Esto omne peccatum esse actionem qua opponitur passioni, erit tamen actio immanens, modo de actu peccati elicito agatur, in quo proprie peccati ratio spectatur. Ex corde enim (dicente servatore) proficiscitur adulterium, homicidium, *&c.* atque

atque actiones ejusmodi immanentes, sunt tam passiones quam actiones. Nam ut egrediuntur è voluntate sunt actiones, prout recipiuntur in voluntatem sunt passiones. Certum enim est voluntatem (id quod de intellectu & sensu pariter dici potest) respectu omnis actus ipsius immanentis, tam patientem esse quam agentem.

2. Pæna peccati non infligitur semper peccanti, sed alteri sæpe. Omne autem ejusmodi peccatum, est actio peccantis, sed pœna alterius atque adeo non sunt ἀσυςᾶτα.

4. Per pœnam redigitur peccatum in ordinem, per peccatum non redigitur peccatum in ordinem.

Sol. Respondeo primo hoc non vere dici de illis peccatis quibus pœnæ infliguntur aliis, nam per ejusmodi peccata rediguntur peccata aliorum in ordinem, sic per Absolonis peccatum constuprantis concubinas Davidis patris redigitur in ordinem peccatum Davidis polluentis adulterio uxorem Uriæ.

2. Nec vere dicitur universaliter de aliis peccatis. Nam per actum peccato substratum, non modo alius aliquis, sed & ipse qui perpretrat peccatum reduci potest in ordinem. Cum ergo Deus potest esse author actus peccato substracti cum sit ens positivum, potest ergo efficere ut actus peccaminosus sit pœnalis peccanti, eumque in ordinem cogit. Vid. Tuiss. 2. Crim. 3. p. 34 pergunt. Et cum Deus in puniendo hominem in ordinem cogere intendat, ista punitione novam inordinationem voluntati hominis injiceret, & sua punitione sibi ipsi novæ pœnæ occasionem daret, atque ita rationem justitiæ & ordinem omnem pœnæ turbaret in infinitum, usq; Eadem ratio alibi proponitur hisce verbis apud Armin.

Respondeo ad artic. 31, Antic. vel p. 168. ubi ait, & hoc disquiri posse, An Deus propter innatum nobis peccatum Originale irasceretur, quum id ipsum videretur in pœnam peccati actualis ab Adamo & à nobis in illo perpetrati, à Deo nobis inflictum esse: fore enim progressum infinitum; Si Deus propter peccatum actuale Adami iratus puniret nos illo originali peccato, & rursus propter illud nobis irasceretur, & aliam pœnam infligeret, & simili de causa proprer ipsam secundo inflictam pœnam tertio irasceretur: succedentibus sibi mutuo & sæpe reatu & pœna sine interventu actualis peccati?] Hæc ille.

Sol. Repondeo, cum dicitur, & cum Deus in puniendo hominem in ordinem cogere intendat, ista punitione novam inordinationem voluntati hominis injiceret, *&c.* Hæc invidiose & per calumniam dicuntur. Neque enim inordinationem dicimus, novam, Deum voluntati hominis aliquando injicere. Omnis siquidem inordinatio & injectio inordinationis, ab ipso homine deficiente, aut Dæmone tentante proficiscitur; nullatenus à Deo, nisi & permittente, & ad bonum inordinante hanc ipsam inordinationem. Siquidem Deus etiam malorum voluntatum justissimus est ordinator, ut recte Augustinus, de civitate Dei. lib. 11. c. 17.

Neque dicimus Deum hac sua punitione sibi novæ pœnæ occasionem dare, sed datum nostro vitio merito accipere, quamvis certum sit Deum juxta Scripturas sæpe unum peccatum altero punire, id quod Augustinus luculentissime demonstrat adversus Julian lib. 5. c. 3. Sic enim illi, *Annon est peccatum & pœna peccati, ubi legitur Esaia 19. Dominus miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Egiptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est & peccatum & pœna peccati, ubi Deo dicit Propheta, quid errare fecisti nos Domine à via tua? Obtudisti corda nostra, ut non timeremus te? Nonne est peccatum & pœna peccati, ubi rursus Deo dicitur Esaia 63. Ecce tu iratus es & nos peccavimus, propterea erravimus, & facti sumus sicut immundi omnes? Non est peccatum & pœna peccati, ubi legitur de Gentibus, quas debellavit Jesus Nazer. Josu. 11. quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum cum Israel, & exterminarent?* Hæc & multa alia exempla adducit idem Augustinus, ut ostendat peccatum consequens sæpe esse pœnam præcedentis peccati. Sed & Augustinus instat in hac ipsa concupiscentia, quam nos peccatum originis esse pertentendimus & quidem veri & proprii nominis, non καταχρηστικῶς peccatum. *Sicut cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur, & pœna peccati qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati cum mali aliquid cæci cordis errorore, committitur, ita concupiscentia carnis, adversus*

quam

quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis.] hic diserte dicitur concupiscentiam pravam non solum causam peccati & pœnam peccati esse, sed & ipsum peccatum, & rationem subjicit: quia est inobedientia contra dominatum mentis. Inobedientia autem contra dominatum mentis est inobedientia quoque & rebellio contra legem Dei. Hanc enim Dei legem mens divinitus sibi impressam & doctrina Dei confirmatam dominatu suo sequitur. Ut rectissima Barocus de peccato originali contra Pigli. p.44.b. ut quicquid sit inobedientia contra dominatum mentis, sit etiam contra legem Dei inobedientia, ac proinde veri nominis non καταχρηστικῶς peccatum. Quod dixit Augustinus de cæcitate mentis & concupiscentia prava, id pari jure, quid ni ego dixerim, de carentia originalis justitiæ, nam & carentia originalis justitiæ est & pœna peccati, quia ob Adami peccatum merito infligebatur illi & ejus posteris quibus omnibus crescit in magnum incommodum, utpote, fatentibus adversariis, ineptos eos faciens ad vitam æternam consequendam, aut ad redeundum in gratiam cum Deo, aut ad viam inveniendam, qua ad vitam, aut in gratiam cum Deo redeant: est & causa peccati, siquidem ubi aufertur justitia originalis, quæ omnes animæ vires in officiis suis continebat & in ordinem cogebat, necesse est ut eædem vires inordinatæ sint & laxatæ, & ad munera sua obeunda prorsus ineptæ. Justitiam (inquit Prosper) iniquitas depulit, humilitatem superbia detraxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem; nec potuit illic ulla portio residere virtutum, quo tanta irruperat turma vitiorum. cont. Collat. c. 21. Et est peccatum, siquidem carentia illa habitualis in voluntate Adæ & posterorum quæ nascitur ex actuali aversione voluntatis Adæ, vere in se vituperabilis erat, vere Deo exosa fuit, ac proinde iram Dei & damnationem merebatur.

Addunt, atque ita [Deus] rationem justitiæ & ordinem omnem pœnæ turbaret in infinitum usque. Addunt alibi, & hoc disquiri posse an Deus propter innatum nobis peccatum Originale irasceretur, quum id ipsum videretur in pœnam actualis peccati ab Adamo & a nobis in illo perpetrati, a Deo nobis inflictum esse: fore enim progressum in infinitum, si Deus, propter peccatum actuale Adami iratus puniret nos illo originali peccato, & rursus propter illud nobis irasceretur & aliam pœnam infligeret, & simili de causa propter ipsam secundo inflictam pœnam tertio irasceretur: succedentibus sibi mutuo, & sæpe reatu & pœna sine interventu actualis peccati] Hæc Armin. ad art.31. articulo ultimo p.168.

Sol. Respondeo, non dicimus omne peccatum esse pœnam alterius sed quædam; atque inter ea esse originale peccatum quod transmittitur posteris per modum propagationis, sive statuatur esse carentia originalis justitiæ, sive potius concupiscentia prava, seu naturæ nostræ depravatio, sive utraque, quod certissime asseritur, nam certe utraque concurrit ad complendam naturam originalis peccati originati (ut loquitur Schola) & utraque certissime dicitur in pœnam inobedientiæ Adæ, nobis inflictam esse. Esto Deus propter naturæ depravationem seu concupiscentiam pravam secundo nos puniat; at non necesse est, ut illa etiam pœna sit peccatum quod novam pœnam mereatur. Cum possit esse nuda & mera pœna, puta, qualis est mors & damnatio æterna quæ, pœnæ duntaxat sunt, non autem culpa, ut de progressu in infinitum succedentibus sibi mutuo reatu & pœna motus inanis plane sit imaginarius. Porro, cum dicitur, si Deus, propter peccatum actuale Adami iratus, puniret nos illo originali peccato, & rursus propter illud nobis irasceretur, & aliam pœnam infligeret; & simili de causa propter ipsam secundo inflictam pœnam tertio irasceretur: succedentibus sibi mutuo, & sæpe, reatu & pœna sine interventu, actualis peccati progressus esset in infinitum.

Sol. Respondeo, hanc imaginationem crebræ vicissitudinariæ successionis reatus & pœnæ insistendo in solo originali peccato, sine interventu ullius actualis peccati, merum esse insomnium. Nos in Adamo peccavimus, teste Apostolo, ob hoc merito puniti simus, carentia originalis justitiæ in qua primitus conditi sumus, hinc naturæ nostræ depravatio & propensitas ad malum existit; propter quam merito inflixit

flixit Deus reatum mortis & æternæ damnationis, ex hac vero carentia & pronitate ad malum, ultra fluunt actualia peccata. Ipse Arminius Thersib. pub.8. n.13. Causa προηγȣμένη [actualium peccatorum,] est propensio nostra originalis in id quod legi divinæ est contrarium, quam per carnalem generationem ex primis nostris parentibus contraximus. Idem Arminius Thersib. pr. 31. n. 10. arbitramur solam carentiam, ipsum peccatum originis esse, utpote quæ sola sufficit ad quævis peccata actualia committendum & producendum. Frustra ergo imaginantur progressum in infinitum sine interventu actualis peccati, cum certum sit nativam corruptionem causam esse immediatam & proximam peccatorum actualium. Ut enim nihil intercedit inter voluntatem & actum: ita nihil intercedit inter voluntatem depravatam, & actum pravum ab illa fluentem [vid. Tuiss. lib. 2. crim.3. sect.18. p.37] Ab impuro corde, tanquam fuit non profluit nisi quod impurum est. Ergo sicut fons est immediata causa inde fluentis aquæ, ita cor impurum est causa proxima & immediata fluentis ab eo impuritatis.

Addunt alibi aliam rationem contra Originale peccatum. [sic Borreus apud Arminium ad art. XXXI. aut 13 & 24.] ubi contendunt ob peccatum originale, neminem damnari è parvulis Gentilium, alioqui Deus (inquiunt) rigidius ageret cum istis parvulis, quam cum Dæmonibus, hi enim damnantur ob peccata quæ propria sua malitia commiserunt; illi non ob propria peccata, sed duntaxat ut considerati, alieno peccato Adami, ex imputatione divina, rei.

Corvin. cont. Tilenum. Si aliquos ob solum originale damnaret [Deus] peccato uteretur ad summam severitatem, longe enim rigidius cum talibus ageret quam cum Diabolis egerit; cum enim illi tantum sint relicti in condemnatione propriâ suâ, personalique; culpa affectata isti: qui propter peccatum originis damnarentur, ob illam culpam damnarentur, quam attraxerint ex peccato alieno (i.) ob tale peccatum damnarentur, quod non in propriis personis commiserint. p.392.

Sol. Respondeo. Primo, Ex Novatorum illorum sententia, in quibus sunt inter Romanensf. Albert. Pighius & Amb. Catharinus, & inter Remonstrantes olim Corvivinus contra Molin. & contra Tilen. p.392. qui statuunt dari aliquod originale peccatum; nimirum originalem reatum etiam parvulis derivari ex imputatione peccati Adæ. Hoc, inquam, admisso argumentum æque militat in illos, atque in nos. Cum juxta hanc Hypothesin Diaboli non puniantur, nisi ob personale ipsorum peccatum quod propria sua malitia commiserunt, parvili non nisi ob alienum peccatum iis imputatum. Vel igitur dicendum est iis, Adami peccatum iis imputatum non vere dici originale peccatum, vel si sit vere peccatum reum facit parvulum æternæ damnationis, cum stipendium peccati sit mors, sc. tum animæ tum corporis. Rom. 6. ulti.

Sed quia contra arguere non est solvere

Secondo, Etiamsi dicamus damnari nonnullos ob solum originale (quod Catholicæ Ecclesiæ judicio semper approbatum fuit) tamen non sequitur Deum absolute cum iis rigidius agere quam cum Diabolis, nam licet utrosque damnet, cum utrique peccassent, quandoquidem rigor potius censendus est ex gradu pœnæ, quam ex alia circumstantia. Verum est, Angelos Apostatos culpam admisisse, voluntate propria, quam ipsi in personis suis vitasse potuissent. Infantes peccasse in Adamo cujus tamen pars fuerunt, & in cujus lumbis erant: ita tamen ut voluntates eorum infectæ fuerint & tabificatæ occulta labe carnalis concupiscentiæ, ut habet Augustinus, quâ tabeficavit in se omnes de stripe sua venientes, de peccat. merit. & remiss. lib. 1. c.9. & cont. Julian lib.5. c.9. qua labes & vitiositas (ut supra diximus) cum ab Adami peccato voluntario processerit quando omnes ille unus homo fuerunt, ut loquitur Augustinus, de peccat. merit. & remiss. lib.4. c.10.

Non est dicenda plane involuntaria cum voluntaria fuerit {
Partium voluntate Adæ generantis,
Partim ipsius infantis voluntate inclinatione, & habitu, quo in leunculo est rabies inclinatione, sic vitiato infligat,
}

Est au-

Est antem hæc vitiosa inclinatio in parvuli voluntate verè Deo exosa, eumque vere obnoxium reddit iræ divinæ, Quod si levissimam damnationem Deus parvulo, puta millesimam partem pœnæ, quam malis Angelis infligit, quis merito incusare possit Deum summi erga parvulos rigoris, hoc solum nomine, quod illum voluntarie in sua persona actu peccarint, parvuli solum in voluntate Adæ, actu in seipsos duntaxat inclinatione & habitu, nisi infantem qui minori peccato tenetur, pari aut graviori supplicio afficiat quam Diabolos. At nos dicimus, ingens discrimen esse in modo, & gradu pœnæ inflictæ; cum infantes (ut recte Augustinus) erunt in damnatione omnium mitissima, Demones in damnatione longe gravissima & acerbissima.

Cap. XIX.

Resumpto (post vacationem) priori argumento, factaque de rei difficultate simul & necessitate præfatione, occurritur argumentis in sententiæ hactenus stabilitæ contrarium allatis ab Authore libelli cui titulus Dei amor erga Genus humanum.

Adhuc hæremus in explicatione & demonstratione Art.9. nostræ confess. qui est de peccato originis. Si quis forsan existimet nos diutius quam par esset, in hoc articulo hæsisse, perpendat velim secum quid D. Augustinus hujus dogmatis si qui alius ex antiquis, solertissimus & strenuissimus assentor, tum de difficultate tum de necessitate hujus articuli tradiderit.

De difficultate, sic ille lib. de moribus Ecclesiæ Cathol. cap. 22. Homini inter omnia, quæ in hac vita, corpus hominis gravissimum vinculum est justissimis Dei legibus propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.] Antiquum peccatum appellant illud cum quo unusquisque nascitur, Originale sc. quo nihil ait ad prædicandum notius, consulamus sc. scripturas quæ statum fælicissimum Adami integri describunt, sed miserimum lapsi. Si etiam effecta illius peccati in homine lapso notissima inspiciamus, quæ ipsi philosophi animadverterunt licet ipsorum causam ignorarunt; sic enim Augustinus lib.4. c.12. cont. Julian. ex Cicerone lib.3. de Repub. Idem Tullius *hominem, dicit, non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore & nudo & fragili & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidinem; in quo tamen inesset, tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis.*] Quid ad hæc dicis [inquit August.] compellans Julianum. Non hoc author iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusarit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium: quia, sacris literis non eruditus, ignorabat originale peccatum. Hæc Augustin. contra Julianum 4. c.12. Sed & Augustinus, ubi dixit supra, nihil ad prædicandum notius, subjungit itidem, nihil ad intelligendum secretius, ubi tacite monet de hujus articuli difficultate. Sed non quia in hoc articulo aliquid forsan obscurum est, ideo negandum id quod manifestum est, ut alicubi etiam Augustinus cum ejusmodi difficultates in aliis fundatissimis Ecclesiæ dogmatibus reperiantur in persona Christi Salvatoris, asserenda; ex una parte erravit Photinus Christum ψιλὸν ἄνθρωπον pronuntiando; ex altera parte Apollinaris Christi perfectæ humanitatis proprietatem auferendo. In articulo Trinitatis erravit Photinus, non accipiendo plenitudinem Trinitatis: erravit Nestorius quaternitatem introducens, & tamen Ecclesiæ Christi hosce errores & eorundem patronos anathematizavit, narrante

 rante

rante V. Lecinonf. in commonitor: c. 23. non obstante horum articulorum difficultate, & utrinque in errorem proclivitate. Pelagiani impie extollebant lib. arbitrium: Manichæi lib. arbitrium impie sustulerunt. Utrinque difficultates, utrinque hîc proclive erat errare; & tamen Ecclesia Catholica, non obstantibus hisce difficultatibus & proclivitate errandi utrinque, utrumque dogma merito damnavit. Iidem Pelagiani sic lib. arbitrium prædicabant, ut gratiam Christi veri nominis, negare & auferre conati sint; Alii, & Valentinus & alii Monachi Adrumetini, sic gratiam Christi defendebant, ut hac positâ negare existimarent lib. arbitrium, teste Augustino, initio lib. de gratia & lib. arbitrio, utrinque hic sese difficultates obtulerunt, utrinque hic proclive erat deviare; & tamen contra utrosque intrepide scripsit Augustinus, contra illos lib. de Gratia Christi, contra Pelagium & Cœlestium: contra hos in lib de Gratia & lib. arbitrio, & in lib de Corruptione & Gratia.

Idem esto indicium de hoc articulo, qui est de Originali peccato. Licet enim nonnulla dubia occurrant apud Theologos de formali ratione hujus peccati, & modo communicationis ab Adamo ad posteros; tamen nihil certius quam dari originale peccatum, in quo quisque ab Adamo oriundus parvulus, & conceptus & natus est. Id quod Propheta David de seipso ingenue in seriis ad Deum confessionibus fassus est, ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato fovit me mater mea. Hinc patres Milevitani Cant. 2. placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originali peccato quod regenerationis Lavacro expietur, unde fit consequens ut in iis forma baptismatis, in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur; Anathema sit. Hic Anathemate percutiant patres Milevitani eos. (*i.e.*) quicunque negant traductionem Originalis peccati ab Adamo in parvulos, aut in iis efficaciam baptismi, in abluendo hoc peccato. Hinc Fulgentius lib. de fide ad Diaconum. c 26. firmissime tenes & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & hac natura filium iræ nasci.]

Sed & Augustinus non solùm, non obstantibus in hoc articulo difficultatibus, & dubiis, certitudinem ejus indubitatam validissime asseruit sed & ejusdem articuli necessitatem. Quisquis (inquit) humanam contendit in qualibet ætate naturam, non indigere medico, secundum Adam, quia non est vitiata in primo Adam, non in aliqua quæstione in qua dubitari vel errare salva fide potest, sed in ipsa regula fidei qua Christiani sumus, gratiæ Dei convincitur inimicus] lib. de peccato Originali. c.29. & epist.157. ad Optatum. *Nemini nasci ex Adam nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminemque inde liberari nisi renascendo per Christum, tam inconcusse tenere debemus, ut sciamus qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem, & ad eam quæ datur pucillis & magnis Dei gratiam pertinere*] Hinc Carthagin. patres concil. Carth. III. cui interfuerunt 217. ducentum & septendecim Episcop. can, 110. hoc ipsum dogma ad regulam fidei pertinere, affirmare non dubitant. Unde & Augustinus *In causa* (inquit) *duorum hominum, Ada sc. & Christi, quorum per alterum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, proprie fides Christiana consistit. de peccat. Origin. c.24.*] & recte fides hujus dogmatis, quod datur Originale peccatum, & omnis homo qui ordinaria generatione concipitur nascatur obnoxius, adeo creditur necessaria est, ut fides incarnationis & gratiæ Christi, huic potissimum fundamento nitatur, ut sæpe docet Augustinus, & juxta eum liber homiliarum publica authoritate editus, Homil. de Nativ. Dom. & Homil. de morte & pass. Salvatoris, Ubi horum articulorum mutuam dependentiam optime, tum explicat, tum demonstrat. Ideo enim, docente Homilia, verbum caro factum est, & in ea pati voluit, & humanum genus a servitute peccati in quam prævaricatione primi hominis conjectum est, liberaret; unde & Ecclesia Dei & eosdem est experta olim utriusque Dogmatis oppungatores, *viz.* Pelagianos, qui cum peccatum originale impugnare aggressi sunt, una eademque opera, gratiam Christi evacuare conati sunt. Id quod verissime dicitur de novis Pelagianis, in quibus sunt Remonstrantes qui examen censuræ scripserunt, & ejusdem examinis Apologiam, quæ intitulatur, *Resp.* ad specimen. Isti audacter statuunt omnes qui

nascuntur parvuli, nullius peccati reos nasci, nec primum peccatum Adami sic imputari posteris a Deo, quasi revera ii ejusdem cum Adamo peccati, & culpæ quam Adamus commiserat esse rei, nec per privationem justitiæ originalis, relictum esse in unoquoque Adami filio ante proprium suum actum aliquod veri nominis peccatum, unde concupiscentiam pravam pro malo, infirmitate & vitio habent cum Jesuitis ex conditione materiæ orto, sed nullo modo capabili, aut veri reatus inductivo. Addunt se peccatum originale non habere pro peccato proprie dicto, quod Adami posteros odio dignos faciat. Imo nec malum culpæ esse nec malum pœnæ proprie dictæ. Et in Resp. ad specimen septimum non verentur affirmare peccatum, & originale, esse repugnantia, & manifesto continere in adjecto contradictionem. Ubi plane πελαγιανίζουσι. Et in castris Pelagianorum sese commilitores esse apertissime produnt. Idem non minus enervant Gratiam Christi, dum non aliam gratiam Christi agnoscant quam illam quam agnovit etiam & pelagius, Gratiam sc. illuminantem, excitantem, invitantem & suasoriam; seu, ut loquitur Pelagius gratiam suscitantem stupentem voluntatem, & suadentem omne quod bonum est: Gratiam quæ communicatur tam non convertenti, quam convertenti; tam resistenti quam non resistenti quæ post omnes suas in voluntatem operationes, voluntatem indeterminatam relinquit. Hinc est quod auxilium illud gratiæ esse negent quod vi sua determinat voluntatem. Auxilium (inquiunt) determinans voluntatem oppositum dicit in apposito, & determinatio voluntatis est destructio libertatis. Cum antiqua concilia coacta contra Pelagium, non aliam gratiam agnoscant, quam quæ insistenter & invicte præstat, ut quod faciendum esse cognoverimus, re ipsa facere diligamus & faciamus quæ invicte & efficaciter dat, non solum scientiam mandatorum sed & charitatem, quæ ædificant, ut loquuntur patres 24. in synodo Carthaginiensi: Gratia ergo Christi, ex horum sententia, non monitrix duntaxat est, aut invitatrix & suasoria, cui sæpe resistitur, sed quæ semper efficax est, omnem resistentiam superans.

Augustinus scripsit lib. de Gratia Christi in quo libro dare docet illam pro Gratia Christi non habendam esse quæ non sit efficax. cap. 10. ubi meminit acceptionis gratiæ, quam solam agnoscunt Pelagiani illuminantis, sc. excitantis & suasoriæ, subjungit. *Sed nos eam gratiam nolumus. Illam aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, veram etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum etiam persuadetur,* & paulo post. *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse, Christianus.*]

Et cap. 13. *Qui novit, quidem quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum literam.*] Ergo juxta Augustinum soli illi qui faciunt, quod fieri debeat didicerunt secundum gratiam & secundum spiritum.

Ex mox eodem capite. Eadem gratia facit ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege; præceptum quippe libere facit, qui libens facit. Et hoc modo quisquis discit, agit omnino quicquid agendum didicerit: Gratia igitur facit ut invicte agimus, & ut agamus libere. Mitto alia loca plurima eodem tractatu.

Ex dictis facile est colligere novos Pelagianos Remonstrantes non minus oppugnatores esse, Dogmatum articulorum de peccato originali, & Gratia Christi, quam veteres Pelagianos simul etiam ex Augustino ostendimus, articuli de originali peccato, tum difficultatem, tum necessitatem. Ac proinde non debere mirare quenquam aut vitio vertere, quod adhuc hæreamus in hujus articuli explicatione & demonstratione.

Nos juxta verum sensum hujus articuli 9. de peccato Originali ostendimus.

1. Primum peccatum Adæ fuisse inobedientiam, in esu pomi vetiti.

2. Demonstravimus ex hoc primo peccato extitisse in Adamo tum { 1 Carentiam orig. justitiæ. 2 De ordinationem virium animæ.

 3. Osten-

3. Ostendimus utrumque horum sc. & privationem originalis justitiæ, & deordinationem dictam virium animæ, in Adamo fuisse veri nominis peccata.

4. Insuper ostendimus, peccatum dictum Adæ actuale merito communicari posteris omnibus per modum imputationis.

5. Ostendimus etiam privationem seu carentiam Originalis justitiæ, in posteros omnes Adæ transiisse per modum propagationis.

6. Ostendimus privationem dictam posteris progatam, esse veri nominis peccatum, etiam in Parvulis. Ubi etiam occurrimus pluribus etiam objectionibus Remonstr. quibus veritas hujus peccati impugnatur.

Jam ordo postulat ut primo ἀταξίαν & deordinationem virium animæ, qua extitit in Adamo post lapsum & secuta est in anima ejus, dictam privationem Originalis justitiæ posteris ommunicatam fuisse per modum etiam propagationis: Et non solum primam Adæ inobedientiam per modum imputationis. 2. ut ostendamus hanc deordinationem virium (de qua agit articulus nonus) in posteris Adæ, veri nominis esse peccatum.

Hæc inquam proximo in loco peragenda erant, sed quia in fine superioris anni in objectionibus solvendis quæ a novis dogmatibus afferri solent aliquandiu à nobis elaboratum est antequam progrediemur in persequendo ordine à nobis proposito; visum est in antecessum novis occurrere objectionibus, quæ ex eo tempore nobis sese offerunt, prodiit non ita pridem clanculum liber quem Author intitulavit. Amor Dei erga genus humanum: qui acriter contendit ex concessis sublapsariorum, satis evidenter inferri, omnium peccatorum, hominum reproborum (quæ sunt maxima (inquit) pars hominum) Deum esse verum & principalem Authorem. Audax assertum, vel verius impudens calumnia. Huic calumniæ merito primo in loco occurrendum censuimus, eo quod eo in loco non obscure prodit author se cum novis dogmatistis Remonstr. de originali peccato minus recte sentire, quod non uno in loco prodit, sed sæpius Nos iis objectionibus occurrere censuimus, quæ veritatem Originalis peccati impugnare videantur, non aliis. Hanc suam conclusionem vult inferri ex duabus hypothesibus seu datis Teologorum quorundam qui hactenus pro Orthodoxis habiti sunt conjunctim sumptis.

Harum prima est Deum ex libera sua voluntate Homines in illum statum adduxisse, in quo peccatum vitare non possunt.

Secunda, Deum reliquisse reprobos in eo statu irrecuperabiliter.

Primam Hypothesin, ex eo deducit Author juxta hosce Theologos (inquit) Deus homines adduxit in statum Originalis peccati.

Quod duabus partibus consistit { 1 Ex reatu primæ transgressionis. 2 Ex corruptione naturæ.

Harum utriusque participes fieri dicit omnes homines ex horum Theologorum sententia non vi generationis & propagationis ex Adamo ut capite, sed ex Dei voluntaria constitutione & imputatione. Hoc probat ex Calvin. & Tuiss. & D. Bernardo.

Sol. Respondeo primo certum esse ex Dei libera ordinatione factum esse primo ut reatus primæ transgressionis posteris Adæ omnibus illo cadente imputaretur, quomodo ex eadem ordinatione constitutum est ut si ille prout potuit & debuit staret in innocentia, in qua primitus condebatur abstinendo a fructu prohibito; omnes itidem ejus posteri in eadem innocentia persisterent. 2. Ex eadem Dei libera constitutione profectum est, quod Adami corruptio, quam ex lapsu, suo demerito contraxit, posteris per modum propagationis traduceretur ea sc. constitutione, qua Deus cœteros omnes homines ab Adamo per modum generationis propagari voluit, seu ut loquitur Paulus Act. 17. at ex uno sanguine omne genus humanum condidit, seu condi voluit. Quid enim, Annon potuisset Omnipotens Deus omnes homines & luto terræ finxisse, quomodo & Adamum finxit, eosque aut simul condidisse, quomodo & angelos omnes simul condidit aut successive per

creatio-

creationem mediatam condidisse, & ita succederent, eo modo quo hodie succedunt per seminalem propagationem. Non dubium est quin hæc omnia à libera Dei constitutione profecta fuerint, cum sint opera ad extra, ut loquuntur Theologi, omnia autem opera ad extra sunt liberæ voluntatis, juxta omnes Theologos. Respondeo secundo falli authorem, vid. Twiss. part. 1. digress. 4. c. 3. p. 39. b. cum conclusionem inferre voluit ex duabus hypothesibus præmissis conjunctim sumptis, cum prima harum quam pro concesso sumit, omnino falsa sit & Theologis dictis male imponatur: ubi enim Theologi isti dicunt, Deum, ex mera voluntate, adduxisse hominem in statu originalis peccati. Nam certum est ex communi Theologorum sententia in scripturis fundata, primum hominem in statu originalis justitiæ à Deo conditum fuisse in quo omne peccatum facillime vitasse potuit. 2. falso imponitur dictis Theologis Deum ex horum sententia hominem adduxisse in statum Originalis peccati, sive in reatu primæ transgressionis, sive in statum corruptionis naturæ: Non enim Deus sed primus homo ex voluntaria prævanicatione attraxit in se reatum primæ trangressionis, & naturæ corruptionem, juxta dictos Theologos, Nam juxta hosce, etsi ex Dei ordinatione non naturaliter factum fuerit, ut si Adamus peccaret in commedendo pomo vetito; reatus hujus peccati omnibus posteris per modum imputationis communicaretur, tamen hæc Dei ordinatio non fuit causa aut peccati primi, aut reatus Adami, aut communicationis reatus posteris: Sed libera prævaricatio Adæ in comedendo pomo vetito, Nam stante hac ordinatione, homo, prout debuit, potuit stetisse in statu innocentiæ in quo primitus conditus est, quomodo steterunt boni Angeli de facto in statu illo innocentiæ in quo conditi sunt, primo tot præsidiis tum naturæ tum gratiæ munitus est, ut facillime stetisse potuit, facillime omnes tentationes superasse, facillime omne peccatum vitasse. At licet transgressio Adæ liberrima fuit; & facillime evitabilis, tamen reatus ipsius Adæ, & communicatio reatus posteris inevitabiliter secuta sunt, posita hac libera & evitabili transgressione, idque ex dicta ordinatione divina.

Aliud ergo est {
Lex & ordinatio Divina conditionalis.
Sequela hujus ordinationis, interveniente hominis primi libera transgressione.

Lex seu ordinatio divina lata Adæ hæc fuit. Si tu quem ego in statu innocentiæ condo, & caput humani generis constituo, & sufficientibus & necessariis omnibus naturæ & gratiæ instruxi præsidiis, in tua innocentia permanseris, abstinendo à pomo vetito, etiam in eodem innocentiæ statu, tu & omnes posteri tui permanebitis. Sin non permanseris, sed præceptum de non comedendo trangressus fueris, tu reus eris hujus peccati, & omnes posteri tui, quin & natura tua corrupta erit & omnium posterorum tuorum, per modum propagationis, Hæc Dei ordinatio justa erat, & summa æquitate nitebatur [vid. sup.]

Sequela erit ut posita hominis libera transgressione, non ipse solum sed & posteri omnes rei essent hujus transgressionis. Hæc Dei veritate nitebatur, alioquin enim Deus in minis non esset verax. In illo die quo comederis ex ea morte morieris, Genes. 3. Ex dictis constare potest falso imponi Theologis dictis illud primum, Deum ex libera sua voluntate, homines in illum statum adduxisse in quo peccatum vitare non possunt.

Sed pergit author, ait hoc optima ratione niti. Nam si incidimus (inquit) in reatum primæ trangressionis, & corruptionem naturæ, ex eo duntaxat quod in Adami lumbis eramus cum peccavimus, & ab eo originem habuimus, tum (inquit) secundo sequentur.

1. Nos reos teneri omnium peccatorum quæ Adamus commisit à lapsu primo usque ad mortem.

2. Omnes parvulos reos fieri peccatorum omnium progenitorum, præsertim parentum immediatorum.

Sol. Respondeo, Hæc ratio tota nititur non concessis, imo mera calumnia. Ipsi enim Theologi quos hic impugnat author, diserte asserunt p. 53. præcedente, nos

nos incidisse in reatum primæ transgressionis, & naturæ corruptionem non ex eo duntaxat, quod in Adami lumbis eramus cum peccavit, & ab eo nostram essentiam derivamus, seclusa supra dicta Dei lib. ordinatione, sed aperte docent hoc totum proficisci ex libera constitutione & lege, quam Deus tulit Adamo, ut sistaret in ordinali justitia, omnes itidem posteri cum eo starent; sin caderet, omnes itidem rei essent hujus casus, & tota etiam humana natura cum eo corrumperetur: falso ergo istis Theologicis tribuitur, nos in reatum primæ transgressionis & naturæ corruptionem incidisse, ex eo duntaxat quod in Adami lumbis eramus cum peccavit, & ab eo nostram essentiam derivamus, ac si vi naturalis duntaxat generationis, seclusa dicta libera ordinatione Dei, hæc omnia peragerentur. Cum narrante Authore pag. præcedente isti Theologi plane contrarium asserant. Hoc totum fieri supposita libera constitutione Dei, non vi naturalis duntaxat generationis ut hic istis imponit Author. Non mirum ergo si corruant 2. consectaria quæ nituntur tam male fundatis præmissis, quarum prima est, Deum ex libera sua voluntate, Homines in illum statum adduxisse in quo peccatum vitare non possunt (i.) in statum originalis peccati, quam falsum esse & calumniam esse prius ostendimus.

2. Præmissa est, Deum immutabiliter decrevisse relinquere maximam partem humani generis, (i.) omnes reprobos in eo statu irrecuperabiliter, (i.) in statu reatus primæ transgressionis, & corruptionis naturæ, absque necessario & sufficienti auxilio ad resurgendum ex hoc statu.

Sol. Respondeo primo, Deum non reliquisse omnes reprobos in statu originalis peccati irrecuperabiliter. Nam cum omnibus reprobis fœdus novum meruit Christus ineundem cum toto genere humano, ut sub conditione resipiscentiæ & fidei, omnes Deo reconcilientur, & cum eo in favorem redeant. 2. multis reprobis qui in Ecclesia nascuntur, & salutari aqua baptismatis in infantia abluuntur, Originale peccatum remittitur, qui tamen postea in gravia peccata libere incidunt, in iisque perseverant ad exitum hujus vitæ; atque ita in æternum ob ista peccata damnantur.

3. Iis reprobis quibus in infantia originale peccatum post baptismum remittitur & in sinu Ecclesiæ degunt, & Euangelium audiunt, ea salus offertur, & ea est administratio gratiæ per præconium Euangelii, quæ sufficit ad convincendos omnes impenitentes & incredulos, quod sua culpa voluntaria, & vel neglectu vel contemptu Euangelii perierint, & oblatam salutem amiserint. De hisce neminem dubium esse potest quin ipso testimonio eorum conscientiæ coarguantur, aut contemptus lucis oblatæ, aut saltem culpabilis neglectus. Isti reprobi non recte dicuntur relinqui à Deo absque auxilio sufficienti quo à peccato resurgere possunt, & converti, cum merito rei sunt incredulitatis & impenitentiæ. De hisce Servator, Joan. 15 22. Si non venissem & locutus essem iis, peccatum [sc. incredulitatis] non haberent, nunc autem prætextum aut excusationem de peccato suo non habent, & Joan. 3. 19. Hæc est condemnatio quod lux venit in mundum, & delexerunt homines tenebras potius, quam lucem, quia sunt eorum mala opera. De hisce reprobis recte non dicitur, Deum immutabiliter decrevisse eos relinquere irrecuperabiliter in statu reatus primæ transgressionis, & corruptionis naturæ, aut absque sufficienti auxilio ad resurgendum ex statu peccati. Pessime ergo Author iste pag. 56. Decreto reprobationis negari omnibus reprobis gratiam sufficientem & necessariam, aut ad resurgendum à peccato, aut ad vitandum peccatum, aut ex sententia nostrorum Theologorum, & nominatim meminit Britanorum Theologorum in suffragio quod exhibuerunt Synodi Dordracenæ. At si penitus, & non oscitanter locum inspexisset quem allegat. Ex artic. de Reprobat Thes. 1. plane omnibus constare possit illos non omnem gratiam reprobis denegare, nec sufficientem, aut necessariam; sed solam efficacem gratiam, quæ electis præparatur, sic enim habent eorum verba in explicatione Thes. 1. *Reprobationis actus proprios qua electioni opponitur, non alios esse putamus, quam negationem ejusdem gloriæ, ejusdemque gratiæ, quæ in electione filiis Dei præparantur. Præparantur autem illis in decreto electionis gloria & gratia efficax; & ea intentione ut sit efficax, (i.e.) ut ad dictam gloriam per talem gratiam infallibiliter perveniat.*

Hu-

Hujusmodi gratiam & gloriam (inquit) reprobatis preparari negamus] Hæc illi, ubi non negant aut sufficientem aut necessariam gratiam negari reprobis, sed solummodo efficacem quæ certo producit ad gloriam. Et certum est Angelis reprobis, (id quod Author iste inficiari non audet) non negatam fuisse aliquem necessariam aut sufficientem gratiam quæ in veritate & innocentia in qua condebantur perseverasse potuissent, tantummodo illis non collata est illa efficax gratia quæ Angelis electis conferebatur. Male ergo impingit nostris dictis Author quod vi decreti reprobationis omnibus reprobis negatur gratia sufficiens ad vitandum peccatum novum.

Sed & quarto respondeo, certum est tempore V.Testamenti per 400 mille annos Deum dimisisse omnes Gentes, quæ tum temporis longe maxima pars erat humani generis in suis ipsarum viis incedere, ut ait Apost. Act.14.16. nondum intergerini parietis septo sublato & soluto, unde in V. Testam.ubique dicuntur gentiles, vincti, desolati, tenebris immorsi, Deo incogniti, Dei ignari, Deum non quærentes, non cognoscentes, non interrogantes, non cognoscentes, non invocantis, Dei non populus, non dilecti, sine misericordia, filii iræ, peccatis immortui, à fœdere Dei alieni, hospites, peregrini, sine Christo, sine Deo. Hæc fuit conditio, hic status, Ephesiorum,Philippensium, Colossensium, ante vocationem: & omnium progenitorum suorum tempore V. Testamenti. Si hæc conditio Gentium fuit, hic status, proculdubio non datum est iis auxilium necessarium & sufficiens ad resurgendum ex statu peccati, qui de Christo Salvatore, de Gratia Christi, de Euangelio, de sacramentis,de mediis salutis nihil audierunt. Si autem de facto nihil de hisce audierunt; Decrevit Deus ante omne tempus eos in hoc statu relinquere.Idem prorsus dicendum est de silvestribus Americanis & Indis Orientalibus & reliquis Paganis & Idololatris Hodiernis, de Mahumitanis etiam qui simul sumpti Christianis longe numerosiores sunt, utpote quos quinquies excedunt supputante Doctissimo Brerwooddo. De iis merito pronunciare possumus quomodo olim Apostulus de irregenitis Ephesiis, eos esse absque Christo, extraneos, à pactis promissionis, spem non habentes, Dei expertes in mundo. Si tales jam sunt isti, proculdubio Deus ab æterno decrevit ut in tali statu essent. Dicat ergo Author, an ejusmodi hominibus detur auxilium necessarium & sufficiens ad resurgendum à peccatis & justificationem acquirendam.

5. *Resp.* Certum esse hosce omnes homines etsi relinquantur in statu reatus primæ transgressionis & corruptionis naturæ absque auxilio sufficienti & necessario ad resurgendum à peccatis, tamen hinc non infertur bellum sanctitati Dei, vel Deum esse causam peccati horum omnium, ut contendit Author. Nam quod ad adultos, reprobos attinet, qui extra Ecclesiæ septum degunt, certum est eos sua sola insita malitia perire non peccantes in Euangelium sed contra legem in cordibus inscriptam, quod non instituant vitam conformiter ad legem naturalem quam habent in cordibus inscriptam. Sic Apostolus, *Quicunque sine lege (scripta sc.) peccarunt, sine lege (illa) peribunt*. Rom.2.12. Ex lege enim scripta in cordibus ipsorum testimonium reddit eorum conscientia, unde ipsis suis cogitationibus, aut propter mala facta accusantur aut propter bona excusantur. Apostolus de Philosophis Gentibus agens, ad Rom. ait eos veritatem Dei in justitia detinuisse, quatenus veram quam de Deo assecuti sunt notitiam per injustitiam (*i.e.*) pravitatem voluntatis insitam, supprimebant, & velut captivam apud se detinebant, vel non communicando cum aliis, vel ad opera pietatis & honestatis exercenda non accommodando; & adversus omnes eos ibidem pronunciat Apostolus palam esse iram Dei adversus horum hominum impietatem & injustitiam. Et vers. 20. ostendit Apostolus ex mundi creatione, in creaturis Dei sempiternitatem, potentiam, & divinitatem illis perspectam iri, atque hinc eos inexcusabiles fieri, quia cum Deum cognovissent, non tamen eum ut Deum glorificaverunt, vel condignas Deo gratias egerunt. Hæc fuerunt peccata Philosophorum & aliorum Gentilium. Nemo tamen recte dicere potest Deum fuisse causam horum peccatorum, sed Philosophos & alios Gentiles qui libere hæc peccata patrarunt, quæ patrarunt atque ita libere, ut ea non patrasse potuerunt si voluissent. Hæc peccata Deo ascribere, eo quod eos gra-

tia sufficienti non instruxit qua ea vitasse potuerunt, est temerarium assertum cum viribus naturæ ab hisce patrandis abstinere potuissent quoad actus substantiam. Apostolus enim hosce reos peragit quod non fecerunt quod facere potuissent viribus in natura relictis, & quod non abstinebant ab iis peccatis a quibus abstinere potuissent, absque omni supernaturali auxilo, viribus in natura adhuc superstitibus; viribus enim naturæ homo potest abstinere ab hoc vel illo peccato quoad actus substantiam nulla urgente tentatione, potest enim pro libertate sua non agere & actum suspendere.

Neque enim ejusmodi necessitas incumbit homini lapso ut necessario semper agat [necessitate sc. naturali determinante ita ad agendum ut actionem suspendere nequeat;] quando enim agit, non ita agit, ut ab agendo cessare non potest; perditissimus enim quisque non necessitatur ad agendum simpliciter: potest enim pro libertate innata non agere, etiam tum cum male agit, licet quandocunque agit actus ejus sit inevitabiliter malus.

Sed neque Deus Author dici potest originalis peccati in parvulis reprobis Paganorum, qui absque auxilio sufficienti & necessario ad resurgendum à peccatis relinquuntur. Nam licet Deus legem tulerat conditionalem per modum pacti cum Adamo, & si ille præceptum de abstinendo à pomo vetito prævaricando, peccaret, illius peccatum omnibus posteris per modum imputationis communicaretur; & itidem carentia justitiæ originalis, & deordinatio virium animæ hoc primo peccato contracta, posteris per modum propagationis transmitteretur, tamen vera & propria causa tum imputationis actualis peccati Adæ parvulis; tum transmissionis contracti inhærentis peccati, fuit sola & unica transgressio libera & voluntaria Adami in comedendo pomo vetito, non dicta Dei ordinatio, quæ justa, æqua, & sancta fuit: stante enim hac ordinatione, homo, prout debuit, potuit stetisse in statu innocentiæ in quo primitus conditus fuit, quomodo de facto steterunt boni Angeli in statu illo in quo conditi sunt, ut supra dictum est. Pessime ergo asseritur Deum esse Authorem Originalis peccati transmissi in parvulis, cum certum sit Adami liberam transgressionem quam facillime vitasse potuit, in violando pacto cum Deo inito, hujus originalis peccati transmissi in parvulos veram causam fuisse.

Dices Deum fuisse causam peccatorum omnium, reproborum, sive adultorum sive parvulorum, saltem eorum quibus auxilia sufficientia non contulerit ad resurgendum a peccatis, id quod duplici ratione stabilire contendit dictus Author. p. 58.

1. Ratio est, causa causæ est causa causati, Deus sola causa est illius quæ necessaria & immediata causa peccati reproborum, (*i e.*) impotentiæ, & carentiæ gratiæ supernaturalis, ergo est vera & propria causa peccati reproborum.

Sol. Respondeo, quod ad impotentiam reproborum attinet, illa vel est { Originalis. / Aucta, seu ad dititia.

Originalis impotentiæ cum qua nascuntur omnes parvuli, vera & propria causa falso dicitur Deus, aut decretum Dei, aut ulla ordinatio Dei, sed Adami libera transgressio; & inde perfecta in protoplasto carentia Originalis justitiæ: & deordinatio omnium virium animæ; Quarum prima sc. libera transgressio præcepti, omnibus parvulis ex Adamo oriundis communicatur per modum imputationis, secunda & tertia per modum propagationis, supposita libera ordinatione Divina de hisce communicandis.

Impotentia autem parvulorum quæ consistit in carentia originalis justitiæ, & inde secuta deordinatio virium animæ, nullo modo Deo, aut ejus decreto ascribi potest, qua impotentia culpabilis: Ejus Deus ultor est non author: Deus ordinavit ut si contracta fuerit a protoplasto ejusmodi impotentia, transmittatur posteris ejus per modum propagationis. Sed hæc ordinatio Dei non fuit causa impotentiæ, sed postquam contracta fuerit, ejus transmissionis & propagationis posteris. Non minus ergo falso quam audacter asseritur hic, Deum esse solam causam hujus impotentiæ in parvulis.

Quod

Quod autem attinet ad impotentiam Reproborum adultorum, quæ non solum consistit in impotentia originali, quæ ab Adamo propagatur sed & illa aucta & additicia, quæ sua cujusque nequitia superinducitur. Dico illam ex nostrorum Theologorum communi sententia accessendam esse, partim ab Adamo & originali peccato, in quo concepti & nati sumus; Partim ab actualibus peccatis quibus innata impotentia magis magisque augetur & crescit. Omnia autem ad bonum impotentia in adultis, ab hisce corruptis fluunt fontibus, ut vera & immediata causa; falso ergo asseritur, Deum esse solam causam, aut ullam, ex nostrorum Theologorum sententia, hujus impotentiæ aut ullius peccati reproborum adultorum.

Quod autem attinet ad defectum supernaturalis gratiæ: Deus nullis reprobis dat efficacem gratiam, qua irresistenter & invicte ad gloriam perducuntur; sed neque tenetur dare. Gratia (inquit Augustinus) non est gratia ullo modo, si non sit omni modo gratuita. In hisce ergo reprobis quibus negatur gratia efficax, causa causæ (*i.e.*) non dationis gratiæ efficacis, nullo modo dicenda est, causa causati (*i.e.*) peccatorum horum reproborum. Nam si, ubi Deus non dat gratiam efficacem, ibi dicendus est causa peccatorum, tum Deus recte diceretur causa peccati Adæ in comedendo pomo vetito. Nam Adamo non collata est hæc gratia efficax; sed & eadem gratia efficax, non data est malis Angelis; & tamen quis dixerit Deum non dando illis gratiam efficacem, causam fuisse horrendæ illorum ἀποστασίας. Secundo, multis reprobis confert gratiam supernaturalem Deus, qua possunt credere & pœnitentiam agere, si ipsi sibi ipsis non deessent, unde & ipsis merito imputatur, quominus convertantur, ut supra ostensum est. Tales in æternum pereunt non defectu gratiæ, sed propria culpa qua gratiæ divinæ oblatæ cooperari aut negligant aut recusent, attestante ipsorum conscientia. Tertio, illis reprobis qui extra Ecclesiæ pomaria degunt, & quibus non datur auxilium sufficiens aut necessarium ad resurgendum à peccatis, Deus non tenetur auxilia illa suppeditare. Nam recte Bellarm. lib.2 cap.4 de Grat. & lib. arbit. Nulla esset in Deo iniquitas, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret. Nam cum omnes nascuntur in Originali peccato, & filii iræ, teste Apostolo; nihil nobis jure debetur nisi pœna. Apostolus item ad Roman 9. demonstrat ex sola misericordia Deum ex massa perditionis aliqua vasa facere in honorem, unde & vasa misericordiæ appellantur, & ea causa est ut S. Augustinus docet Epistol. 105. cur pauci sint qui salvantur, ut nimirum intelligamus quicquid omnibus deberetur. Adde, primam gratiam dari inimicis ac pro hoc modis omnibus est indebita, nulli igitur fieret injuria si ea gratia nemini præberetur. Rectissime ergo Augustinus de bon. perseverant. cap 8. Non simus ingrati quod tam multos liberat misericors Deus, de tam debita perditione ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Nec minus apposite Prosper in Epistol. ad Rufinum. Omnibus in Adæ prævaricatione prostratis, nisi quosdam adsumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia. Si nemini debeatur ulla gratia sufficiens, ex consensu omnium Theologorum, etiam eorum quos impugnat; quomodo, ex eorum sententia, Deus non dans gratiam sufficientem multis extra septa Ecclesiæ reprobis, causa erit necessaria & immediata eorundem peccatorum? Aut igitur Authori evincendum est ex Theologorum dictorum principiis, Deum teneri dare gratiam sufficientem omnibus reprobis; aut desinat iis imponere ex eorum principiis sequi, Deum denegando quibusdam reprobis gratiam sufficientem ad resurgendum à peccatis, hoc ipso causam esse necessariam & immediatam causato (*i e*) horum hominum peccatorum Denique certum est quod & supra posuimus, reprobos adultos extra Ecclesiæ limites degentes non propter peccata, contra Euangelium damnari; sed quod non instituens vitam conformiter ad legem naturalem in cordibus inscriptam; non ergo ob defectum supernaturalis gratiæ pereunt; sed ob defectum conformitatis in actibus suis ad legem naturalem & dictamen rationis.

Atque hæc, de prima ratione.

Ad secundum accedamus qua contendit Author, ex principiis contra sentientium, sequi, Deum esse causam peccatorum omnium reproborum, quibus auxilia sufficientia non contulerit ad resurgendum è statu peccati.

Sic Author secundo insurgit, Removens prohibens illud quo posito impediretur eventus, est causa illius eventus. Ex. gr. Cum quis secat filum aut chordam in quo lapis est pendulus, est causa cur lapis cadit in terram. Qui etiam subducit columnam qua nititur domus, reputatur causa ruinæ domus. Removens prohibens, quo posito peccatum impediretur est causa eventus. Sed Deus ex sensu contrasentientium à reprobis detinet, seu non subministrat illam gratiam, qua posita, à peccato conservarentur; ergo est vere moralis causa peccatorum reprobi. Cui concinit (inquit) Tertullian. lib. 2. cont. Marcion. c. 22. In cujus manu est quid ne fiat, ei deputatur cum jam fit.

Sol. Respondeo, Removens prohibens peccatum est causa moralis & indirecta peccati subsecuti, quando potest & tenetur illud non removere & nihilominus removet. Deus autem licet possit non removere prohibens peccatum, dando gratiam efficacem, qua peccatum vitatur, non tamen ad hoc tenetur, quia ad ejus gubernationem pertinet, permittere causas defectibiles aliquando deficere. Hanc ipsam solutionem adhibet Thomas 12. q.79. art.1. in corp. [*Contingit* (*inquit*) *quod Deus aliquando, non prabet auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ & justitiæ, cum ipsa sit sapientia & justitia; unde non imputatur ei, quod alius peccet sicut causa peccati: Sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare.*] Hæc Thomas. Removens ergo auxilium efficax, quod prohibet peccatum est causa peccati, quando potest & debet non removere, non autem quando liberum est removere aut non removere; quomodo Deo liberum est: unde non imputatur ei, quod alius peccet, ac si ipse esset causa peccati.

Rursus, Removens prohibens aliter se habet in causando in libere agentibus, aliter in agentibus naturali necessitate, unde ad remotionem, seu absentiam supernaturalis gratiæ, non sequitur immediate & necessario peccatum, sed de necessitate eventus agatur; sed mediante libera voluntate ejus, cui non adest, seu à qua detinetur, hæc gratia. At aliter se habet in removente prohibens actum naturaliter agentis, ut in exemplis adductis. Secta chorda quæ prohibet descensum lapidis, lapis necessario vi naturali immediate descendit, & gravitate insita: & subducta columna qua nititur domus, suo pondere naturali corruit domus. In libere autem agentibus, ubi removetur, aut non datur gratia supernaturalis, non statim incumbit necessitas agendi [necessitate sc. naturali determinante ita ad agendum, ut actionem suspendere nequeat] potest enim actum suspendere & non agere: nullum enim objectum movet voluntatem hominis viatoris efficaciter, ad exercitium actus, ut schola docet. Solus Deus clare visus hoc præstat.

Ex hisce patet exempla adducta non quadrare. Secans chordam in qua pendet lapis, est causa cur cadat lapis, & subducens columnam qua nititur domus est causa ruinæ domus.

Illud Tertullian. In cujus manu est quid ne fiat, ei deputatur cum jam fit; intelligendum, cum quis tenetur id in cujus manu est ne fiat, impedire ne fiat. Alioqui Deo deputabitur quod non salvet omnes in cujus manu est, ne damnetur quisquam, ne ipse diabolus. Subjungit Author, Neque sufficit dicere Deum esse causam solummodo accidentalem, non propriam aut directam causam peccatorum Reprobi. Nam causa (inquit) tum solummodo accidentalis est, cum effectum existit præter intentionem agentis; quomodo effossio agri est causa accidentalis inventionis Thesauri, cum eventus non expectatur nec intenditur. At cum effectus (inquit) intenditur à removente prohibens tum causa non est accidentalis; ut cum gubernator navis auxilium & curam subtrahit, non gubernando navem in tempestate; & præ novit absque cura, & gubernatione sua navem periclitaturam, tum (inquit) directa & propria causa est naufragii. Sic, inquit, Deus actu & decreto suo, detinendi & non dandi gratiam necessariam reprobis, qua peccatum excitatur, certo sciens inde sequuturum reproborum impœnitentiam evadit propria & directa causa impœnitentiæ reprobi.

Sol. Respond. Multa hic congeruntur partim falsa partim impertinentia. Respondeo

spondeo primo effectus si intendatur à removente prohibens, non deputabitur ei ut causa, vel non tenetur removere. Sic Thomas ante in loco citato, exemplo ab authore prolato occurrit. Gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Deus autem non tenetur homini lapso dare vel gratiam necessariam aut sufficientem, ut antea ex Augustino ostendimus. Nec Deus non dando gratiam dici potest aut debet causa accidentalis, multo minus directa & propria, ut hic temerario infert Author, sed peccantis liberum arbitrium. Si ratio Authoris valeret, Deus non dando gratiam efficacem, Angelis defensoribus, qua ab Apostasia conserventur, & impedirentur, cum certissime præsciat, ex non datione seu non appositione hujus gratiæ, ipsos velle deficere; propria & directa causa foret hujus Apostasiæ, quod absque blasphemia nemo affirmare potest. Id quod pariter dicendum de Adami primo peccato. Deus enim certissime prænovit, ex non datione efficacis gratiæ Adamum velle labi. Num ergo asserendum est Deum fuisse directam causam peccati Adami? Absit. Si apposite disputare vellet Author esse cum Theologis quos impugnat, dixisse oportebat, Deum non actu & decreto suo non dedisse gratiam efficacem reprobis qua peccatum evitetur, non autem necessariam. Nam ex sententia eorum quos impugnat, Reprobationis decreto non negatur necessaria Reprobis multis: Non Angelis defectoribus, non multis reprobis in Ecclesiæ gremio degentibus. Illud autem est, quod à Theologis istis affirmatur, Deum negare & non dare omnibus reprobis gratiam efficacem, qua infalibiliter ad vitam æternam producantur. Sed vidit Author se non potuisse idoneis rationibus conflare invidiam hanc reprobationem asserentibus, aut in eam probabili prætextu impetum facere, ideo usus est in oppugnando illo decreto reprobationis, quod neminem habet patronum. Nos supra diximus Deum non omnibus reprobis vel actu vel decreto negare gratiam necessariam ad vitandum peccatum, licet quibusdam negat; sed nemo ex istis perit ob defectum gratiæ; sed vel ob peccatum naturæ, vel ob peccata contra legem naturæ.

Denique ubi ait Deum actu & decreto suo, detinendi & non dandi gratiam necessariam reprobis, qua peccatum evitetur, certo sciens inde secuturam reproborum impœnitentiam, ipse evadit propria & directa causa peccatorum cujuslibet Reprobi.

Sol. Respondeo primo juxta supra posita, ex Augustino Prospero, Tho. & Bellarmino. Etiamsi actu & decreto suo detineret aut negaret gratiam necessariam qua peccatum evitetur toto humano generi, nulla tamen esset in Deo iniquitas, multo minus dicendum est Deus propria & directa causa omnium hominum actualium peccatorum, ut hic audacter asseritur.

Secundo Respondeo confuse nimis hæc ipsa proponi, cum juxta sententiam horum quos impugnat, aliter loquendum est de { Negativa impœnitentia, seu potius non pœnitentia Paganorum. / Positiva impœnitentia eorum qui in gremio Ecclesiæ degunt. }

Nam prior non est dicenda impœnitentia proprie loquendo, aut peccatum.

Posterior est veri nominis peccatum, sed iis non deest gratia necessaria.

Atque hæc dicta sunto, in vindicationem orthodoxorum à calumniis iis immerito impartam, quæ bellum inferrent Sanctitati Dei, ac si ex assertione absolutæ negativæ reprobationis, inferretur necessario Deum esse Authorem peccati.

Sed & vult Author, hanc ipsam reprobationem non posse consistere cum misericordia Dei, prout in Scripturis describitur. Deum enim aiunt in Scripturis, dici patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis 2 Cor. 1. 3. Meminit etiam divitiarum misericordiæ Dei. Ephes. 2. 4. & dimensionem charitatis Dei, longitudinis, altitudinis & profunditatis. Epes. 3. 16. Hæc (inquiunt) elogia non posse consistere cum absoluta reprobatione ad mortem, interitum, & tormenta, eorum præsertim, qui ob unius offensam non personalem, sed iis solummodo imputatam, punirentur.

 Sol. Respon-

Sol. Respondeo, perpetuo in hoc tractatu Authorem cum iis quos impugnat parum candide agere, cum enim quæstio instituenda sit de reprobatione negativa, non electione, seu præteritione quærenda, quoad collationem gratiæ efficacis, qui est actus Dei indebitum beneficium aliquibus in massa perdita jacentibus, negantis, in quo sola Dei libertas attendi debet; Ille perpetuo invehitur in absolutam reprobationem positivam, qua Deus æternam damnationem reprobis decernit, ad ostentionem justitiæ. Qui actus, cum sit actus justitiæ, est actus Dei qui non supponitur nisi ex prævisione peccati; cum enim damnare sit actus justitiæ, ut Deus non damnat nisi ob peccatum; ita nec damnare hominem decrevit, nisi ex præviso peccato. Pessime ergo hæc confunduntur, quæ accurate distinguenda sunt, cum ergo dicimus absolutam reprobationem non pugnare cum misericordia Dei, intelligimus reprobationem priori notione, quatenus significat denegatam præparationem efficacis gratiæ certis personis, non quatenus denotat præparationem æternæ pœnæ iisdem personis. Cum ergo inter homines ita se res habeat, ut illi omnes qui reprobantur, sint in se damnabiles & odio digni, Deus quantumvis divis sit in misericordia, potest æquissime pro suæ voluntatis libertate, ex istis quosdam eligere, quosdam non eligere, seu reprobare, quos universos originale peccatum reddidit odio dignos, & (si ita loqui liceat) reprobabiles. Secundo dico, quamvis Deus amorem insignem & misericordiam erga totum genus humanum ostendebat, quatenus misit unigenitum filium in Redemptorem omnium hominum, juxta illud Joan. 3 16. Sic Deus dilexit mundum ut dederit filium suum unigenitum, ut omnis qui credat in illum, non periat, sed habeat vitam æternam: tamen κατ' ἐξοχὴν, divitias misericordiæ suæ ostendit erga electos, ergo vasa misericordiæ: juxta illud miserabo cujus misertus fuero, & commiserabo quem commiseratus fuero Rom. 9. & rursus cujus vult, miseretur, quem vult, indurat.

Neque præteritio quorundam in massa damnata jacentium, quoad hanc specialem misericordiam, pugnat cum misericordia divina, nisi Dei libertati modum præscribere velimus; quam studiose Apostolus ad Romanos 9. asserere conatur.

Sed & insurgit Author, & incompatibilitatem divinæ misericordiæ cum decreto absolutæ reprobationis, ex quatuor principiis seu hypothesibus deduci contendit, quæ potissimum originale peccatum respiciunt.

Primo, Adami peccatum fuisse peccatum naturæ duntaxat, solius Adæ personalem transgressionem: neminem enim ex posteris in sua persona, illud aut commisisse, aut in idem consensisse.

Secundo, Peccatum fuisse naturæ, non generatione sed Dei voluntaria imputatione.

Tertio, Hoc peccatum Adamo fuisse remissum, à quo personaliter commissum.

Quarto, Christum venisse in mundum ut mundi peccatum tolleret Joan. 1. 29. Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi] atque Deum aut satisfecisse, aut satisfecisse potuisse lesæ justitiæ, in sanguine fœderis pro toto genere humano, atque ita non obstante justitia, via ad salutem humani generis aperiatur.

Istis suppositis, existimat, vel sequi, nullum dari decretum absolutæ reprobationis: Aut Deum erga homines non esse omnino misericordem, multo minus magis misericordem esse erga homines quam reliquas creaturas; imo multo magis immisericordem quam erga alias creaturas, etiam quam erga ipsos Dæmones.

Sol. Respondeo hasce hypotheses omnes, male pro concessis sumi. Et primo quoad primam. Ubi ait, Adæ peccatum fuisse peccatum naturæ duntaxat solius Adæ personalem transgressionem. Dicimus Adamum peccasse non ut privatam personam sed ut publicam sustinentem personam totius generis humani, ut caput & radicale principium totius generis humani; quare cum ait, peccatum Adæ fuisse peccatum naturæ duntaxat, solius Adæ fuisse personalem transgressionem, si intelligat Adamum duntaxat personaliter peccasse, fallitur. Nam Apostolus ait, In quo omnes peccarunt Rom. 5. 12. & rursus vers. 18. per unius offensa reatus venit in omnes homines in condemnationem, & vers. 19. per inobedientiam unius, multi constituti

constituti sunt peccatores] quæ loca optime explicant Homil. Sermon. de Nativit. Dom. pag.16.6. vide supra. Et certe nisi ponamus Adamum cum peccavit totius humani generis personam gessisse, adeo nos in Adamo ut cum Adamo vere peccasse, nulla ratione explicari poterit, quomodo in recens natis sit aliqua veri nominis culpa. Nam quicquid dicamur in parvulis [ut supra docuimus] ex peccato Adami hærere, sive eatu m, sive originalis justitiæ carentiam, sive aversionem habitualem, sive quidvis aliud, illud nullo modo parvulis vitio dari, ac ne esse quidem poterit, nisi processerit ab actione libera, cujus actionis parvuli illi aliquo modo participes fuerint. Unde August. sæpius ait, omnes ille unus fuerunt, & Epist. 23. *Traxit parvulus reatum, quia unus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est*: parvulus ergo, juxta Augustinum, *unius erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est:* non igitur dicendum solius Adæ fuisse personalem transgressionem, ac si nos in illo transgressi non sumus, cum Scriptura dicat omnes in eo peccaverunt. Rom. 5. 12.

Verum est, in sua persona neminem ex posteris illud commisisse aut, in idem consensisse, sed in persona Adæ & commisimus & in idem consensimus, unde & nos in Adamo & cum Adamo vere peccavimus: ut recte Bellarminus de Amiss. G. & St. peccat. 5. cap. 18.

Porro cum ait, peccatum Adæ fuisse peccatum naturæ, & postea, peccatum hoc fuisse peccatum naturæ, non generatione sed voluntaria Dei imputatione, & hoc peccatum Adamo remissum, à quo personaliter commissum restringere videtur peccatum naturæ, ad actualem prævaricationem Adæ transeuntem, nobis solummodo à Deo imputatam. Cum carentia Originalis justitiæ, & deordinatio vitium, in anima Adæ quæ transmissæ sunt posteris per modum propagationis, ad peccatum naturæ, & rectius forte, accommodandæ sunt, & accensendæ.

Tertio, Videri possit Author totam rationem peccati naturæ, & originalis peccati, tum in hisce hypothesibus, tum paulo ante, & paulo post, ubi peccatum esse alterius, qui vixit longe antequam parvuli nati sunt, in sola imputatione actualis transgressionis Adæ, constituere, & collocare cum Corvino; non enim meminit tabis Originalis per propagationem posteris Adæ traductæ, cum tamen hujus imprimis meminit Artic. 9. nostræ confessionis, ubi de natura & definitione originalis peccati agit. Hæc omnia ergo spectant ad extenuationem originalis peccati, & ut viam struant ad demonstrationem pugnæ, absolutæ reprobationis parvulorum ob originale peccatum cum misericordia Dei, ut mox videbimus.

Quarto, In tertia hypothesi, ubi ait, hoc peccatum fuisse Adamo remissum, à quo personaliter est commissum, videtur innuere, pugnare cum misericordia & bonitate Dei, ut liberetur Adamus, qui peccatum hoc primum personaliter patravit, & alii plectantur, qui non nisi nuda imputatione rei sunt.

Sol. Respondeo primo, non repugnare misericordiæ Dei, Adamum pœnitentem liberare, & alios pro libertate sua in solo Originali morientes punire, ut ostenderat quid omnibus deberetur, & quanta sit malignitas illius peccati, qua nascimur omnes filii iræ, & quæ non expiatur nisi sanguine agni Dei: Secundo, Nec illud iniquum aut cum misericordia Dei pugnare censendum est, quod Deus Adamo ipsi præparaverit aut donaverit veram ac seriam pœnitentiam ex mera sua misericordia: multis autem ex Adamo prognatis non præparaverit eandem pœnitentiam salutarem, nec donaverit. Qua enim lege magis tenetur Deus præstare omnibus posteris Adæ, quod ipsi indulsit, quam exibere Judæ, quicquid Paulo aut Petro ex mera misericordia exhibuit?

Quinto, In quarto hypothesi, ubi ait, Christum in mundum venisse ut tollet peccatum mundi; & potuisse sanguine filii satisfecisse læsæ justitiæ pro toto humano genere, & omnibus, non obstante justitia, aperuisse, viam ad salutem] vult innuere, ita sublatum esse peccatum mundi (*i.e.*) originale, ut infantibus sc. omnibus, non obstante justitia, aperiatur via salutis.

Sol. Respondeo, esto peccatum mundi Joan. 1. 29. intelligamus originale peccatum, cum nonnullis ex veteribus & Recentioribus; tamen hinc non sequitur, reatum originalis peccati condonari omnibus parvulis; non enim Christi mors, & passio, qua oblata

oblata aut etiam acceptata à parte ut sufficiens λυτρὸν aufert reatum peccatorum; sed qua reo applicatur, quomodo nec infectio venenata ex antidoto in officina pharmacopolæ, sed ex applicatione antidoti nec vulnus ex medica in pixide, sed ex applicatione emplastri; ut autem applicatur adultis non immediate sed per fidem & pœnitentiam, sic nec universaliter parvulis immediate, imo non ordinarie, nisi mediis ordinatis adhibitis, qualia sunt in N Testamento baptismus, aut re aut voto, vel parentium, vel fidelium sistentium baptizandos, susceptus, idque ex usu universalis Ecclesiæ quæ non solet ad baptismum admittere Turcarum, Judæorum, Ethnicorum, parvulos, absque susceptoribus fidelibus. Quare licet Christi mors impetrative & meritorie abstulit peccatum mundi, atque tollendo obicem divinæ justitiæ viam ad salutem omnibus parvulis apperuerit, & ostium salutis, tamen nemo particeps sit horum meritorum, nisi mediis divinitus ordinatis horum particeps fiat.

Istis suppositis existimat Author, vel sequi nullum dari decretum absolutæ reprobationis, aut Deum erga homines non esse omnino propitium, aut misericordem; multo minus magis misericordem esse erga homines quam reliquas creaturas, imo multo magis esse immisericordem erga hominem quam reliquas creaturas, etiam quam erga ipsos Dæmonas.

Probat immisericordiam hanc Dei in homines { 1. Præ reliquis creaturis. 2. Præ Demonibus.

Primo, Præ reliquis creaturis; vilissimas enim creaturas habere entitatem, quod multo præstantius est quam nullam habere entitatem, sed omni entitate destitui. Homines autem reprobos omnipotenti decreto determinari ad entitatem miserrimam, qua penitus destitui, millies optabilius esset quam habere, id quod variis modis exaggerat.

Sol. Respondeo datis non concessis quatuor hypothesibus præmissis, non recte inferri, aut nullam dari absolutam reprobationem, aut Deum nullam erga reprobos misericordiam exercere, imo magis erga homines immisericordem esse & crudelem quam erga reliquas creaturas, etiam ipsas Dæmones.

Negatur disjunctio. Datur enim absoluta reprobatio (*i e.*) non electio quorundam, ac præteritio quoad collationem gratiæ efficacis, nec tamen, ideo dici potest, Deum erga ejusmodi homines non esse omnino misericordem, aut immisericordem magis, & crudelem esse, quam erga ullam aliam creaturam. Neque enim dici potest Deum non dando gratiam efficacem quibusdam filiis iræ in massa damnata jacentibus quantumvis parvulis, prodit aut immisericordiam aut crudelitatem ullam, aut ullam omnino injustitiam. Quæ enim injustitia; denegare misericordiam juste in massa damnata jacentibus? Sed ostendit nudam libertatem. In gratuitis enim denegandis, nulla cernitur injustitia, multo minus immisericordia aut crudelitas. At dicimus Deum non irrogari pœnas aut supplicia infernalia, nisi ob pravium demeritum & peccatum prævisum. Quibus perpensis, tota amplificatio invidiosa exaggeratio Authoris sequens corruit.

Similiter argumentatur Corvinus contr. Tilenum. pag. 9. Deus non vult stricte agere cum ullo homine in communi Adæ peccato jacente, ita ut sine ulla spe veniæ in ista condemnatione relinquatur.

At si reprobaret parvulos tantum ut in massa perdita jacentes, in lapsu communi Adæ & non propter actualem illorum & personalem in Deum rebellionem, stricto & summo jure cum illis ageret.

Sol. Respondemus Majorem non esse universaliter veram, non quoad parvulos Ethnicorum qui in fœdere non censentur, & quos Apostolus immundos pronuntiat & natura filios iræ. Quis Deo imputavit si cum nonnullis stricte agat parvulis, cum innumeros parvulos erunt ex hac massa damnata. Recte Augustinus de Præd. Sanctorum. cap. 9. Act. *Ex uno omnes ivisse in condemnationem sine dubio justissimam; ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur*] & in

in Enchirid. cap. 99. ex Ecclesiæ Cath. sententia diserte pronuntiat, *Universum genus humanum tam justo judicio divino in Apostatica radice esse damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo possit recte Dei vituperare justitiam. Et qui liberatur sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, & in damnatione justissima derelictis, ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum Dei judicium duceret nisi ejus indebita misericordia subveniret.* Hæc August. Ex Augustini ergo perpetua sententia cum summæ & prorsus indebitæ misericordiæ sit quod aliquis liberetur, inculpatæ prorsus esset justitiæ si alii puniantur. Adde Deum punire citra condignum. Quin etiam Vasque. Jesuita, qui prædestinationem ex prævisis meritis acriter propugnat, cogitur tamen fateri [Si de reprobatione loquamur qua quis rejicitur à gratia Dei in parvulis reprobatis nullam omnino fuisse suæ reprobationis causam.—— Si autem de reprobatione qua quis à beatitudine rejicitur sermo sit parvulos eos quibus divina providentia ita disponente nullum remedium, humana diligentia potuit adhiberi, fuisse Dei decreto exclusos à regno cœlorum statim post prævisionem Originalis peccati ab ipsis contrahendi. in primam par. q. 23 Art.6. Disp.95. c.6.n.30,31.

At secundam exaggerationem attinet, ubi supposita absoluta reprobatione quorundam parvulorum, Deum vult magis immisericordem esse, erga hosce quam erga ipsos Dæmones, qui in scripturis proponuntur, ut spectacula summæ severitatis divinæ, Cernitur (inquit) hæc immisericordia, in eo, quod parvuli vi hujus decreti addicantur inferni suppliciis, non propter suum proprium & personale peccatum, quomodo addicuntur Dæmones, sed propter alterius peccatum, qui vixit longe antequam nati sunt.

Sol. Respondeo merito ex hisce dubitari posse an iste Author agnoscat veritatem Originalis peccati cum Ecclesia Anglican. in articulo 9. confess. suæ de Originali peccato. Si non agnoscat, transeat in castra novorum Remonstr. & Socinianorum, quorum primariis objectionibus supra responsum est. Sin agnoscat dari Originale peccatum illudque veri nominis peccatum esse cum Ecclesia nostra, necesse est ut simul agnoscat in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem illud mereri, prout habet dictus Articulus. Hoc admisso ratio allata æque militat in illum atque in nos. Cum Diaboli non puniantur, nisi propter suum proprium & personale peccatum, quod propria sua malitia commiserunt, parvuli non nisi propter peccatum alterius, qui vixit longe antequam ipsi nati sunt. Vel igitur docendum est ei, hoc peccatum Originale quod peccatum alterius hic extenuando indigitat, non esse veri nominis peccatum, aut si vere peccatum sit ut parvulum reum facit æternæ mortis.

Sed quia contra arguere non est solvere. Etiamsi dicamus —— supra.

Atque hæc dicta sunto, ut constare possit nullam pugnam interesse inter absolutum decretum Dei prætereundi quosdam quoad gratiam efficacem, etiam parvulos, ut sanctitatem & misericordiam Dei sed & quædam adhibet idem Author. p.66. de pugna inter hoc decretum quoad parvulos, & justitiam Dei, ubi ea repetit quæ præmiserat inter hoc decretum quoad parvulos & sanctitatem Dei, p.52. quibus supra abunde responsum est. Consulto prætereo eas rationes quibus impugnat absolutum decretum, prætereundi adultos quoad gratiam efficacem, ratione habita declarationis Regiæ. Quia autem disputavi, supra, ea eo consilio disputavi, ut assererem veritatem Originalis peccati, & articuli 9. qui agit de peccato originis, quem articulum assertores decreti absolutæ reprobationis plerumque impugnant.

CAP.

Cap. XX.

Ostenditur, deordinationem virium animæ quæ extitit in Adamo post lapsum, & secuta est in anima ejus post privationem Originalis justitiæ, posteris omnibus transmissam fuisse per modum propagationis, non in imitatione Adami sitam esse, sed in elongatione ab Originali justitia, &c.

JAM redeamus ad institutum, ad ea quæ supersunt in articulo 9. de Peccato originis, & explicanda & demonstranda: vid. supra.

Jam ordo postulat, ut primo deordinationem virium animæ, quæ extitit in Adamo post lapsum, & secuta est in anima ejus post privationem Originalis justitiæ, posteris omnibus transmissam fuisse per modum propagationis; Secundo, Ut ostendamus, hanc deordinationem virium cujus meminit articulus, sic posteris transmissam veri nominis peccatum esse.

Dixerunt olim Pelagiani, Adamum non nocuisse posteris propagatione, sed exemplo: Peccatum autem transmitti ad posteros Adæ, non aliter quam per imitationem; primi hominis exemplum imitatos fuisse homines qui postea peccaverunt: Infantes non tales nasci, qualis fuit Adam ante lapsum: Caruere enim usu lib. arbitrii, ac proinde peccati capaces non esse. Adamum autem ante lapsum & lib. arbitrii usum habuisse, & præcepti capacem fuisse.] At contra Ecclesia Catholica semper edocta est, deordinationem virium animæ in posteros omnes Adami per generationem derivari ac traduci. Quam secuti sunt conditores articuli 9. nostræ confessionis. *Peccatum originis non est (inquiunt) ut fabulantur Pelagiani in imitatione Adami situm, sed est vitium & depravatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit ut ab originali justitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, & caro semper adversus spiritum concupiscat; unde in unoquoque nascentium, iram Dei atque damnationem meretur*] Ubi definiunt conditores articuli, *peccatum originis non consistere in imitatione exempli Adami qui primus peccavit, sed esse vitium & depravationem naturæ cujuslibet hominis ex Adamo oriundi, qua fit ut ab Originalis justitia longissime distet, ut ad malum sua natura propendeat*] ex quo liquet, juxta definitionem Ecclesiæ nostræ, peccatum originis potissimum consistere in depravatione virium animæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati. Ex hac autem depravatione naturæ fieri, ut natura nostra ab Originali justitia quam longissime distat, & ad malum sua natura propendent. Vult igitur articulus ex hac depravatione naturæ: Primo, Nasci elongationem naturæ nostræ ab Originali justitia: Secundo, pronitatem & propensitatem ad malum. Peccatum ergo originis est, juxta articulum, vitium & depravatio naturæ qua privamur Originali justitia, & proni sumus & propensi ad malum; in quibus duobus, conditores articuli videntur Originalis peccati formalem rationem constituere. Siquidem hisce verbis definiunt Originale peccatum, Definitio autem continet formalem rationem definiti.

Ut autem rectius explicemus quænam fuerit depravatio naturæ humanæ, quia hæc depravatio potissimum cernitur in depravatione virium animæ, videamus in quarum virium animæ depravatione consistat hæc naturæ humanæ depravatio.

Cum autem dicat articulus, hoc peccatum esse vitium & depravationem naturæ —— qua fit ut Originali justitia quam longissime distat, innuunt articuli conditores, hanc depravationem naturæ, esse depravationem virium animæ, in quibus, Originalis justitia sedem habuit. Originalis autem justitia erat illa, qua homo secundum partes, potentias, & facultates animæ ita fuerit ordinatus ut absolutæ rectus & justus

diceretur

diceretur, nihil habens in se inordinatum, nihil curvum, nihil vitiosum. Hæc autem rectitudo sedem habuit: Primo, In superioribus animæ potentiis, intellectu & voluntate: Secundo, Item in inferiore parte, in appetitu sensitivo. Tertio, descendebat etiam ad corporis ipsius membra. Et quidem consistit hæc rectitudo in triplici subordinatione harum potentiarum. Et quidem primo, in perfecta subordinatione superiorum animæ potentiarum Deo; mentis quidem per perfectam Dei, legisque ejus notitiam; voluntatis item per plenam & primariam obedientiam. Secundo, In subordinatione partis inferioris (*i.e.*) appetitus sensitivi, tam concupiscibilis quam irascibilis, absque ulla pugna aut rebellione, superiori parti. Tertio, In subordinatione omnium corporis membrorum, voluntatis seu rationis imperio, quatenus ad nutum ejus obtemperarent, nec nisi ad ejus jussum moverent. [vid. supra] Unde liquet hanc naturæ depravationem ad vegitativæ partis aut vitalis & pulsatilis facultates non descendere.] vid. Damascen. libro 2. de Orthodox fid. 1. 12. istæ enim Originalis justitiæ non sunt capaces, ac proinde harum depravatio nullo modo ad Originale peccatum pertinere censenda est. Sit in stomacho ἀπεψία, sit in jecore κακοχυμία, sit quis aut claudus aut surdus, aut cæcus sit, morbidus, leprosus, aut paralyticus. Hæc autem omnia sint ἁμαρτήματα φύσεως & quidem à lege primæ institutionis primi hominis aliena; tamen non sunt peccata reatum inducentia, ac proinde ad depravationem naturæ humanæ, de qua in articulo sit mentio, nullo modo spectantia. Hic enim agitur de illa sola depravatione humanæ naturæ, qua quis ab Originali justitia, quam longissime distet & ad malum sua natura propendeat, quæ quidem depravatio cernitur in istis solis facultatibus animæ in quibus justitia Originalis vigebat, & quæ hujus justitiæ & rectitudinis capaces erant.

Ut autem peccati Originalis naturam, juxta verum sensum Articuli explicemus tria demonstranda sunt quæ in ipso articulo expresse continentur.

Primo, Peccatum originis non esse in imitatione Adami situm (ut finxerunt pelagiani) sed esse vitium & depravationem naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati.

Secundo, Hanc depravationem consistere in hominis elongatione ab Originali justitia; in propensione ad malum, & carnis adversus spiritum concupiscentia.

Tertio, Hoc vitium & depravationem naturæ, iram Dei & damnationem mereri, ac proinde veri nominis peccatum esse; quæ singula jam sunt demonstranda.

Horum primum est, Peccatum Originis non esse in imitatione Adami situm, sed in vitio & depravatione naturæ, quæ per propagationem, ab Adamo ad omnes posteros ejus transmittitur.

Id quod asserendum est contra Pelagianos.

Et quidem primo ex Apostolo ad Rom. 5. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.] Pelagius in suo commentar. in hunc locum, qui etiamnum extat inter opera Hieronimi hunc locum explicans, vult peccatum in mundum intrasse per unum hominem forma & exemplo, quia primum hominem peccabilem posteri ejus peccando secuti sunt, & exemplum ejus, velut formam propositam, imitati. Id ipsum etiam Theodoretus aperte docet in locum, & Dialogo etiam tertio, qui intitulatur ἀπαθής, seu impatibilis, quam explicationem hausisse videri possit ab Origine qui in libri hujus explicatione potissimum immoratur in explicanda & exaggeranda peccati imitatione, & de ea accusat omnes antiqui seculi justos; ab Abele usque ad Abrahamum. Et quidem supra observavimus, ex Hyeronimo, Pelagium fuisse ramusculum Originis. Sed si locum inspiciamus constat Apostolum non de peccati imitatione, sed propagatione verba facere. Nam primo si cum Apostolus ait, in quo [Adamo] omnes peccarunt, Si in Adamo peccare, esset Adamum in peccando imitari, dici non possit per Adamum intrasse peccatum in mundum hominum. Nam multi homines Adamum nunquam viderunt, multi de Adamo nihil audiverunt, Nemo autem proprie imitari dicitur personam aliquam, aut personæ alicujus factum, qui nec personæ nec factum aliquod illius cognoverit. Similari enim proprie dicitur is, qui factum alterius cogni-

tum, sibi pro exemplo statuit, & proponit sibi ut simile faciat. Multi autem gravissimi sunt peccatores qui de primo homine & ejus peccato nihil audierunt. Tales dici non possunt ab eo formam & exemplum peccandi accipere, ut voluit Pelagius.

Secundo, Apostolus ait, vers. 14. Peccatum ab Adam usque ad Moysen regnasse in eos quoque qui non peccaverunt, ad similitudinem transgressionis Adæ (*i.e.*) in infantes qui actu non peccaverunt, ac proinde non imitatione, cum omnis imitatio sit imitatio actus alterius. Infante autem non possunt imitari actus alterius, cum eos cognoscere nequeunt, ætate infantili; ac proinde locus iste de peccato propagationis intelligi debet, non de peccato imitationis intelligi potest.

Tertio, Cum ait Apostolus, In quo (Adamo) omnes peccaverunt. Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum, non propagatione, sed imitatione, intraverit, ejus principium non Adamum, sed Diabolum diceret, de quo scriptum est. Ab initio Diabolus peccavit. 1 Joh 3. de quo etiam legitur lib. sapientiæ, Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Nam quoniam ista mors sic à Diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, sed quod eum fuerint imitati, continuo subjunxit, imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus. Proinde Apostolus cum illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transiisset, eum principem posuit, à quo propagatio generis humani sumpsit exordium. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus.] Hæc omnia Augustin. de peccat. merit. & remiss. lib. 1. cap. 9. Ubi Augustinus argumentatur, Si locus Pauli intelligendus esset de peccato imitationis, sequeretur hoc transferendum potius esse in Diabolum, iste enim primus omnium peccavit, ut notum est. Hoc idem argumentum urget idem Augustinus in posteriori scripto cont. Julianum lib. 2. cap. 48. ubi disputans contra Julianum sic habet. *Non hic quæritur (inquit) utrum hominum imitatione peccetur, quis enim nesciat etiam hominem imitatione peccare? sed quæri quale peccatum per unum hominem intravit in mundum [juxta Apostolum] utrum quod imitando committeretur, an quod nascendo traheretur: quia illud primum* (i.e.) *quod imitando committeretur, non nisi per eum intravit in mundum, qui primus neminem imitatus cæteris imitaturis, peccandi introduxit exemplum* (i.e.) *Diablous; hoc autem alterum* (i.e.) *quod nascendo traheretur, non nisi per eum intravit in mundum, qui primus à nemine generatus, generatis cæteris, Originis ingessit initium, Hic est Adam; de imitatione igitur Angelorum & hominum intelligit te [compellat Julianum] nihil ad causam pertinere dicere, & tandem tace, disputamus enim non de quocunque peccatore, qui quandocunque peccavit in mundo, sed de illo per quem peccatum intravit in mundum, ubi si quæratur exemplum imitationis Diabolus invenitur, si Apostolus.* Rom. 5 *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, peccatum generationis intelligi voluit; imitationis enim peccatum non per unum hominem sed per Diabolum intravit in mundum.*] Hæc Augustinus ibid.

Quarto, Evincitur hoc idem ex verbis, In quo omnes peccaverunt. Quamvis enim Diabolum vere imitenter quotquot peccant, non tamen recte dicuntur, in ipso omnes peccasse. Significatur ergo hoc modo loquendi, In quo omnes peccaverunt, non imitatione omnes in uno peccasse sed in uno homine aut in uno ejus peccato omnes peccasse quando omnes unus ille homo fuerunt, ut loquitur August. de peccatorum merit. & remiss. lib. 1. cap. 10.

Quinto, Infantes qui actu non peccant adeoque dici non possunt Adamum imitari, per peccatum Adæ nihilominus moriuntur, juxta illud, Regnavit mors ab Adamo usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt ad similitudinem prævaricationis Adæ. Mors autem non dici potest per unum hominem intrasse, propter solam imitationem, sed per modum propagationis: ergo & peccatum. Neque dici potest hic mortem animæ (*i e.*) peccatum intelligi, non autem mortem corporis. Nam & hanc Deus minatus est: Porro mors corporis peccatum præsupponit, est enim ejus stipendium, Rom. 6. ult. Si autem peccatum non haberemus, non moreremur morte corporea; unde Augustinus de Civit. Dei 13. cap. 15. Constat inter

Christia-

Christianos Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati.

Sexto, Peccata actualia, præsertim προαιρετικὰ, qualia sunt omnia peccata imitationis non sunt hæreditaria nec in mundum hominum transeunt, & omnibus communia sunt hominibus. Atqui peccatum de quo Paulus agit Rom. 5 12 est hæreditarium & commune, quod una cum morte in omnes pertransiit; ergo non est actuale peccatum, ut peccatum imitationis, sed potius naturale, per modum propagationis communicatum.

Septimo, Paulus ait, Per unum hominem peccatum [singulari numero positum] intravit in mundum; Per peccatum, si peccatum imitationis intellexisset Apostolus, & actuale, pluralem numerum adhibuisset. Omnia enim peccata actualia, dicenda erant peccata imitationis. Cum autem singulari utatur numero, de uno certe peccato intellexit, quod peccatum κατ' ἐξοχὴν esset, est autem illud peccatum, quod articuli conditores, peccatum originis indigitant, est autem illud ἡ ἁμαρτία κατ' ἐξοχὴν, quod totam naturam humanam pervasit & depravavit, & per propagationem transmittitur.

Octavo, Si per unum hominem peccatum intravit in mundum hominum per imitationem & non per propagationem, tum intravit potius per Evam quam per Adamum, quippe quæ primitus peccavit, & recte prius peccaret Eva quam Adam, & illa peccante, cœpit esse peccatum in mundo. Non ergo Apostolus intellexit peccatum actuale quod cœpit per Evam, sed Originale quod propagatum est per Adamum.

Ultimo accedant conciliorum antiquorum contra Pelagium & Pelagianos decreta.

Concil. Arausican. secundum Can. 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt] ubi concilium aut prævaricationem Adæ toti ejus propagini nocuisse [ac proinde parvulis] quibus in illa ætate non nocuit, nec nocere potuit exemplo suo solo, sed & propagando naturæ depravationem, quam ipse peccando contraxerat, nec mortem corporis tantum, sed & animæ, (*i e.*) peccatum, & quidem illud quod omne genus humanum pervasit, est autem illud, quod peccatum Originis indigitant, quod in ipsos etiam parvulos transiit.

Idem probatur è Canone 110. Carthagin. concil. 3. cui interfuerunt 217. Episcop Canon sic habet. *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; unde sit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera sed falsa intelligatur; Anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt, quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur ut in iis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.*] Hic PP Carthaginensis indicunt Anathema iis qui parvulos nihil ex Adamo trahere Originalis peccati dogmatizant, ac proinde non recte baptizarri in remissionem peccatorum. Hos refellunt PP. ex loco Apostoli ad Romanos 5 12, quem supra explicavimus, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.* — — & ejus explicatione per Ecclesiam Catholicam ubique diffusam. Hancque ad regulam fidei revocandam pronuntiant, quia juxta eum parvuli qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt,] ubi diserte aiunt PP. parvulos nihil peccatorum in seipsis committere posse & tamen in peccatorum remissionem

 nem

nem veraciter baptizari, illius sc. peccati quod generatione traxerunt] non ergo ex sententia PP. Carthaginens. peccant parvuli per imitationem cum actuale peccatum non habeant, quale necesse est ut sit omne peccatum imitationis, sed illud solummodo quod generatione traxerunt quod Originale peccatum rectissime dicitur.

Adde omnia argumenta ab Analogia fidei supra petita: & ex quibus demonstratur in parvulis esse Originale peccatum, quod per imitationem habere non possunt; cum fieri non potest ut aliquis peccet ad imitationem alterius, nisi & peccatum ejus & personam habuerit notam, at parvuli in infantili ætate, non possunt cognoscere vel peccatum primi parentis, vel etiam primum parentem, ut per se patet, & tamen peccatores dicuntur: Omnes enim posteri Adæ sunt natura filii iræ Ephes. 2. & in iniquitatibus concepti & nati sunt Psal. 51. Ex hisce aliquatenus constare potest peccatum Originis non in imitatione Adami situm esse, ut finxerunt Pelagiani, sed esse vitium & depravationem naturæ cujuslibet hominis ab Adamo naturaliter propagati.

Secundo in loco ostendendum est hanc depravationem naturæ consistere in hominis elongatione ab Originali justitia, in propensione ad malum, & carnis adversus spiritum concupiscentia.

Primo, Elongatio ab Originali justitia est pars depravationis naturæ humanæ juxta articulum, est autem illi juxta Parisiensem [de vitiis & peccatis cap. 2. p. 202. 2. H.] mala dispositio quæ ita spirituale nostrum impedit in suis suavitatibus & bonitatibus, ut læsio sit magna & vitium quod ita nos perverse habere compellit] Ex quo intelligitur, Originalem justitiam ad naturæ humanæ sanitatem & integritatem pertinuisse cum ejus absentia sit depravatio naturæ, naturæ læsio & vitium, Siquidem, ut recte Augustinus Enchirid. 1. c. 11. Animarum quæcunque sunt vitia naturalium, sunt privationes bonorum, ut supra. Neque enim hæc elongatio ab Originali justitia quicquid aliud est quam ejusdem Originalis justitiæ privatio.

Hanc autem in viribus animæ elongationem à justitia Originali, vel, si vis, Originalis justitiæ privationem, propagari una cum natura, supra demonstravimus, &c.

Secundo, Consistit in propensione ad malum, & carnis adversus spiritum concupiscentiæ, hæc est altera pars depravationis humanæ naturæ; Neque enim humanæ naturæ depravatio consistat in sola elongatione, seu privatione Originalis justitiæ; nec duntaxat in mali receptivitate, sed insuper in pronitate & propensitate ad malum, in tali depravatione qua caro contra spiritum concupiscit, quam depravationem concupiscentiæ nomine denotant tum Scripturæ tum patres, & certe recte articuli conditores, cum peccatum Originis definiunt, ad illam naturæ depravationem quæ consistit in elongatione ab Originali justitia, adjecerunt, & illam quæ ad malum sua natura perpendeat, & caro semper adversus spiritum concupiscat. Neque enim existimandum est peccatum Originis ejusque naturam satis explicari ex eo, quod sit vitium & depravatio naturæ cujuslibet hominis, qua ab Originali justitia longissime distat: siquidem ex sola elongatione seu carentia Originalis justitiæ arctius & angustius quam par est, definitur Originale peccatum; ideoque conditores articuli recte adjecerunt, esse insuper vitium & depravationem qua homo ad malum sua natura propendeat, & caro adversus spiritum concupiscat. Licet enim Anselmus & lib. de concept. Virgin. c. 3. & 26. Originale peccatum defineat, per justitiæ debitæ nuditatem & absentiam, & alii eum secuti: Recte tamen Lombardus secutus Augustinum 2. dist. 30. G. & alii adjecerunt etiam concupiscentiam pravam, concupiscibilitatem innatam, seu ut loquitur *Le. H. Est vitium innatum, quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem. Sicut enim, inquit, in oculo cæci in nocte vitium cæcitatis est, sed non apparet non discerniter inter videntem & cæcum, nisi luce veniente: Sic in puero vitium esse non apparet, donec ætatis provectioris tempus occurrat.* Et addit. *Ex his datur intelligi, quid sit Originale peccatum, sc. vitium concupiscentiæ quod in omnes concupiscentialiter natos per Adam intravit, eosque vitiavit.* Hæc Lombardus, & quidem recte. Hinc est quod conditores Articuli recte adjecerunt ad carentiam Originalis justitiæ, ad malam

propensio-

propensionem, & carnis adversus spiritum concupiscentiam, & integram formalem rationem hujus peccati hac sua definitione complectantur.

Id jam, tum ex Scripturis, tum ex rationibus in Scripturis fundatis, demonstrandum est.

Tum adversus Remonstrantes, tum adversus Romanensium plerosque, præsertim Jesuitas, qui peccatum Originis proprie loquendo & formaliter non aliud esse volunt quam meram Doni supernaturalis gratuiti & indebiti, Originalis sc. justitiæ, privationem: ipsam autem naturam hominis, remoto hoc dono, in se talem permansisse qualis ab initio fuit condita, pravam autem concupiscentiam & præcipitem inclinationem ad omnimoda mala ex ipsis naturæ principiis fluxisse. Unde hominem stantem & lapsum non aliter differre volunt, quam ut nudatum à nudo. Nos autem dicimus juxta articulum 9. nostræ confessionis, Peccatum Originis non consistere tantum in elongatione ab Origin. justitia & ejus remotione, & privatione; sed etiam in naturæ nostræ depravatione, quæ ad malum sua natura propendeat & caro contra spiritum concupiscat, hoc est, in carnis concupiscentia, & ad omnimoda mala propensione; id quod jam ostendendum restat: & quidem primo ex Scripturis. Gen.6.5. *Vidit Dominus, quod multa esset malitia hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum omnibus diebus.* Et Gen. 8.21 *cogitatio cordis humani mala est à pueritia sua.* Si cogitatio cordis, sit mala à pueritia; & omne figmentum cordis sit tantum malum, & omni tempore; ergo datur non tantum carentia Originalis justitiæ, sed & innata malitia ab ortu; neque enim agitur de sola malitia actuali adultorum loco priori, cum agatur de causa diluvii, & perditionis omnium qui periere in diluvio, ex quorum numero infantes non excludebantur quandoquidem & hi in diluvio periere. Cum ergo diluvii causa fuerit peccatum: ut parvuli etiam in diluvio perierunt, ergo & ii ob peccatum perierunt; at non ob actuale peccatum; neque ob actualem malitiam, ergo ob malitiam habitualem, quæ non constitit in sola carentia & nuditate justitiæ sed in pronitate cordis ad malitiam, qua figmentum cordis omne malum fuit, & tantum malum, & omni tempore. Davides Psalm. 51. 7. reus atrocium peccatorum Adulterii & homicidii; cum ad horum & ad omnium aliorum peccatorum fontem, digitum intendat, sic Deum alloquitur. *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccatis genuit me mater mea*] ubi per iniquitates & peccata, non intelligit Propheta solam carentiam, & nuditatem Originalis justitiæ, in qua primitus homo conditus est: sed & habitualem proclivitatem ad omnimoda peccata, quæ fons est aliorum peccatorum (interprete Homilia de miseria humani generis. Tom. 1. pag. 9.) & pronitatem ad iniquitates & peccata. Siquidem actuales iniquitates & peccata non inerant in Davide parvulo, adhuc non utente lib. arbitrio. Cum autem Propheta confiteatur hic causam & fontem peccatorum, non tam confitetur nuditatem Originalis justitiæ, quæ non dici potest tam causa peccatorum quam defectus prævius ad peccata actualia, at prava inclinatio ad peccatum & prava concupiscentia, incitat, provocat & solicat ad peccata, qua non sunt effecta nudæ privationis, sed pravæ ad peccatum inclinationis. Hinc Hesichius in locum ait, Davidem significare immunditiam peccati Adæ in omne genus humanum descendisse. lib. 3. in len. c. 12. Ambrosius in Apolog. Dand. c. 11. David flebiliter deploravit in seipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperent in homine maculæ quam vita; immunditia, autem peccati, inquinamenta naturæ, & maculæ, plus denotant quam justitiæ Originalis carentiam solam: ergo & pronitatem ad malum. Glossa interlinearis in locum, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum* Originalibus & Actualibus; quia macula Originalis peccati teneat, & ad actualia pronus existo, & N. Lyra. *Ecce in iniquitatibus, &c.* quia homo descendens ab Adam, per carnalem generationem in unione animæ ad corpus contrahit Originale peccatum; quod est ad peccata actualia inclinativum, ratione fomitis remanentis, etiam in illis qui mundati sint ab Originali in quantum est culpa. Hæc Lyra. Apostolus ad Romanos 3. fuse describens, humanæ naturæ depravationem in universum genus humanum ex Adæ peccato propagatam, & docens omnes homines huic naturæ depravationi ab ortu obnoxios esse, eam non solum exprimit per modum aversionis à Deo negative & privative,

non

non est justus quisquam, non est intelligens, non est inquirens Deum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum ne unus quidem, & vers. 17. viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei coram oculis eorum; sed & per conversionem ad bona commutabilia. vers. 13, &c. sepulchrum apertum guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt; venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os diris & amarulentia plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem] ubi varii actus internæ, & intus latentis concupiscentiæ recensentur, ad actualia peccata incitantis & solicitantis.

Idem evincitur ex rationibus in Scriptura fundatis.

Primo, Apostolus varriis appellationibus hoc peccatum depingit, ut veteris Adami Carnis peccati, corporis peccati, membrorum terrestrium, & id genus alia; quæ appellationes non nudam carentiam justitiæ denotant sed & depravatas & inordinatas dispositiones, habitus, & affectus; cujusmodi sunt intellectus, obtenebratio, & vanitas; unde innascitur unicuique horrenda illa profunditas ignorantiæ cujus meminit August. de Civit. Dei 22. c. 22. qua fit ut in omni homine sit ignorantia ultimi finis, mediorum etiam ad finem, ignoratio etiam propria mentis [videmus August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 22] Voluntatis item depravatio, qua ad malum præceps fertur, & difficulter ad bonum; appetitus etiam sensitivi corruptio, quæ fertur ad bona sensibilia, non tantum inconsulta ratione, sed & contrarium dictante, unde & rebellis sæpe est rectæ rationi.

Secundo, Cum ait Apostolus Galat. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum. Hæc concupiscentia carnis adversus spiritum non denotat nudam carentiam Originalis justitiæ, sed & pravam inclinationem & propensitatem habitualem adversus S. Sanctum, & ejus motiones. Hoc idem denotat illa dehortatio Apostoli Rom. 6. 12. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut ei obediatis in concupiscentiis. Per peccatum intelligit Apostolus non nudam carentiam Originalis justitiæ, sed pravam concupiscentiam, ut liquet ex Rom. 7. vers. 7. & 1. Innuit autem Apostolus concupiscentiam habitualem inesse cuivis homini, cujus proprii actus sunt concupiscentiæ actuales, non ergo tota ratio peccati Originalis consistit in privatione Originalis justitiæ, sed etiam in pravis inclinationibus & propensionibus ad malum.

Tertio, Cum Scripturæ meminerunt peccati Originalis: actus & opera ejus aperte insinuant id cujus hi sunt actus & opera, non esse nudam carentiam aut privationem, sed & habitualem inclinationem, & propensionem ad ejusmodi vitiosos motus, & opera. Siquidem privationes proprie non sunt actus aliqui; cum tamen Scriptura passim actus tribuat Originali peccato, ut cum Apostolus ait, Galat. 5. Caro concupiscit adversus spiritum, τὸ concupiscit, denototat actum carnis; & ibidem Apostolus innuit, carnem ita retardare motus spiritus, ut non quæcunque voluerimus eadem faceamus, & vers. 19 manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, protervia, &c. & Rom. 7. 1. *Peccatum occasione sumpta per legem genuit in me omnem cupiditatem per illud mandatum.* & vers. 23. *Lex in membris meis rebellat legi mentis.* & 1. 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, inimicitia est adversus Deum (*i. e.*) quicquid sapit caro id exercit in imicitias adversus Deum & legem ejus, & vers. 9. *qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, in quem locum recte Estius, Ex his verbis recte colligitur, concupiscentiam etiam quæ in renatis est, repugnare & contrariam esse legi Dei; quia ad instar legis, ad ea quæ legi Divinæ sunt contraria, impellit.

Quarto, Si naturæ depravatio plene explicaretur, per carentiam Originalis justitiæ, tum pari ratione audacia recte definiretur per privationem timoris; & superbia per privationem humilitatis: cum tamen Audacia, multo rectius definiatur, vitium, quo quispiam, rationis judicio non expectato vel contempto, præcipitanter in periculum ruit; & superbia, inordinatus propriæ excellentiæ appetitus. Sic multo rectius & plenius exprimitur natura Originalis peccati, si dicatur esse vitium, qua propensus est quis ad malum divina lege prohibitum, quam per Originalis justitiæ nudam privationem.

Quinto, Quemadmodum in actibus malis nemo avertit se à bono quopiam nisi ductus

ductus cupiditate ac desiderio alterius boni ad quod se convertit, quod cum priore non consistit. Sic Angeli & homines ad propriam excellentiam conversi, eamque plus æquo appetentes, à Deo recesserunt. Id ipsum pariter in vitio habituali ex primo peccato contracto intelligendum est: Ideo enim nascimur aversi à Deo, bono incommutabili, quia nascimur curvi & inclinati ad bona commutabilia: quam curvitatem & pravam inclinationem concupiscentiam indigitare solemus. Est argum. Estii in.2 dist. 30. Sect. 8. vid. & Baron. de habit. justit. c.18. p.293.

Hoc idem testantur Scholastici. Lombardi prius sententiam accepistis. Guil. Parisiens. de vitiis & peccat. c.5. p 959. Col.2. D. *Si cui videatur Originale peccatum —— nihil aliud esse quam privationem vel defectum gratiæ, pro eo sc. quia gratia est per quam defenditur anima humana ne abeat post concupiscentias carnis, & ne involvatur tenebris quibus videre prohibetur, quæ recta sunt, dicamus, quia indubitanter errat; Etsi enim per gratiam defenditur anima humana à prænominatis, etiam aliis malis, non tamen per defectum ejus impugnatur ab eisdem, nec ex illo proveniunt; quemadmodum enim cum per arma propria se quis defendat ab hostibus, non tamen per inermitatem, seu defectum armorum impugnatur ab ipsis, sed malum impugnationis est extra hujusmodi defectus, & magis ex odio & inimicitia hostium & armis eorum: altero videtur ut causa; altero vero, ut instrumentum. Defectus autem defensionis, ex defectu gratiæ & quemadmodum ex defectu armaturæ.* Quod si ita esset, ut erroneus iste ponit, manifeste sequerentur duo inconvenientia manifesta. Primum, Quia in Adam ante adeptam gratiam, & in statu innocentiæ esse Originale peccatum, quare & defectus & carentia gratiæ, & ita esset creatus in Originali, vel cum Originali peccato, quem errorem nondum quispiam auditus est cogitasse. Secundum est, Quia viri sancti, qui gratia sunt armati, hujusmodi impugnationes non haberent. Nos autem scimus eos maxime impugnari, etsi minime expugnari. Cum enim apud eos non sit defectus gratiæ, non erit & causa impugnationum istarum, quare cessabunt supra omnes impugnationes istæ, quod qui dicit, sensu simul, & pœna indiget.] Hæc Parisiens.

Thomas duodecim. q. 82. Art. 1. ad primum sic habet. Dicendum quod sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione in quantum tollitur æqualitas sanitatis, & aliquid habet positive, sc. ipsos humores inordinate dispositos: ita etiam peccatum Originale habet privationem Originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ: unde non est privatio pura, sed est quidem habitus corruptus] Hæc Thom. In quem Artic. Cajetanus vult, Quod sicut ægritudo non est pura privatio sanitatis: ita peccatum Originale non est prima privatio Originalis justitiæ, sed & habitus contrarius illi, & paulo post, Corruptio contra privationem distinguitur in litera, Privatio enim dicit negationem in subjecto apto nato; corruptio vero addit possitivum contrarium fundans illam negationem. Non sanum enim privative dicit sanitatis negationem in corpore capaci sanitatis. Ægrum vero dicit humores corruptos per contrarias dispositiones ad sanitatem, ac per hoc & dicit aliquid positivum & est habitus corruptus in corruptione consistens, cum quo stat quod est habitus & simile est de peccato Originali qui languor est naturæ.] Hæc ille.

Ex dictis conficitur non differre hominem integrum à lapso, non ut nudatum à nudo, ut pessime Jesuitæ, & Remonstrantes; Sed ut vinum generosum ab aceto; sed ut Phreneticus & fatuus; ab homine sensato, sapiente & docto, ut mulier fornicaria & adulteria, à muliere pudica, sobria & casta, sicut pomum dulce & saporosum, à pomo silvestri, acerbo, ad cujus gustum obstupescunt dentes, quibus similitudinibus illustrant discrimen inter hominem integrum & lapsum. Raimundus de Eubund. in Dialogis de Natura Hominis, Dialogo de lapsu hominis, cap.44.

CAP.

Cap. XXI.

Ostenditur hoc vitium damnationem mereri, & secuturis præmittitur vera & genuina Concupiscentiæ explicatio.

Hoc unicum in hoc articulo, qua homo ad malum sua natura propendeat, & superest jam ut hanc naturæ depravationem, qua caro semper concupiscit adversus spiritum, seu quod proinde est, pravam concupiscentiam non esse morbum naturæ & languorem ex naturæ principiis fluentem, malum item naturale, aut peccatum materialiter sumptum duntaxat, contra Bellarminum Jesuitas & Remonstrantes, demonstremus, sed ejusmodi vitium quod in unoquoque nascentium, iram Dei atque damnationem mereatur, ut habet articulus 9. (*i.e.*) quod veri nominis paccatum sit, & vere sit pars Originalis peccati.

Ut autem in hac demonstratione omnis æquivocatio facessat, è medio præmittendum est, per concupiscentiam nos non intelligere, supra —— Cum tota hæc disputatio nitatur Apostoli loco ad Gal. 5.17. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis. Ideo primo sensus loci istius germanus eruendus est, ut ita constare possit quodnam sit illud vitium quo caro contra spiritum concupiscat.

Primo, Nonnulli volunt denotari vocabilis carnis & spiritus appetitum sensitivum seu sensualitatem, & rationalem seu voluntatem.

Sic Lyra in locum, Caro concupiscit adversus spiritum (*i.e.*) sensualitas contra rationem, & è converso, sunt experimur in nobis. Hanc ipsam interpretationem ante Lyram Radulph. Ardens, in Homil. in Dom. 14. post Trinitatem, vir doctus, qui vixit ante annos quingentos.

At iste sensus videtur Germanus, Nam primo caro & spiritus de quibus agit Apostolus, sibi invicem aversantur, ait enim Apostolus ταῦτα δὲ ἀντικεῖται ἀλλήλοις, hæc enim sibi invicem adversantur. Hinc ad Romanos 8. spiritus & Caro sæpe opponuntur, ut vers. 1. & 4. Qui ambulant secundum carnem & qui secundum spiritum, & vers. 5. Qui secundum carnem sunt, & qui secundum spiritum sunt, & vers. 9. Esse in carne & esse in spiritu, & vers 13. Secundum carnem vivere, & spiritu actiones carnis mortificare. At appetitus sensitivus & rationalis, non pugnant in homine carnali in quo rationis appetitus seu voluntas Desideriis carnis abductus iis obtemperat & morem gerit. Hoc argumento utitur Augustinus, ad improbandum sensum prædictum Serm. 43. de verbis Domini, ubi sic scribit, Spiritus concupiscit adversus carnem in hominibus bonis non malis, qui Spiritum Dei non habent contra quem caro concupiscat, & lib. de Continent. c. *Hanc pugnam non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum debellatoresque vitiorum. Non expugnat concupiscentiæ malum nisi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino nescientes malam concupiscentiam nec in hostibus deputant, eique miserabili cæcitate servientes, insuper etiam beatos se putant, satiando eas potius quam domando.* Hæc August. ubi etiam docet eos tantum hanc luctam experiri in se qui concupiscentiæ reluctantur, non eos qui illis credunt & consentiunt. Secundo, Inde refellitur quia hoc ipsum τὸ concupiscere adversus spiritum, quod carni hic tribuitur ab Apostolo, tribuitur etiam parti superiori, siquidem ipsa superior pars in seipsa hoc duellum experitur, qua enim vetustati adhuc obnoxia, terrenis rebus oblectatur, repugnat eidem, qua renovata & spiritualia, cœlestia & æterna bona, appetitit. Tertio, Apostolus enumerat inter opera carnis vers. 20, 21. non tantum fornicationem, ebrietates, commessationes, quæ vere carnalia sunt opera appetitus sensitivi; sed Idololatriam,

triam, sectas, hæreses, invidias, quæ sunt opera spiritualia & sedem habent in appetitu rationali; & quidem horum ultimum vitium reperitur in ipsis Dæmonibus, quibus non inest appetitus sensitivus, ut omnes norunt. Quarto, Ipse Augustinus docet, concupiscentiam carnis non tantum in appetitu sensitivo, sed etiam in rationali sedem habere. Hinc Confess. lib. 8. cap. 5. conqueritur se renatum ligatum non ferro alieno, sed terrea sua voluntate; Et addit, Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam facerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido & dum servitur libidini, facta est consuetudo & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellam, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova (inquit) quæ mihi esse cæperat ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus sola certa jucunditas nondum erat idonea ad superandam priorem vetustatem reboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam; & mox subiit. Sic intelligebam in me ipso experimento id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Ego quidem in utroque sed magis ego in eo quod in me approbabam, quam in eo quod in me improbabam] Meminit hic Augustinus, voluntatum duarum, quas in se expertus est, quarum una vetus carnalis & ferrea erat; altera nova & spiritualis, atque inde ait se intellexisse in seipso experimento id quod legerat, quomodo caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Non ergo per carnem, teste Augustino, intellexit Apostolus solum appetitum sensitivum, sed & rationalem quatenus concupiscentiæ veteri fermento infecta erat. Vide eundem Augustinum in Psal. 75. in illud Prophetæ, Et factus est in pace locus ejus, & de Civit. Dei lib. 14. c. 2, 3, 4.

Atque hinc est quod ipsi Romanenses jam tandem agnoscant concupiscentiam non tantum sedem habere in appetitu sensitivo, sed & in superiori parte in appetitu rationali, seu voluntate. Sic Bellarmin. lib. 5. de Amiss. Grat. statu pecc. cap 15. ubi sic habet. Cœterum negandum non est, etiam in parte superiore simile [concupiscentiæ in appet. sensitivo] vitium inveniri. Nam ea quoque animi pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam & alias vanitates, & etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quomodo (inquit Beatus Paulus) in Galat. c. 5. 17. cùm dixisset, Carnem concupiscere adversus spiritum, inter opera carnis recenset idolatriam, hæreses, inimicitias; id quod diligenter annotavit Augustinus lib. 14. de Civit. cap 2, 3. & 4. Similia habet Staplet. de Origin Peccat. lib. 3 cap. 1. Sect. Notandum, &c. Tertio, Id ipsum ingenue agnoscunt Estius & Cornel. à Lapid. in anot. Gal 5. 17. Et ante eos omnes Thomas 12. q. 82 Artic. 3. eam omnem inordinationem virium animæ qua vires omnes convertantur ad bonum commutabile, communi nomine Concupiscentiam vocari, eo plane modo quo hic conditores Articulorum vocant.

Hac ergo interpretatione N. Lyræ rejecta, per nomen carnis intelligenda est ipsa carnalis concupiscentia tam in appetitu rationali, quam sensitivo ex prima transgressione Adami orta & insita nostræ naturæ, & posteris ejus omnibus propagata. At nomine Spiritus ipse Sp. S. sic Hieronymus, Augustinus, Anselmus, Aquinas, Cajetanus & alii. Hoc ipso in loco Caro, & spiritus eodem sensu sumuntur, quo in illo Servatoris dicto, Joan. 3. 6. Quod natum est ex carne, Caro est; Quod natum est de de Spiritu, Spiritus est. Licet per Analogiam pro homine carnali & spirituali accipiantur. Caro autem concupiscere dicitur adversus spiritum, quia carnalis concupiscentia incitat in nobis prava desideria S. Sancto contraria, & propterea ab ipso Apostolo peccatum vocatur Rom. 7. Caro autem concupiscit (*i. e.*) concupiscere nos facit, eo modo quo spiritus idem dicitur postulare & clamare, quia postulare nos facit & clamare.

Cap. XXII.

Concupiscentiam esse peccatum ex Scripturis atque ex rationibus ab Analogia fidei petitis evincitur, atque objectionibus adversariorum respondetur.

HIsce ad hunc modum explicatis, hanc ipsam concupiscentiam Articulus docet esse peccatum, tum in { 1 Non-renatis. 2 Ipsis renatis. }

1. In non renatis quatenus est vitium & depravatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit ut ab Originali justitia longissime distet & ad malum sua natura propendeat. Hoc enim vitium, & hæc naturæ depravatio cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati — qua ad malum natura sua propendet, ex mente conditorum Articuli, non aliud est quam ipsa prava concupiscentia; quæ, juxta illos, iram Dei & damnationem meretur.

2. In ipsis renatis, hoc ipsum vitium, & hæc ipsa depravatio naturæ, qua caro concupiscit adversus spiritum —— dicitur manere in ipsis renatis & in iisdem rationem habere peccati, fatente Apostolo, ut pronuntiat Articulus.

Horum utrumque jam demonstrandum est.

Et quidem primo ostendendum est, concupiscentiam pravam in non-renatis esse peccatum veri nominis, contra modernos Jesuitas, Bellarminum, & alios. [supra.]

Et quidem primo ex Scripturis. Secundo, ex rationibus ex Analogia fidei petitis.

Primo, Ex Scripturis, ex Præcepto Decalogi ultimo. Non concupisces] Ubi immediate & proprie prohibentur ipsi primi & involuntarii motus concupiscentiæ, cum lex immediate prohibeat vitiosos actus, sed quia Actus isti involuntarii, totam suam vitiositatem habent ab ipso fomite, seu morbo habituali concupiscentiæ, hinc est quod & ipse fomes hic prohibeatur, licet immediate, utpote fons & scaturigo unde omnes vitiosi involuntarii motus immediate fluunt. Hoc idem evincitur ex Apostolo ad Rom 7. 7. hoc ipsum mandatum citante & explicante. Peccatum non cognovi nisi per legem, Nam concupiscentiam nesciebam [esse sc. peccatum] nisi lex diceret, Non concupisces] Ubi per ἐπιθυμίαν intellexit Apostolus ipsos primos & involuntarios motus, qui proxime hic prohibentur, remotius autem ipse fomes, unde isti motus scaturiunt & oriuntur: Hanc utramque ἐπιθυμίαν vult Apostolus esse peccatum proprii nominis, ideoque ait, Concupiscentiam nesciebam, (esse sc. peccatum,) nisi lex dixisset, Non concupisces.

Hic primo dicit Apostolus se cognovisse peccatum per legem. Secundo, Peccatum illud appellat concupiscentiam; Tertio, Legem per quam cognovit, dicit esse præceptum, Non concupisces. Ubi concupiscentiam esse peccatum asserit Apostolus, quia prævaricatio est divinæ legis, Non concupisces. Ex quo intelligitur Apostolum per peccatum intellexisse peccatum proprie dictum, quippe cum omnis legis prævaricatio sit peccatum proprie dictum.

Bellarm. lib. 5. de Amiss. grat. & stat. peccati, ut occurrat huic argumento, fatetur peccatum hoc loco proprie accipi (i. e.) pro vera legis prævaricatione; sed concupiscentiam non accipi, aut pro involuntariis motibus, aut horum fonte seu fomite, habituali prava concupiscentia; sed pro actu voluntario concupiscendi, qui (inquit) prohibetur lege, Non concupisces. Idque probat primo ex contextu Apostoli qui cum dixisset legem non esse peccatum (i.e.) causam peccati, sed esse causam cognitionis peccati, probavit ex eo quod non cognoscebant hominis actus interiores, ut desiderium uxoris; vel rei alienæ, esse peccata: nisi lex dixisset, Non concupisces.

Secundo,

Secundo, Ex loco Euangelii Matth. 5.28. *Ubi,* inquit Christus, *Qui aspicit mulierum ad concupiscendum eam, jam dum mœchatus est cum ea in corde sua.* Quæ dixit Christus contra perversas Pharisæorum opiniones; qui easdem docebant, flagitia interna non esse peccata, id quod probat ex Josepho Antiquit. 12. c. 13. qui scribit motum internum non esse peccatum, nisi externis se prodat. Item ex Davide Kimchi in Psalm. 66. vers. 17. ubi illud, Iniquitatem si aspexi in corde meo, non audiet dominus, (*i.e.*) non imputabit ad peccatum desiderium in justum, si tantum sit in corde.

Sol. Primo, Certum est hoc præcepto prohiberi non actum voluntarium sed actus involuntarios, & primos concupiscentiæ motus; nam cum lex dicat οὐκ ἐπιθυμήσεις non concupisces, prohibet ipsum pravum actum, nec de consensu quicquam adjiciat: temerarium est vim prohibitionis obligatoriam ab ipso motu avellere, & ad voluntatis consensum solum restringere. Secundo, Illos concupiscentiæ motus hoc præcepto prohiberi vult Apostolus, qui non nisi Decalogi præcepto intellexisse potuit esse veri nominis peccatum, imo quam intellexisse non potuit esse vere peccatum, nisi hoc ipso ultimo præcepto? At vero voluntarium concupiscendi actum esse veri nominis peccatum vel lumen ipsum naturæ dictat. [supra.] Ipsi Philosophi, Plato, Aristoteles, Plutarchus, Seneca & cordatiores quique Gentiles, imo omnes ipsos voluntarios motus concupiscentiæ, damnabant, ut voluntariam appetitionem alienorum bonorum, ut fundi, aut domus, aut bovis, ipsum internum morbum avaritiæ; ipsam item interiorem appetitionem Honorum, dignitatum per ambitum alienarum. Hinc contra ambitum latæ legis, Politia, Linsia, Licinia, Pompeia, Julia, & aliæ plæraque. Atque utcunque leges istæ latæ sunt contra ambitum externis testatum, exterioribus actibus, ut largitionibus favoris aucupio, & id genus alia, tamen cordatiores Gentiles, ipsum interiorem cordis ambitum & honorum deordinatam appetitionem improbant; internam item cordis avaritiam, & alterius uxoris internam concupiscentiam. Ergo cum Apostolus dicat se nescivisse τὴν ἐπιθυμίαν esse peccatum, nisi lex dixisset, Non concupisces, certum est Apostolum velle, hic damnari non tantum, illam concupiscentiam voluntariam quam Philosophi & cordatiores Gentiles damnabant; sed etiam motus concupiscentiæ pravos involuntarios, quos sola lex divina damnat & improbat. Id ipsum dictat ipsius conscientiæ dictamen, Ethnicis, & Paganis internos motus voluntarios, quibus appetunt alterius uxorem, aut fundum, aut domum, esse illicitos, & Deo cor inspicienti ingratos & exosos; idque Apostolus clare docet Rom. 2. 15, 15. Ubi Gentes quæ legem [scriptam] non habent —— ostendere opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam excusantibus] vult se Apostolus in corde humano Deum tribunal erexisse, legesque in ejus tabulis inscripsisse digito suo, rationem constituit judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, affectiones, intentiones, in memoriæ thesauro repositas, quæ vel accusant vel excusant hominem reum.

Atque hoc est quod Menander olim cecinit cum dixit Βροτοῖς ἅπασι συνείδησις Θεός. Mortalibus cunctis conscientia est Deus (*i.e.*) instar vel vice Dei in nobis judicans; & Seneca lib. 5. Epist c. 8. *Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum aures que vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala etiam in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt qui facis, omnes sciant. Si turpia quid refert neminem scire cum tu scias. O te miserum si contemnis hunc testem.* Et lib. 2. Controvers. *Aliter Deorum numini subjecta unius cujusque conscientia est, aliter nostræ æstimationi. Nos tantum quæ sunt palam videmus; illi etiam quæ secreta sunt.* In quibus sunt pravæ cogitationes, intentiones & inclinationes & affectus interiores.

Cicero tertio officiorum. In liberis civitatibus existimat regnandi cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari potest.] Vult regnandi cupiditates præ insita turpitudine in se esse vituperabiles. Juvenalis Satyræ 13. circa finem.

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet —— —— ——

Ipsi ergo Pagani solo lumine naturali illustrati, turpes & inhonestas cogitatio-

 nes,

nes, affectiones & intentiones voluntarias damnabant & improbant.

Tertio, Apostolo aliud est inesse peccatum concupiscentiæ homini, aliud ejus desideriis obedire, Rom.6.12. Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore ut obediatis ei in concupiscentiis ejus: aliud habitualis concupiscentia; aliud est desideriis ejus obedire; hoc fit, ubi consensus ejus motibus accedit; at vero ipsa habitualis concupiscentia & ejus primi motus peccati nomine insigniuntur. Ad Gal. 5. 16. aliud est Carnem contra Spiritum concupiscere; aliud concupiscentias carnis perficere—— Jacob etiam primo concupiscentia instat, allicit, inclinat, suggerit &c. postea accedente consensu concipit peccatum.

Utrumque tamen peccatum est, illud tamen ad Originale videtur reducendum, & ultimo mandato proprie prohibetur; hoc vero in aliis mandatis prohibetur.

Quarto, Christus [Matth.5. [vide supra] docet concupiscentiæ actum voluntarium, quatenus castitati cordis repugnat, prohiberi mandato septimo, ubi ait, Qui viderit uxorem proximi sui ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo, & similiter concupiscentia domus, agri, bovis reducitur ad mandatum octavum non ad mandatum ultimum, & Apost. Joann.1. Joan.3. 15. internum proximi in corde odium, ad homicidium reducitur, ex quibus pateat; aliam concupiscentiam damnari mandato ultimo. Illa autem alia non esse potest, quam motus involuntarii concupiscentia, & ipsorum radix & fons, habitualis prava concupiscentia.

Quinto, Hujus interpretationis Author Tertul. lib. de pudicitia; Lex non concupiscendi Origines delictorum (i.e.) concupiscentias & voluntates non minus quam facta condemnat. Hujus item interpretationis nostræ Author est Augustinus variis in locis; ut de nuptiis & concupisc. lib.1. c.29. Multum boni facit, qui facit quod scriptum est post concupiscentias tuas non eas: sed non perficit quia non implet quod scriptum est, Non Concupisces. Et in Epistol. 203. ad Asollicum.

Lex, dicendo non concupisces, id posuit, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.

Anselmus per peccatum, Rom.7. 8. *Peccatum accepta occasione per mandatum legis operatum est in me omnem concupiscentiam*; per peccatum intelligit fomitem peccati.

Hugo de S. Victore in annotat. elucidatoriis quæstionum in Epist. ad Romanos quæst.170. in illud. Nam concupiscentiam nesciebam, &c. Quæritur, inquit, de qua concupiscentia hoc dicat Apostolus? Solutio, In responsione hujus quæstionis Moderni Doctores dissentiunt. Alii enim dicunt quod primos motus prohibet lex. Alii vero dicunt quod consensum —— postea solvit in Resp. ad Quest. 171. Augustinus, inquit, ostendit aperte, quid sit quod Apost. nolebat [ubi dicit, facio quod nolo] & tamen faciebat, motum sc. concupiscentiæ sentiebat: sed tamen non consentiebat; imo non sentire volebant. Unde liquet (inquit Hugo) quod primos motus concupiscentiæ lex prohibet, Pergit quæst. 173. & quærit quare Deus vel prohibuit quod non potest vitari, vel præcœpit quod non valet impleri? videtur enim crudelis vel non æquus; & pulchre respondet, Ut superbum humiliaret, & cœcum illuminaret, & sic dignum ad gratiam suscipiendam præpararet. In hoc quod prohibuit quod nemo potest vitare, & præcepit quod nullus facere potest, ostendit quæ sit perfectio divinæ justitiæ & quid juste Deus ab homine exigere possit.

Estius in locum, in illud, Non concupisces] Docet quod plærique nesciunt latentem in corde concupiscentiam esse peccatum——& postea docet concupiscentiam, de qua agit hoc præceptum, esse deordinationem quandam, & pravam inclinationem totius appetitus humani, & non solius sensualitatis; & explicans illud in vers.8. sequent. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.] sic interpretatur. Concupiscentiæ vitium in me latens, occasione mandati, Non concupisces, per illud ipsum excitavit & produxit in me omne genus pravorum desideriorum, ac si dicat, multo latius grassari cœpit, quam ante, tanquam ipsa prohibitione lacessitum.

Deordinatio virium animæ seu prava concupiscentia pugnat cum lege primæ institutionis humanæ naturæ, ergo est peccatum proprii nominis. Licet enim in brutis animalibus & plantis [p 15. l. à fine 1c.]

Accedant rationes ab Analogia fidei petitæ.

Hæc prava concupiscentia seu deordinatio virium animæ in quibus sita est Originalis justitia, est Deo odiosa & exosa in homine non renato: Ergo est veri nominis peccatum.

Conseq. patet, quia Deus nihil odio habet præter peccatum.

Antecedens probatur. Primo, Quia est deformatio & destructio illius imaginis Dei ad quem homo à Deo conditus est. Quid autem Deo magis exosúm esse potest, quam operis sui tam eximii depravatio?

Secundo, Est radix omnium malorum & fons unde omnimoda vitia scaturiunt; est instar arboris malæ & putris quæ bonos fructus proferre nequit. Matth. 7. 18. & de corde [sc. hoc vitio infecto,] exeunt cogitationes malæ, homicidiæ, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæ sunt quæ coinquinant hominem. Mat. 15. 19, 20. ad malum incitat, & legi Dei repugnat, ideoque odio habenda, tanquam vitium nos abducens atque avertens ab eo quod summe amandum est; Porro incitat & solicitat ad peccatum, ut recte Estius, non tantum suggerendo quod malum est, quomodo Diabolus & mali homines ad peccatum solicitare dicuntur; non per accidens & occasionaliter tantum, suscitando in homine mala desideria, quomodo vinum aut crapula, aut objective tantum ut speciosa forma Batshebæ Davidem ad libidinem; aut Pallium Babilonicum, & auri virga Achanem ad furtum invitabant; speciosa forma mulieris ad libidinem, aut aurum conspectum, ad furtum incitat: sed per se & suapte natura, & proprio suo actu interius commovendo, inquietando & perturbando. *Agit autem quid* (inquit Augustinus) *nisi desideria mala & turpia? non enim si bona & licita essent eis obedire prohiberet Apostolus, dicens, non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus. Non enim ait, ad habenda desideria ejus, sed ad obediendum desideriis ejus.* De Nuptiis & Concup. lib. 1. cap. 27. & alibi Concupiscentia carnis nihil aliud est quam desiderium peccati, de perfect. justit. Ratiocin. 12.

Hoc idem evincitur ex illa deordinatione virium quæ inest ex lapsu pugnante formaliter, & quidem positive, cum illa debita subordinatione virium quæ inerat homini ex lege primæ institutionis humanæ naturæ.

Erat autem in homine in prima sua institutione triplex rectitudo:
1. In superioribus animæ potentiis.
2. In inferioribus.
3. In corporis membris.

Consistit autem hæc rectitudo in triplici subordinatione harum virium.

Et quidem primo in perfecta subordinatione superiorum animæ potentiarum, intellectus & voluntatis, Deo ejusque legi: intellectus quidem per perfectam Dei legisque ejus notitiam; voluntatis item per plenam & absolutam obedientiam legi Dei claræ cognitæ præstitam.

Secundo, In subordinatione partis inferioris potentiarum (*i. e.*) appetitus sensitivi, tam concupiscilis quam irascibilis, absque ulla pugna aut renitentia, superiori parti.

Tertio, In subordinatione omnium corporis membrorum voluntatis seu rationis imperio, quatenus ad nutum ejus obtemperarent, non nisi ad jussum ejus moverent. Deordinationes autem dictarum virium totidem sunt rami Originalis curvitatis injustitiæ, ac peccati; & quidem primo, deordinatio superioris partis animæ, intellectus & voluntatis, quæ Deo conditori & ejus legi non conformantur aut subordinantur, sed contra legem primæ instituionis à Deo habitualiter aversi sunt, ei debitam subjectionem subtrahere detrectant aut etiam moram gerere recusant, est perversitas magna, est & perversitas Originalis, superioris rectitudinis primæ parti ex adverso opposita.

Et quidem in intellectu deordinatio multiplex. Primo, Ignoratio habitualis, rerum debitarum & cognitu necessariarum in quibus sunt ignoratio ultimi finis (*i. e.*) veræ beatitudinis, & mediorum, per quæ ad bonum beatumque finem perducimur, Epes. 4. 18.

Secundo,

Secundo, Tarditas ad fidem adhibendam divinitus revelatis. Hinc illa exprobatio Servatoris, ubi compellat duos discipulos qui ad Emauntem profecti sunt. Luc. 24. 21. O tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ.

Tertio, Habitualis curiositas, quæ, definiente G. Parisiensi, est libido cognoscendi non necessaria, & quorum cognitio nihil operatur aut adjuvat ad salutem [de tentat. & resist. cap. 1.] aut occulta & arcana, quæ scrutari fas non est, aut aliena facta ac præsertim errata, potius quam sua, inspiciendi. Hanc curiositatem appellat Parisiens. *Prostitutionem virtutis rationalis, passim quamcunque veritatem propter seipsam amplexantis, & cum ea libidinantis, & propter hoc, thorum, ad quem solum primam veritatem admittere debuit, fornicatione vel adulterio cum ancilla, vel pedissequa polluentis.* Hæc paris. ut supra.

Quarto, Est error, siquidem intellectus errori in rebus dijudicandis obnoxius est, ex innata ignorantia habituali. Hinc Augustinus in Enchirid. c. 24. Hoc primum est creaturæ rationalis malum (*i.e.*) prima privatio boni: deinde etiam jam nolentibus subintravit ignorantia agendarum, & concupiscentia noxiarum quibus comites subinferuntur error & dolor, & Author de vocat. Gentium lib. 1. c. 3 Ubi de Originalis vitii effectibus. Inde multiplex corporis animique corruptio, inde ignorantia & difficultas, inde curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores & id genus alia. Cecinit Juvenalis olim Satyra 10.

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usque
Aurorem & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa remota
Erroris nebula: quod enim ratione timemus?
Aut cupimus? —— ——

Ex istis cernere licet quot deordinationes occurrant in ipso intellectu; & quantum illa facultas recessit ab illa rectitudine quam accepit cum Primitus homo conderetur. In voluntate deordinatio etiam multiplex.

Primo, Malitia est illa innata, quam Scholastici statuunt esse peculiare vulnus voluntatis, qua propensa est ad ommimoda mala. Hanc malitiam vult Medina esse odium rerum cœlestium & spiritualium. Et quidem certum est mirare quandam perversitatem inesse voluntati, qua ad verum Dei cultum tardissima est, imo ab eo plane aversa: ad colendos autem falsos Deos promptissima, tametsi nihil omnino de eorum divinitate cognoverit. Id quod exemplo Israëlitarum Dei populi, ex sacris literis satis constat. Philosophi item etsi per ea quæ facta sunt Deum verum cognoverunt, teste Apostolo ad Romanos 1. non tamen sicut Deum glorificaverunt.

Secundo, Hæc voluntatis deordinatio elucet in illa difficultate, quam omnes experimur in vitiis expugnandis, & virtutibus excolendis. Hinc est quod homines lætentur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, inquit Salomon, Proverb. 2. & bibunt sicut aquam iniquitatem Job. 15. Hinc multiplices illæ pœnæ quas tum in parvulos, tum in adultos cogimur exercere, ut homines vel inviti coerceantur à vitiis. *Quid enim* (inquit Augustinus) *sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? quid Pædagogi, quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, quæ Scriptura sancta dicit, dilecti filii latera esse tundenda ne crescat indomitus, domarique tam durus, aut vix possit; aut fortasse non possit? quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia & prava cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc sæculo vivimus.* Hæc Augustinus de Civit. Dei 22. cap. 22. hanc ipsam difficultatem innuunt majora illa tormenta, quæ legislatorum severitas pro majoribus excogitaret; cruces, secures, patibula, rotæ, ignes, & id genus alia, nisi ejusmodi pœnas omnino esse necessarias. En quanta difficultate vitia coercentur, en insignem voluntatis in hac sua perversitate deordinationem! Tertia voluntatis deordinatio cernitur in innata illa φιλαυτία & proprio amore qui dominatur in voluntate usque ad contemptum Dei. De quo Augustinus de Civit. Dei lib. 14. c. 28. Hinc idem Augustinus de Civit. Dei lib. 22. cap. 22.

cap 13. Quid amor ipse tot rerum vanarum & noxiarum? ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallatia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta; (& id genus alia quæ fuse ibidem enumerat Augustinus) En hujus φιλαυτίας fructus numerosos, eosdemque amarissimos. Accedat hisce quarta deordinatio, fastidium proprii status. Magnum enim argumentum est corruptionis voluntatis humanæ, quod nemo sorte sua contentus vivat. Sed, Laudat diversa sequentes, ut canit poeta. Id enim signum est ægritudinis manifestæ, & corruptæ voluntatis certum argumentum] Ex dictis satis luculenter constat, quot & quantæ sunt voluntatis deordinationes, & quantum recessit ab illa subordinatione, qua Deo & ejus legi per plenam & absolutam obedientiam plenarie sese morigeram præbuit, absque omni vel rebellionis vel renitentiæ specimine.

Secunda rectitudo quæ primitus hominis in prima naturæ suæ institutione inerat, constitit in subordinatione inferioris partis animæ superiori (*i.e.*) appetitus sensitivi; tam concupiscibilis quam irascibilis, absque ulla pugna aut renitentia voluntatis imperio. Sed en mutatam rerum faciem. En in appetitu sensitivo insignem deordinationem, & quidem in appetitu concupiscibili, justitia Originali remota, illud vitium succedit, quo appetitus ille contra rectam rationem & Dei legem effreni inclinatione præceps fertur ad ea quæ sensibus jucunda sunt, etiamsi turpissima fuerint & maxime inhonesta; quod vitium appropriato nomine Concupiscentia dici solet. Similis deordinatio item occurrit ex remotione primævæ justitiæ in appetitu irascibili, per quam inordinate se habet appetens ad bona persequenda, ad mala fugienda, vel repellenda; quæ, juxta scholam, Infirmitas dici solet.

Hanc utramque deordinationem, sc. concupiscentiam & infirmitatem, esse veri nominis peccatum in non renatis, vel inde demonstratur. Certum est hominem in naturali sua conditione, & primæva institutione habuisse legem menti inscriptam quæ bona est, quæ dictat in Thesi quid probum, quid improbum, quid pium, quid impium, quid honestum, quid turpe: & illud quidem agendum, hoc autem evitandum. Hæc enim lex in superiori hominis parte, digito Dei conscripta est. Rursus aliam legem superiori contrarium sentit homo in membris suis & inferiori animæ parte, quæ cum ad obediendum superiori sit nata, audet tamen imperare. Hinc schisma & bellum intestinum in uno eodemque homine, & quod valde præposterum est. & summe perversum, cum quid agendum proponitur, plerumque evenit, ut illa hominis pars, quæ dictat meliora, succumbat, & sequatur illam quæ tota ad deteriora propendet. Hinc illud Medeæ —— *Video meliora proboque,*
Deteriora sequor. & illud ———— ———— *aliudque cupido;*
Mens aliud suadit ——— hoc ——— Et quis non hoc bellum intestinum in se experitur? Quis non hoc ut vere iniquum & summe perversum dictante recta ratione, & indicat, & merito etiam detestatur? vid. Concion. Latin. Jan. 12. 1634. p. 45. b. 46. Hinc August. compellans Julianum l. 5. c 3. Sect. *Prudenter super os profecto esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori, atque meliori.* Et eodem capit. Concupiscentiam carnis, peccatum dicere non dubitat, qui inest illi inobedientia contra dominatum mentis.] Et l. 6. c 8. *Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine, vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.*

Tertia rectitudo quæ in privata institutione humanæ naturæ cernebatur in subordinatione omnium corporis membrorum, voluntatis seu rationis imperio. At post lapsum remota hac rectitudine, in ejus locum successit illa deordinatio turpis admodum, qua corporis membra voluntati & rationis imperio primitus morigera, & ad nutum eorum obtemperare assueta, nec nisi ad eorum jussum moveri solita, jam, excusso quasi jugo, subjici recusant, nec amplius voluntatis imperio, sed ardore libidinis commoventur. Dedecet recte humanam naturam hæc inordinata libido, quam velut turpem erubescibit, quoniam turpe est inferiora superioribus contumaciter obluctari; quemadmodum in domo turpe reputatur, si maritus & uxor adversus se dissentiant.

Hanc

Hanc ipsam deordinationem membrorum qua ad imperium voluntatis non sunt morigera in non-renatis, esse veri nominis culpam, ex passione erubescentiæ evincit Augustinus; vide supra, inter alia: item ex iis evincitur quæ afferuntur in vindicat. duodecimæ rationis Stapleton. p.55.

Superest hoc unicum in hoc Articulo p.187. Ut illud vitium seu naturæ depravationem —— qua fit ut quilibet homo ex Adamo naturaliter propagatus ad malum sua natura propendeat, seu, quod proinde est, pravam concupiscentiam non esse morbum naturæ & languorem nudam ex naturæ principiis fluentem, malum item naturale, aut peccatum materialiter duntaxat sumptum, contra Bellarminum, Jesuitas & Remonstrantes, demonstremus; sed ejusmodi vitium quod in unoquoque nascentium, iram Dei atque damnationem mereatur, ut habet Articulus *(i e.)* quod veri nominis peccatum sit: & vere sit pars Originalis peccati.

Hoc dogma eo diligentius à nobis demonstrandum est & à Romanensium Cavillis & objectamentis asserendum, quo magis facit ad insitæ superbiæ nostræ deturbationem, veræ humilitatis ingenerationem, divinæ denique sapientiæ evidentissimam declarationem. Inde enim cuilibet constare possit, quantam ruinam perpessa sit natura humana ex lapsu Adæ; quanta inde irrepsit turma vitiorum, ut loquitur Prosper. cont. collat. cap. 21. inde etiam constat de justitiæ nostræ tam inhærentis quam actualis quamdiu hic vivitur, tum imperfectione tum obliquitate, & quam impares sumus mandatis Dei integre implendis, ut inde erudiamur tum ad humilitatem, tum ad gratitudinem.

Nos hujus rei demonstrationem in superioribus prælectionibus aggressi sumus. Ubi primo in loco quid per concupiscentiam intelligendum sit explicavimus, quid itidem per carnem & Spiritum in loco ad Galat. 5.17. in Articulo citato intelligendum sit. Secundo suscipimus in nos ipsius conclusionis in Articulo positæ demonstrationem; depravationem sc. naturæ, seu pravam concupiscentiam esse veri nominis peccatum, tum

in { Non-renatis. / Renatis etiam. }

Et quidem primo in non-renatis id ostendimus ex Scripturis. Secundo, Id ibidem demonstrare incepimus ex rationibus ab Analogia fidei petitis.

Primo, Quod hæc depravatio virium animæ, sit Deo odiosa & exosa in homine non-renato.

Secundo, Ex eo quod illa deordinatio virium animæ, quæ inest homini ex lapsu pugnet formaliter etiam positive cum illa debita subordinatione virium animæ quæ inerat homini ex lege primæ institutionis naturæ humanæ.

Sed hic insurgunt Jesuitæ & imprimis Bellarminus libro quinto de amiss. gratiæ & statu peccat. c. 14. Ubi ait, Depravationem naturæ humanæ non esse conformem legi divinæ, si agatur de lege in universum; non autem si agatur de lege cujus prævaricatio inducit reatum, sitque peccatum proprie dictum.

Sol. Respondeo certum est depravationem seu deordinationem naturæ humanæ in potentiis reatus capacibus (quales sunt superiores animæ potentiæ & appetitus sensitivus hominis) non esse conformem legi divinæ, nec primæ institutioni non legi naturali aut morali, ac proinde iis legibus quarum prævaricatio inducat reatum, & peccatum est proprie dictum, quare falsissimum est quod subjungit ibidem Bellarminus, depravationem voluntatis quæ denotat aversionem à Deo, esse vere peccatum non autem depravationem quæ est in intelligentia vel in carne, aut etiam pronitatem voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, & difficultatem ejusdem obsequendum Deo, non esse contra legem ullam cujus prævaricatio sit peccatum proprie dictum. Hæ omnes enim depravationes & deordinationes sunt per se & sua natura peccata proprii nominis, reatum personæ sua natura inducentia.

Quod

Quod ut amplius constet perpendenda est cognatio inter legem { 1. Primæ Institutionis. 2. Naturæ. 3. Moralem Scriptam.

Primævæ Institutionis Lex erat rectitudo illa quam Deus indidit singulis animæ potentiis, unde habiles, idoniæ & promptæ evaserunt ad cultum Deo exhibendum secundum actiones determinatas sui generis. Unde lex primæ institutionis exigebat creaturæ, in quibus erant, ut potentiæ susceptivæ peccati maneant conformes primitivæ suæ institutioni, & retineant sanctitatem & justitiam habitualem quam Deus ipsis primitus indiderat. Hinc imputatur Angelis, quod Originem suam non servarunt, Judæ vers. 6. Hinc jubemur ut imaginem Dei ad quam facti sumus restauremus. ad Ephes 4. 23, 24.

Lex naturæ est dictamen rationis practicæ. Dictat autem ratio practica ut creatura rationalis conservat seipsam in suo statu, quem à Deo acceperat.

Lex moralis est regula justitiæ imperans actiones illas ad quas primævæ Institutionis Lex hominem habilem, idoneum & promptum effecerat, ac prohibens contrarias. Sed & Lex Moralis non tantum est regula actuum sed & inclinationum, & habituum, qua fontes sunt & principia actionum. Unde non solum actos, sed & habitus vitiosos improbat & damnat, utpote Deo displacentes, & in se vituperabiles, etiam inter dormiendum, vide supra. Indita est cuique naturæ propensio ad sui ipsius conservationem in suo Esse, & certe multo magis creaturæ rationali.

Sed & Lex Moralis exigebat conservationem justitiæ Originalis, postquam Deus eum in statu Originalis justitiæ condidisset.

In hoc ergo conveniunt triplex hæc lex { Primæ Institutionis. Naturalis cordi inscripta. Moralis scripta. } quod

Unaquæque lex exigit conservationem istius justitiæ quam Deus hominiindiderat in prima institutione suæ naturæ.

Nam primo lex primæ Institutionis hoc postulabat, ut sese creaturæ rationales conservarent in eo statu primitivo in quo à Deo conditæ sunt, idque sub pœna reatus in statu nimirum justitiæ Originalis; unde & peccatum Originale recte definitur, Carentia justitiæ Originalis debitæ inesse, & Angelis ideo vitio vertitur eorum Apostasia, quod non servarint suam Originem. Judæ vers. 6. Id quod pariter dicendum est de naturæ depravatione inde secuta.

Cum enim Deus formavit Adamum & ornavit eum Originali justitia, non solummodo, ut personam singu'arem, sed ut communem radicem humani generis, ipso facto jussit eum & omnes ab illo oriundos, tales esse quales facti sunt, tales manere idque sub pœna reatos secuturi nos omnes experientia calamitiosa nimis & infelici edocti sumus, ex lapsu Protoplasti.

Lex item naturæ id ipsum exigebat, quæ non aliud est, definiente Hugone lib. 1. part. 6. cap. 7. quam ipsa discretio naturalis quæ intrinsecus inspirata est ut per eam homo erudicatur de his quæ sibi vel appetenda vel fugienda fuerunt, discretio autem naturalis imprimis dictat creaturæ rationali, ut seipsum conservat in suo statu, idque primo in loco appetendum esse, & contrarium plane fugiendum esse, sub pœna reatus, omnis enim cognitio certa, quam habet creatura rationalis de agendis & vitandis naturaliter ingenitam, vim legis habet. Idque confirmatur ex Aug. l. 22. co. Faust. c. 27. *Peccatum est dictum vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Moxque quid per æternam legem intelligat exponens subjicit. *Lex vero æterna est ratio Divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Hujus autem legis æternæ, lex naturalis imposita in creaturæ rationalis mente, est proximus & immediatus effectus utpote quæ non aliud est quam recta ratio. Cum vero Divina ratio semper rectissima sit, Omne quod est contra æternam legem est contra rectam rationem, & quicquid est contra aliquam rectam rationem, est & contra quamlibet rectam rationem de eodem. Nam circa idem quælibet recta

ratio cuilibet rectæ rationi consonat & nulla alicui adversatur, sicut nec veritas veritati, quare quicquid est contra rectam rationem est contra legem æternam, ac proinde peccatum veri nominis. Quare carentia Originalis justitiæ debitæ inesse merito imputatur creaturæ rationali & veri nominis peccatum est. Et inde secuta naturæ rationalis deordinatio in potentiis animæ reatus capacibus, nostra culpa introducta. Idem Augustinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 18. dicit veri nominis peccatum esse ubi receditur ab eo modo quo naturaliter facti sumus.] Ergo creaturæ rationalis vere peccatum est ubi receditur ab eo statu in quo conditus est, & quidem peccatum contra legem naturalem cordibus inditam & ingeneratam.

Lex denique moralis scripta quæ eadem erat in statu innocentiæ cum lege naturali menti inscripta, non minus exigebat conservationem justitiæ in qua conditi sumus quam lex naturalis. Cum in statu innocentiæ utraque eadem erat lex unde & ejus carentiam utraque lex damnat, neque solam carentiam sed & inde secutam creaturæ rationalis deordinationem & depravationem.

Hisce præmissis de cognatione inter hasce tres leges dicimus deordinationem & depravationem naturæ humanæ non fuisse conformem hisce tribus legibus, ac hanc inconformitatem induxisse verum reatum humano generi.

Concedit Bellarminus depravationem voluntatis quæ denotet aversionem à Deo esse vere peccatum non autem depravationem quæ est in intelligentia vel in carne, aut etiam pronitatem voluntatis ad obsequendum desideriis carnis & difficultatem ejusdem ad obsequendum Deo non esse contra legem ullam, cujus prævaricatio sit peccatum proprie dictum.

Sol. At contra certum est, non solam depravationem voluntatis, quæ denotat aversionem actualem à Deo, esse vere peccatum, sed & aversionem habitualem, utpote quæ formaliter pugnat cum rectitudine voluntatis habituali, cum quo conditus est primus homo; quod enim formaliter pugnat cum rectitudine concreta quæ inerat voluntati ex lege primæ institutionis, id ipsum necesse est ut sit curvitas culpabilis & merito vituperio dignum, si nostro demerito contrahatur, ejusmodi est aversio habitualis voluntatis, sive illa sumatur pro sola privatione justitiæ Originalis, sive macula; quomodo accipit Bellarminus lib. 5. de Amiss. Grat. & Statu Peccati cap. 19. sive etiam includat pronitatem & præcipitem inclinationem ad omnimoda mala. Nam si primo modo sumatur aversio habitualis, pro sola privatione justitiæ Originalis, seu macula cum privative opponatur Originali justitiæ; formaliter eidem opponitur, privative enim opposita formaliter opponuntur. Atque hoc modo sumpta aversio habitualis est veri nominis peccatum. Id quod Bellarminus ipse non semel, sed sæpius fatetur. sic enim scribit de Amiss. Gratiæ & Statu Peccati lib. 5. cap. 19. Sect. *Igitur privatio,* inquit, *doni justitiæ Originalis peccatum Originale dicitur, quatenus idem est cum aversione Dei habituali. Nam quemadmodum anima seu voluntas dono illo prædito conversa dicitur ad Deum & justa habitualiter; sic etiam dono illo privata non conversa & non justa dicitur; & si ipsa se à Deo averterit, & donum illud excluserit, aversa & injusta optimo jure dicitur.* Ubi diserte ait aversionem habitualem, si sumatur pro sola privatione justitiæ Originalis seu macula, esse ipsum peccatum, cum peccatum Originale, ac proinde veri nominis peccatum, cum peccatum Originale sit vere peccatum.

Pergit Sect. Probatur. *Probatur secundo quoniam ex omnibus quæ remanant in anima peccatoris, transeunte actu peccati, nihil est quod propriam peccati rationem habere possit, nisi privatio justitiæ, sive aversio & macula quæ unum & idem sunt.* Ubi vult post transeuntem actum peccati aversionem habitualem propriam peccati rationem habere, utpote quæ eadem sit cum privatione Originalis justitiæ & maculi quæ sunt peccatum. Et eodem capite Sect. Restat.

Restat igitur aversio habitualis, quæ proprie peccatum sit. Nam ut peccatum actuale est aversio actualis à Deo & ejus lege, ita peccatum habituale, est aversio habitualis à Deo & ejus lege. Et sicut peccatum actuale est privatio rectitudinis actualis: Ita peccatum habituale est privatio rectitudinis habitualis, quæ est habitus gratiæ. Et sicut peccatum actuale est voluntarium actuali voluntate, ita peccatum habituale est voluntarium habituali voluntate. Hic itidem Bellarminus vult aversionem

sionem habitualem esse proprie peccatum, quia est habitualis aversio à Deo & ejus lege. Et quia voluntaria est, habituali voluntate; quod sufficit juxta illum ut aliquod dicatur veri nominis peccatum.

Si autem aversio habitualis ita intelligatur ut includat in sua notione præter privationem justitiæ Originalis, pronitatem voluntatis & præcipitem inclinationem ad omnimoda mala conversionem voluntatis ad creaturas, & hoc modo sumpta formaliter opponitur Originali justitiæ cum contrarie opponatur & positive, quæ autem hoc modo opponuntur, etiam formaliter opponuntur. Atque hoc modo sumpta est proprii nominis peccatum, siquidem deordinatio omnis habitualis in voluntate proprio demerito contracta,est veri nominis peccatum.

Videmus Bellarminum agnoscentem aversionem actualem voluntatis à Deo esse veri nominis peccatum,aversionem item habitualem; sed & addo idem pronunciandum est de conversione voluntatis, tum actuali tum habituali, ad creaturas & bona commutabilia.

Nam quomodo, asserente Bellarmino, aversio actualis voluntatis à Deo,recte dicitur peccatum; sic necesse ut conversionem actualem ad creaturas, seu bona commutabilia, statuamus pariter esse veri nominis peccatum. Siquidem ubicunque voluntas sese avertit à summo bono hoc ipso se convertit ad bonum deterius, ad bonum commutabile. Quare si libera aversio voluntatis quæ se libere avertit à Deo sit veri nominis peccatum, etiam & libera conversio voluntatis ad creaturas, pariter erit peccatum vere & proprie dictum. Ratio manifesta est, quia aversio ab uno termino, & conversio ad oppositum, non sunt duo distincti motus, sed unicus; neque fluunt à duobus diversis principiis, sed ab uno & eodem. Nam ut aversio ab oriente est idem motus cum conversione ad occidentem & idem principium quod inclinat ad aversionem ab oriente hoc ipso simul inclinet necesse est ad conversionem qua tendit ad occidentem; Sic actualis aversio voluntatis à bono summo & incommutabili, est idem prorsus motus cum conversione ad bonum inferius & commutabile; quare cum unum sit proprii nominis peccatum itidem & alterum: vid. Davenant. de habit. justitiæ. c.18. p.293.

Id ipsum pariter dicendum est de aversione habituali voluntatis à summo bono, quam Bellarminus vult esse privationem justitiæ Originalis, seu maculam, atque ideo proprii nominis peccatum ut supra vidimus. Quare necesse est ut idem statuamus de conversione habituali ad creaturas & bonum commutabile: Utque voluntas si ipsa se averterit à Deo, atque adeo justitiam Originalem excluserit, aversa & injusta optimo jure dicetur, testante Bellarmino: ita eadem voluntas si ipsa se converterit ad bonum commutabile, & maneat ad bonum illud conversa, hoc ipso in statu justitiæ & peccati proprie dicti manet etiam ex ipsis Bellarmini principiis. Cum ergo inordinata conversio habitualis voluntatis ad bonum commutabile ex actu voluntatis profecta; sit veri nominis peccatum, necesse est ut simul statuamus, depravationem habitualem voluntatis, juxta verum sensum Articuli, vere peccatum esse, id quod pariter dicendum est de depravatione aliarum animæ virium reatus capacium, quas omnes depravationes nos supra demonstravimus pugnare.

Cum triplici lege { Primæ Institutionis. / Naturæ cordibus inscriptæ. / Morali scripta in tabulis lapidiis.

Objicit primo Bellarminus ubi supra legem primæ Institutionis naturæ non esse eam legem moralem, cujus prævaricatio reum constituit transgressorem. Non enim jussit Deus ut homo nasceretur cum justitia Originali vel hoc aut illo modo, sed instituit naturam sicut voluit, & ornavit iis donis quibus illi placuit illam ornare, & eidem attribuit principiis,ex quibus propagari possit.

Sol. Respondeo, Lex primæ Institutionis, seu ut appellat Hugo lib.1.de Sacram. part. 6. cap.7. præceptum naturæ (*i.e.*) ipsa discretio naturalis quæ intrinsecus aspirata est ut per eam homo erudiretur de his qua sibi vel appetenda vel fugienda fuerunt——cognitio enim hæc faciendorum quid fuit (inquit)nisi quædam ad cor hominis facta præceptio. Quid autem æquius erat quam ut hæc discretio naturalis,

sive cognitio dictaret, ut maneat homo conformis primæ institutioni suæ naturæ, quam ut conservaret bonum justitiæ & sanctimoniæ, quod ipsi Deus primitus indiderat. Illud discretio naturalis dictabat olim Adæ, quod Angelo Ecclesiæ Thyatyrensis præcepit Deus, Tene quod habes.

Id ipsum dictat naturalis ratio cuicunque qui donum aliquod speciale à Deo accepit. Hinc imputatur Angelis malis quod Originem suam non servarint. Judæ v.6. Hæc lex primæ Institutionis erat instar præcepti inditi corde Adami, eratque illa lex ad quam mores suos & actiones formare tenebatur Adam, cujus prævaricatio reum constituebat transgressorem. Ac quamvis non jussit Deus ut homo nasceretur cum justitia Originali, vel hoc aut illo modo, ut nec Angelos desertores, ut eo modo conderentur quo conditi sunt, sed instituit naturam utriusque prout voluit, & ornavit iis donis, quibus illi placuit, illam ornare, jussit tamen utrosque, tum homines tum Angelos ut primæ institutioni conformes maneant, ut custodirent depositum Originalis justitiæ, iis concreditæ ex Lege fidelitatis; ut tenerent quod habebant ex lege discretionis naturalis, idque sub pœna reatus, ut vidimus in Angelis, quibus nullum præceptum speciale datum est ut nascerentur in Originali justitia. Neque enim ullo mandato in sacris literis iis præscribitur, ut donum illud servarent. Illis tamen vitio vertitur quod non servarint suam Originem, & idcirco judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservantur, ut narrat Judas, id quod de homine primo, pari ratione pronunciandum, illum graviter peccasse, quod legem primæ Institutionis naturæ suæ non servaret. Si enim primus homo non tenebatur ad habendam & conservandam Originalem justitiam, neque supplicio digni sunt homines quod illa careant. Nam licet præceptum disciplinæ insuper accepisset Adam, ut de arbore scientiæ boni & mali non gustaret & ob hujus interdicti violationem Deus pœnas serpenti, mulieri, & Adæ irrogavit: ut habetur Gen.4. tamen in hujus interdicti violatione, seu generalis & primordialis hujus Dei Legis, ut Matricis omnium præceptorum, ut appellat Tertullianus [adversus Judæos cap.2.] & lex secundæ Institutionis de conservanda Originali justitia, & tota lex moralis, quasi compendio quodam, violabatur.

" Pergit Bellarminus ubi supra; *Si quando autem contingit, ut aliter cor oriatur*
" *quam Deus instituerat, est quidem in ea re peccatum aliquod naturæ, sed non tale*
" *peccatum, quod supplicio dignum est. Nam non creavit Deus homines cœcos vel*
" *surdos aut claudos, & tamen cum nascuntur aliqui cœci vel surdi, aut claudi, nemo*
" *eos reprehendendos aut castigandos censat, etiamsi non congruat eorum natura cum*
" *lege primæ institutionis.*

Sol. Respondeo, distinguendum esse de potentiis animi, aliæ enim capaces sunt peccati, quod supplicio dignum est; ut intellectus, voluntas, appetitus sensitivus: aliæ non; ut potentia vitalis & pulsatilis, & potentia item motiva & vegetativa. Hac distinctione præmissa, dico si prioris generis potentiæ non fuerunt conformes primæ institutioni, cum conformes mansisse potuissent, merito irrogatur pœna homini sese hujus legi sese non conformanti, sed a lege recedenti, cum penes eum fuerit non recessisse. At longe alia ratio est aliarum potentiarum animæ quæ non sunt susceptivæ reatus aut peccati, ut si quis nascatur cœcus, aut surdus, aut claudus, cum defectu in potentia visus, aut auditus aut vis motricis. In istis sive potentiis animæ, sive corporis membris, si fuerit defectus quibus quis non conformis fuerit primæ institutioni naturæ humanæ: etsi istiusmodi defectus sint ἁμαρτήματα & naturæ defectus, tamen adsunt peccata reatus inductiva, unde nemo ejusmodi defectus merito reprehendere aut vitio vertere potest homini quod non conformis sit in hisce legi primæ institutionis. Ex hisce patet prævaricationem legis primæ institutionis esse prævaricationem legis qua reos peragit prævaricatores, non obstantibus objectamentis Bellarmini.

Objicit secundo Bellarmin. Quod vero attinet ad legem naturæ, quæ jubet ut vitam agamus secundum rationem, quam legem viribus naturæ corruptæ servare non possumus, dico, posse legem illam bifariam considerari, primo ut significat legem moralem, quæ proprie imperat voluntati & sequatur ductum rationis, non consentiat desideriis carnis, &c. Et hoc modo vera lex est, sed ejus prævaricatio

non

non est peccatnm Originale, sed actuale, & ad rem præsentem non pertinet. Secundo, ut significat ordinem & congruentiam naturalem, quæ requirit ut pars superior imperat, inferior subjiciatur, & voluntas sine difficultate rationi obediat, &c. Et hoc modo lex ista naturalis eadem est cum institutione naturæ, contra quam institutionem pugnat rebellio carnis & difficultas voluntatis, sed ea non sunt peccata proprie dicta, sed pœnæ peccati, ut defectus consequentes materiam; quemadmodum se habet rubigo in cultro ferreo.

Sol. Respondeo legem naturæ juxta secundam responsionem revera eandem esse cum lege primæ institutionis, cujus prævaricationem evicimus supra, veri nominis reatum inferre, ac proinde ejus prævaricationem esse peccatum proprie dictum, ubi sc. superior pars animi non est morigera legi Dei, & inferior pars seu sensualis appetitus non obedit rationi, quia superior animæ pars est sua natura libera, cum ipsa voluntas sit formaliter libera, & quia vere libera est vere reum constituit prævaricatorem legis Dei, ac proinde vere peccatorem. Idem dicendum est de sensitivo appetitu qui aptus natus est obedire rationi, ἐπιπειθὴς uti ait Philosopnus, Ethn. 1. ult, ac proinde in homine qui juxta Philosophum est intellectus magis quam sensus, & in quo omnia quantum fieri potest ratione gubernanda sunt, naturale est sensualitati hominis, ut sensualitati, ferri ad delectabilia juxta dictamen & moderamen rationis, atque adeo naturale, ut si non feratur ad delectibilia juxta dictum dictamen veri nominis reatus personæ prævaricanti contrahitur.

Falso igitur dicit Bellarminus: *Rebellionem carnis, & difficultatem voluntatis, quam experitur in se quilibet homo in statu lapsus contra primam naturæ suæ institutionem non esse peccata proprie dicta, sed pœnas peccati & defectus consequentes materiam, quomodo se habet rubigo in cultro ferreo.* Sic Bellarm. Falso (inquam) hæc dicuntur. Licet enim aliarum potentiarum animæ defectus quales sunt ἀπεψία & κακοχυμία, quæ sunt vitia facultatis concoctricis & astma & inæqualis motus pulsus sint vitia facultatis vitalis: & motus tremulus membrorum Paralytici sit vitium vis motricis, licet (inquam) hi defectus sunt pœnæ peccati, non peccata veri nominis; longe alia tamen ratio est defectuum qui insunt in superiori parte animæ & appetitu sensitivo, quales sunt in intellectu ignorantia rerum cognitu necessariarum, & error, in voluntate vulnus malitiæ, seu præceps inclinatio ad omnimoda mala, difficultes item in vitiis expugnandis & virtutibus excolendis; in —— appetitu sensitivo rebellio contra superiorem partem animæ; hi inquam defectus non sunt pœnæ duntaxat, aut defectus consequentes materiam, qualis est rubigo in cultro ferreo, sed defectus culpabiles & merito vituperabiles, & veri nominis peccata. Id quod diserte docet Augustinus lib. 5. contr. Julian. cap. 3. Ubi vult concupiscentiam pravam, quæ denotat juxta Augustin. depravationem tum superioris, quam inferioris partis animæ esse tum pœnam peccati, tum causam peccati, tum etiam vere peccata, vide supra.

De rubigine ferri cultri, vide supra.

Postremo subjicit Bellarminus. *Porro* (inquit) *de lege scripta. Non concupisces, satis multa diximus supra, ubi demonstravimus, eam legem proprie non prohibere, nisi desideria voluntatis, quæ sunt peccata Actualia non Originalia.*

Sol. Respondeo Bellarminum per desiderium voluntatis intelligere voluntarios concupiscentiæ motos duntaxat; at nos supra evicimus in ultimo præcepto Decalogi non solum prohiberi voluntarios motus, sed & involuntarios item motus præsertim, imo & ipsorum fontem, ipsum fomitem, mediate saltem & indirecte, vide supra.

Atque ita vindicavimus secundam nostram rationem ab omnibus Bellarmini cavillis.

Tertia ratio affinis est secundæ, Deordinatio habitualis vitium animæ quæ sunt reatus capaces, est proprie peccatum, quia est ἀνομία (*i.e.*) à lege recessus seu innata, inhærens & permanens in quolibat homine malitia, quem loco & tempore exercet.

Quod enim non est conforme legi, sed ei repugnat est peccatum proprie dictum, definiente Joanne 1 Joan. 3. 4. ἡ ἁμαρτία enim est ἀνομία, peccatum est à lege recessus.

At

At talis est deordinatio habitualis virium animæ reatus capacium, sc. quod eodem recedet prava concupiscentia.

Objicit Bellarminus de Amiss. Grat. & Stat. peccati, lib. 5. cap. 14 p. 15. lin. 13.

Obj. Dices legem moralem cavere tantum de actibus non autem de habitibus aut internis animi inclinationibus.

Sol. Respondeo, Certum est legem Divinam, &c. ut p. 51. l. 20.

Idem etiam proculdubio pronuntiandum de habituali illa prava concupiscentia & effræni & præcepti ad omnimoda vitia inclinatione tum in inferiori tum in superiori animi parte. Hæc enim omnes animi potentias & facultates commaculat & obsturpat, & jam ratione hujus vitiositatis innatæ, homo in sese merito vituperabilis sit & Deo exosus.

Illud etiam adjiciendum est, concupiscentiam pravam in non-renatis magis in sese vituperabilem esse quam aversionem voluntatis habitualem, quam tamen ut supra vidimus, Bellarminus agnoscit veri nominis peccatum esse, id patet multifarium; primo, quia per se & suapte natura & proprio suo actu emittit motus primos & involuntarios, atque ita solicitat ad actuale peccatum, non sic aversio habitualis dicit nudam & meram privationem Originalis justitiæ, quod autem est causa per se actus qui facit hominem vituperio dignum, id ipsum etiam merito vituperabile est: quod enim per se impellit ad malum eadem lege prohibetur qua ipsum malum; ut recte annotavit reverendus Episcopus Daven. de habit. justitia p. 252. Et magis vituperabile quam illud quod non causa ejusmodi actuum, qualis est privatio, cum privationes sua natura sint inefficaces. Secundo deordinatio habitualis potentiæ in supposito actuoso est magis in se vituperabilis, quam nuda aversio habitualis: addit enim insuper aversioni deordinationem habitualem quomodo & morbus addit ad carentiam sanitatis malam humorum dispositionem; quomodo & claudicatio addit ad defectum incessu moventis, deformitatem in incessu. Tertio quia prius natura agit in peccato actuali producendo, conversio actualis ad bona commutabilia, seu quam nuda aversio, quia prius natura ducimur cupiditate ac desiderio boni commutabilis, atque ad illud nos nosmetipsos convertimus, quam avertimus à bono summo & incommutabili. *In actibus siquidem malis* (inquit Estius in 2 dist. 33. Sect. 8.) *nemo avertit se a bono quopiam nisi ductus cupiditate & desiderio alterius boni ad quod se convertit, quod cum priori non potest consistere. Sic Angeli & homines ad propriam excellentiam conversi, eamque plus æquo appetentes à Deo recesserunt. Quod autem in actibus veritatem habet, idem & in vitio habituali prava concupiscentia, ex prima hominis transgressione contracto, conformiter intelligendum est. Ideo enim nascimur aversi à bono incommutabili, quia nascimur curvi & inclinati ad bona commutabilia. Quod congenitum nobis vitium concupiscentiam vocamus.* Hæc Estius. Ex hisce infertur deordinationem seu depravationem habitualem de qua agit Articulus 9 seu, quod eodem recidet, conversionem habitualem ad bonum commutabile esse in se magis vituperio dignam quam nuda habitualis aversio seu carentia justitiæ cum conversio ista sit causa aversionis. Quod autem efficit tale, magis est tale. Vitiosa ergo deordinatio virium animæ, seu pronitas pravæ concupiscentiæ deterior est & magis Deo exosa, quam nuda carentia justitiæ, aut habitualis aversio, cum illa hujus sit causa. Quarto certum est habitum vitiose acquisitum per habitus frequentatos magis in se vituperio dignum esse, & magis culpabilem, quam nudam aversionem habitualem, quia pluribus actibus voluntariis contrahitur, atque ita plus in se habet voluntarii, atque adeo plus deformitatis & peccati. Quod certe pariter dicendum est, de corrupto concupiscentiæ pravæ habitu, & vitiosa illa deordinatione omnium virium animæ, quæ introducta erat in naturam nostram ex enormi illa Adami transgressione prima, prima sc. illa inobedientia in esu pomi vetiti. Enormi (dico) transgressione. Quo enim sanctior est voluntas exorbitans, &c. vide supra.

Quarto, Probatur concupiscentiam pravam in non-renatis voluntate esse proprii nominis peccatum ex malitia habituali effrænata quæ est in voluntate Dæmonum; siquidem illa proculdubio est gravissimum peccatum, Deo & omnibus bonis exosa.

Idem

Idem ergo pronuntiandum de malitia illa habituali quæ inhæret voluntati cujuslibet hominis non renati, quam B. Medina explicat per odium —— rerum cœlestium & spiritualium, quod certe est peccatum proprie dictum, & quidem gravissimum. Ac quamvis malitia habitualis in hominis non-renati voluntate non sit tanta quanta in Dæmonibus, unde tamen certum est primum hominem, neque ex ignorantia, neque ex passione, sed ex malitia voluntatis, sicut & Dæmones (Bannar. in. 1. p. q. 64. Art. 2. Col. 958. c.) peccasse, atque ex hac actuali malitia tum enormi secutam fuisse in Adami, & cujuslibet hominis ab ipso oriundi, malitiam habitualem, quæ itidem est gravissimum peccatum. Imo Prosper ad object. Vincent. *Resp.* Sexta, addit multorum hominum talem esse malitiam qualis & Dæmonum. Qualibus dixit Dominus Matth. 3. Progenies viperarum quomodo potestes bona loqui, cum sitis mali. & Joan. 9. vos de Diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Sed hoc, inquit, inter malos homines distat & Dæmones, quod hominibus etiam valde malis, superest si Deus misereatur, reconciliatio: Dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio] Hæc Prosper, & quidem verissime. Hoc enim interest inter voluntatem hominum & Dæmonum, quod voluntas Dæmonum sit obstinata in malitia, & plane inflexibilis, utpote qui jam in termino constituti sunt, voluntas autem hominis viatoris nondum renati etsi innata malitia laborat, tamen flexibilis est quamdiu hic vivitur, unde & per gratiam Christi innatam & insitam malitiam exuere & deponere potest.

Quinto, Hoc idem evincitur ex eo, quod depravatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati juxta Articulum nonum —— in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem mereatur, ergo est vere & proprie peccatum. Consequens probatur, quia quod meretur iram Dei & damnationem est veri nominis peccatum.

Antecedens probatur, quia ratione hujus depravationis naturæ nostræ Apostolus pronuntiat nos natura esse filios iræ Ephes. 2. 3. Infert Augustinus Tract. 44. in Joan. Si natura sumus fili iræ, ergo filii vindictæ, filii pœnæ, filii Gehenni, porro quoniam justa est ira Dei, inde consequens ex hoc loco est, omnes homines in peccato nasci, non enim irascitur Deus nisi peccato.

Quod autem Apostolus hoc loco agat de depravatione naturæ, non autem de nuda carentia Originalis Justitiæ, patet ex eodem versu, ubi Apostolus ait, nos omnes *(i.e.)* ipsum, Ephesios, & omnes homines, tum Judæos, tum Gentes, conversatos fuisse olim in cupiditatibus carnis *(i.e.)* pravæ concupiscentiæ, facientes quæ carni & cogitationibus habebant, atque ea ratione filiæ iræ constituti.

Idem evincitur ex eodem Apostolo Rom. 8. 7. ubi ait τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, sensus carnis *(i.e.)* quicquid carni sapit, esse inimicitiam adversus Deum *(i.e.)* non tantum legi Dei non subjicitur, sed etiam Deo & ejus legi hostiliter adversatur.

Sexto, Hoc idem probatur ex variis nominibus, quibus hæc depravatio naturæ insignitur in sacris literis, quæ omnia denotant, hanc ipsam naturæ depravationem esse veri nominis peccatum. Hinc Apostolus non semel aut obiter sed sæpius, sed quatuordecies cap. 6, 7. & 8. ad Romanos in eo loco ubi ex professo hanc materiam tractat, peccatum vocat. Volunt Romanenses in istis omnibus locis improprie & metonymice locutum, per peccatum intellexisse causam aut pœnam peccati: Sed quis credat Apostolum toties de industria improprie loqui voluisse. Quis non potius credat Jesuitas, cum concupiscentiam negent esse peccatum, improprie loqui? Certe ita sensisse videtur Hugo de S. Victore, explicans illud Apostoli ad Roman, 7. *Non ego operor sed quod habitat in me peccatum.* Ecce Apostolus vocat hoc peccatum. Nobis autem videtur, imo fere omnibus, quod non sit peccatum post baptisma] subinnuens hisce verbis hanc communem opinionem sui temporis ante annos sc. 500. Apostolicæ sententiæ repugnare; atque illorum veriorem esse qui etiam post baptismum, culpæ rationem in se habere hanc effrenatam & rebellem docuerunt.

Sæpius Apostolus carnis nomine indigitat & ne dubitemus carnis nomine se intelligere veri nominis peccatum, addit carnis peccati *(i.e.)* carnis peccatricis. Omnes homines, ab Adamo propagati per viam generationis, sunt caro peccati, sic nuncu-

nuncupatur natura nostra Rom.8. 3. Solus Christus autem Sp. Sancto conceptus, missus est in mundum in similitudinem carnis peccatricis, cum peccatrix non esset, licet vere caro fuerit. Recte Fulgentius, ubi contra Pelagianos agit, aut carnem Christi humanam esse non dicant aut omnium hominum carnem, in cujus similitudinem Deus filium suum misit, carnem peccati esse consentiunt, de Incarnat. cap.15.

Meminit etiam Apostolus veteris hominis, vetustatis, corporis peccati, legis carnis, legis membrorum, concupiscentiæ, Quibus omnibus hæc depravatio denotatur. Addo Apostolum meminisse veteris hominis, deponendi, exuendi, mortificandi, odio habendi, quæ satis innuunt, hanc depravationem iram Dei, & damnationem moveri.

Meminit etiam Apostolus, novi hominis inducendi, novæ creationis, novæ creaturæ, meminit item ἀνακαινώσεως, ἀναγεννήσεως, παλιγγενεσίας, renovationis, regenerationis, renascentiæ. Addo Servatorem pronuntiare, Nisi quis denuo genitus sit non potest intrare in regnum cœlorum. Quid opus est renovationis, regenerationis, renascentiæ, ad intrandum regnum Cœlorum, si naturæ depravatio non arceat à regno Cœlorum imo si non detrudat ad infernum.

Apud Patres aliis nominibus insignitur hoc peccatum, *viz.* peccatum naturæ. Author Hypognostikῶς, peccatum radicale à Chrysostomo, macula peccati parentalis, peccatum parentale à Fulgentio, inquinamentum naturæ ab Ambrosio, antiqua impietas à Fulg. Contagium mortis antiquæ à Cypriano, ab Augustino iniquitas, immunditia à patribus Acausicanis. Can.2. Mors animæ.

Colligit Bonaventur. 8. nomina, quibus naturalem deordinationom denotant scholastici, peccatum Originale, lex carnis, concupiscibilitas, fomes peccati, concupiscentia, lex membrorum, languor naturæ, tyrannus; ex hisce nominibus, intelligi potest, quantum sit malum & ex quo velut à radice tantorum malorum germina exoriuntur, atque succescunt.

Hisce à nobis testimoniis & rationibus probatis occurrunt Romanenses distinguendo ex Thom. concupiscentiam in non-renatis esse peccatum materialiter non formaliter, ac proinde concupiscentiam ipsam etiam ante baptismum non esse veri nominis peccatum, cum non sit formaliter peccatum sed materialiter duntaxat. Id quod etiam respondent de habitibus vitiosis.

Sol. Nos huic distinctioni paulo diligentius occurrendum censuimus, qua vim nostrorum argumentorum enervarent conantur, præmittendum ergo, materiale alicujus rei qua opponitur formali; seu causa materialis, qua opponitur causæ formali, proprie loquendo est causa ex qua materiatum est. Nullum autem malum, qualis est mala & prava concupiscentia habet causam ex qua tanquam materiatum sit. Hinc est quod Suarez. in Metaphys. disput. XI. Text. IV. disputans de mali causa materiali, ait, Malum, quatenus malum, est habere causam materialem, quæ semper est aliquod bonum, quod aliis verbis dici solet, Malum, ut malum, esse in bono tanquam in subjecto; ex quo patet, juxta Suarezium, causam materialem mali aliam non assignari ab eo præter subjectum in quo inest, non autem causam materialem ex qua: quæ tamen est causa materialis proprie dicta. Male autem Subjectum in quo malitia inhæret à Suarezio confunditur cum causa materiali, qua distinctas argumentorum species constituunt.

Hoc præmisso, Dicimus, quomodo supra diximus, in concupiscentia duo distinguenda esse
1 Vim seu potentiam concupiscendi.
2 Deordinationem, seu pravitatem, quæ inhæret potentiæ.

Jam fatemur vim seu potentiam concupiscendi non esse nisi materiale juxta eorum acceptionem, peccati (*i.e.*) subjectum pravæ concupiscentiæ cui inhæret: vitium autem seu deordinationem & pravitatem ipsius potentiæ, qua proprie loquendo est ipsa prava concupiscentia, esse formaliter peccatum, ac formale cum lege Dei habere pugnantiam. Quomodo enim actuali peccato materiale solet dici, ipse actus cui malitia seu deformitas inhæret tanquam formale: sic in concupiscentia habituale materiali dici potest vis seu potentia concupiscendi cui inhæret pravitas

vitas seu deordinatio; quæ proprie loquendo concupiscentia dicitur, tanquam formale inhæret. Quo sensu materiale concupiscentiæ, & omnis alterius peccati est quiddam bonum, unde recte Augustin. in Enchirid. c. 14. Mala omnino sine bonis & nisi in bonis esse non possunt. Et mox —— Si bonum non esset in quo malum esset prorsus nec malum esse potuisset Hinc Thomas docet omne malum radicari in bono. 1. part. q: 48. Art. 3. Imo scholastici docent, Malum si destruat totum bonum destruit seipsum: pravitas autem seu deordinatio quæ inhæret in hac potentia concupiscendi, quæ proprie loquendo concupiscentia est, formaliter peccatum & est, & dicitur.

Hisce in hunc modum præmissis videamus quid Thomas hac de re doceat, quo maxime nituntur Jesuitæ. Sic ille 12æ q. 82. Art. 3. *Privatio Originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato Originali. Omnis autem alia inordinatio virium animæ, se habet in peccato Originali; sicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertantur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine dici potest concupiscentia. Et ita peccatum Originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero defectus Originalis justitiæ* Hæc Thomas.

Sol. Respondeo, Primo ubi ait Thomas *Privationem Originalis justitiæ per quam voluntas subdebatur Deo esse formale in Originali Peccato*; esto sit formale ex parte, non tamen est totum formale Originalis peccati qua inest ipsi voluntati: Est enim in voluntate hominis lapsi, præter privationem Originalis justitiæ qua subdebatur Deo, deordinata pronitas voluntatis ad appetitiones illicitas, imo ad omnimoda mala quam scholastici malitiam appellant, [malitiam] *(i.e.)* interpretante Medina, *Odium rerum cœlestium & spiritualium, pronitas voluntatis ad appetitiones illicitas.* Cajetanus in 6. cum dicit hanc pertinere ad formale Originalis peccati; quæ deordinata pronitas, seu deordinatio magis pertinet ad formale Originalis peccati quam nuda & mera privatio Originalis justitiæ; quia prius natura inordinatæ se convertit voluntas ad bonum commutabile, quam averti se à Deo ut supra demonstravimus, atque adeo prius natura, quam privetur Originali justitia. Est etiam secundo in voluntate præter privationem Originalis justitiæ difficultas quam omnes experimur in vitiis expugnandis & virtutibus excolendis: Est & tertio φιλαυτία qua dominatur in voluntate usque ad contemptum Dei; adde quarto fastidium proprii status, & id genus aliæ deordinationes quæ omnes inhærent voluntati, & ad formale Originalis peccati pertinent.

Secundo, Male subdit Thomas, omnium aliarum virium animæ inordinationem se habere in peccato Originali, sicut quoddam materiale. At non est ita, nam ut rectitudo seu justitia Originalis, quoad formalem ejus rationem, non consistebat in sola subjectione voluntatis Deo, per plenariam & absolutam obedientiam legi Dei clare cognitæ; sed etiam in illa subjectione, qua intellectus Deo & ejus legi subdebatur per perfectam Dei legisque ejus notitiam, absque qua obedientia præstari non potuit à voluntate. Sic & formalis ratio Originalis peccati, non solummodo consistebat in privatione Originalis justitiæ in voluntate, qua subdebatur Deo, aut etiam in aliis deordinationibus voluntatis supra commemoratis, sed etiam in privatione perfectæ Dei ejusque legis notitiæ, & aliis intellectus deordinationibus, quales supra commemoravimus, ut in habituali ignorantia rerum notissimarum ut ultimi finis & mediorum ad bonum beatumque finem producentium, in tarditate habituali ad adhibendam fidem divinitus revelatis, in vanitate mentis; cujus meminit Apostolus ad Ephes. 4. 17. in habituali curiositate, in inordinata libidine cognoscendi non necessaria, sed frivola & impertinentia ad suum ultimum finem, in habituali errore in rebus agendis dijudicandis. Hæ omnes habituales deordinationes in intellectu cujuslibet hominis existunt, non ut quoddam materiale peccati duntaxat, ut habet Thomas, sed ad formalem rationem Originalis peccati spectantes, cum Deo & omnibus bonis exosæ sint istæ deordinationes, & merito vituperabiles; etiam inter dormiendum, & cum nihil agimus, ut & avaritiæ habitus, ut supra ex Augustino docebamus.

Idem dicendum omnino est de privatione rectitudinis debitæ in appetitu sensi-

tivo, hæc enim privatio ad formale Originalis peccati pertinet, non ad materiale duntaxat, quomodo & rectitudo appetitus sensitivi quæ [illegible] morigera erat parti superiori, & obsequens, pertinebat ad formalem rationem Originalis justitiæ, ut fatetur Estius in 2. dist. 25. Sect. 5. quare formale Originalis peccati non est constituendum, in sola privatione Originalis justitiæ per quam voluntas subdebatur Deo, sed etiam illius per quam appetitus sensitivus subdebatur rationali. Quin & inordinationes ejusdem appetitus sensitivi, quales sunt concupiscentia prava in concupiscibili, qua fertur ad sensibilia contra dictamen rationis, & infirmitas in irascibili, qua imbecillitatem suam prodit, vel in bonis arduis persequendis, vel in malis arduis repellendis, non ad materiale duntaxat Originalis peccati sunt reducenda, sed ad formale; cum in se sint inordinationes & curvitates merito vituperabiles, & oppositæ hisce rectitudines, ad formale Originalis justitiæ proculdubio spectabant. Hinc Augustinus [supra] aut iniquum esse ut caro concupiscat adversus spiritum — & iniquitatem esse, qua pars inferior repugnat superiori, atque meliori, & concupiscentiam carnis adversus quam bonus concupiscit spiritus peccatum esse, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, cont. Julian. l. 5. c. 3. Falsum igitur est illud Thomæ, Privationem Originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, esse formale in peccato originali, omnes autem alias inordinationes virium animæ se habere in peccato Originali sicut quiddam materiale. Nos enim ostendimus hasce inordinationes aliarum virium, ad formale Originalis peccati pertinere. Illud etiam certum formale peccati Originalis proprie loquendo debere sedem habere in suo materiali; absurdum ergo est formale Originalis peccati constituere in privatione Originalis justitiæ, quæ solam voluntatem Deo subjecit; inordinationes autem reliquarum facultatum animæ, se habere in Originali, ut quiddam materiale; absurdum enim est formale Originalis peccati ponere extra suum materiale: & materiale ejus in una facultate animæ constituere, formale in altera; quod illi omnes coguntur facere, qui, secuti Thomam, hanc ineptam distinctionem adhibent. Sed nec peccatum Originale proprie loquendo ullum materiale habet præter subjectum cui inest formale, ut supra ex Suarezio didicimus. Ergo ex principiis Suarezii ut & Bellarmini etiam sola voluntas erat materiale peccati Originis, cum illi soli facultati animæ inhæreat formale ex sententia Jesuitarum, quare aliæ inordinationes animæ non erunt materiale cum illis non insit formale peccati, juxta Thomam & Bellarminum.

Porro & illud falso statuitur à Thoma, Formale Originalis peccati consistere in aversione habituali voluntatis à Deo, cum si in sola voluntate ut in subjecto inesse dicatur (quod tamen non dicendum est) potius constituendum sit in conversione habituali voluntatis ad creaturam, quam in aversione à creatore; siquidem ut in actuali aversione à Deo, ipsa actualis aversio à Deo, sequitur ad conversionem actualem ad creaturam, non autem contra: sic itidem se res habet in habituali aversione & conversione; siquidem prius natura conversi sumus habitualiter ad bonum commutabile, quam aversi sumus habitualiter à bono summo & in commutabili, unde sequetur formale Originalis peccati potius constitui debere, in habituali conversione, quam aversione habituali, id quod vel inde evincitur, quod in actuali conversione, peccator intendit se convertere ad creaturam. V. G. Adam intendebat gustare Pomum vetitum, aversionem autem actualem à Deo nullo modo intendebat, sed secuta est illa concomitanter præter voluntatem Adæ, siquidem conversio ad Pomum vetitum traxit secum aversionem illicitam à creatore. Æquius autem est ut formale peccati actualis quæramus in eo quod intenditur à peccatore, quam in illo quod illo invito consequitur. Cum ergo formale primi actualis peccati potius quærendum est in conversione actuali quam in aversione actuali; quæ comitanter ad ipsam sequitur pariter dicendum est formale Originalis peccati constitui debere in conversione habituali quæ secuta est, ad actualem conversionem quæ intendebatur à peccante, quam in aversione habituali quæ ad aversionem actualem minime intentam, sequebatur. Hinc Barth. Medina, 12æ q. 12. Art. 1. Col. 1126. E, ex sententia doctorum virorum, sic Originale peccatum definitur. *Originale peccatum est humana natura habitualis & inordinata conversio ad bonum com-*

commutabile , à protoparentis primo peccato derivata.] *In qua definitione (*inquit*) primo ponitur quod sit habitualis conversio & non quod sit privatio , quod enim in Adam* (inquit) *fuit ratio peccati actualis, illud in nobis fuit ratio Originalis culpæ, quæ Origine in posteros traducitur. At in Adamo ratio peccati actualis fuit conversio inordinata ad commutabile bonum, nam fuit peccatum commissionis, quod nunquam ex aversione aut privatione definitur, sed ex conversione ad aliquod objectum. Et confirmatur (*inquit*) quia primum peccatum primi parentis est voluntarium in nobis voluntate protoparentis, quæ totius naturæ voluntas extitit, ergo infert, prave definieris , quod sit privatio , nam privatio Adæ non fuit per se voluntaria , sed ratione alicujus commutabilis boni, ad quod convertebatur.* Hæc Medina, ubi :

Primo vult, *Originale peccatum esse, habitualem conversionem, non autem privationem seu aversionem.*

Secundo vult, *In Adamo rationem peccati actualis constitisse in aversiane inordinata ad commutabile bonum, non in aversione actuali à Deo.*

Tertio ait, *Et fuisse peccatum commissionis. ac proinde non definiri ex aversione ac privatione, sed ex conversione ad aliquod subjectum.*

Quarto inquit, *Primum peccatum Adæ esse voluntarium in nobis voluntate protoparentis , quæ totius naturæ voluntas extitit , ergo non posse definiri per privationem, quia privatio Adæ non fuit per se voluntaria , sed consequenter ratione alicujus boni commutabilis, ad quod convertebatur. Ubi plane adversatur Thomæ, & Bellarmino, formale Originalis peccati collocantibus in sola habituali aversione voluntatis, & privatione Originalis justitiæ , per quam voluntas subdebatur Deo.* Ex quibus satis apparet quænam sit mens Medinæ , & quam male conveniat illi , cum Magistro sc. Thoma. Denique alia ratione constare possit formale cujuscunque peccati , atque adeo Originalis peccati, potius in conversione indebita quam in aversione ponendam, ut observavit Reverendus Davenantius de habit. justit. p. 293. Est enim illud formale quod dat speciem unicuique rei ; at species peccati ex conversione indebita ad creaturam , quæ alia atque alia esse potest, desumenda est, non ex aversione quæ in omni peccato semper una eademque est.

Hæc visum est adjicere , contra distinctionem qua conantur Romanenses eludere vim nostrorum argumentorum.

ERRATA.

PAg. 1. lin. 14. *lege* ad, p. 3. l. 3. l. venit, l: 25. l: suasu, p: 5. l. 25. l: 1 Joh: 3. p: 7. l: 39. l. pudientis, p: 12. l: 52. l: augeri , p: 14. l: 17. l: venundatum , l: 27. furtum, p: 15. l: 8. furtum, p: 16. l: 15. l: &, p. 24. l. 20. l: vitiis, l: 47. hæc, p: 25. l: 41. l: dubitari , p: 28. l: 47. l. nunc , p: 29. l: 24. l: difficultas, l. 25. potuisset ut, p: 33. l: 19. l: nunc. l: 48. l: vitio, p: 38. l: 3. l: nidificare, l: 10. fungendo, p: 42. l: 1. l: quin, p: 48. l. 16. l. tegumentis, l: 49, 50, 51. l. maritus , p: 54. l: ult. l: ζῶσι & ἔτι, p: 55. l. 5. manent , l: 13. ἀγγελοπρεπῆ p: 56. l: 6. l: homines , p: 57. l: 22. l: absque, p: 58. l: 51. l: odio, p: 61. l: 11. l: effectu , l: 18. l: quem, l: 42. l: ergo, l: 50. est, l: 55. *dele* is , p: 62. l: 21. l: creatum, p: 65. l: 1. l: faciunt, &, pervenient, l: 3. l: autem, p: 66 l: 38. l: creatore suo, p: 68. l: 20. l: honoris & gloriæ, ut. l: 21. quæ, l: 39. posita, l: 41. Conjuncto, ut risibilitas , p: 69. l: 4. l: per Servatorem, l: 42: l: ad, l: 51. l: explendæ, p: 70. l: 19. l: non esse admittendum, p: 72. l: 52. l: de, p. 74. l: 46. l: decima quinta, p: 8. l: 9. l: perdat, l: ult, l: accessisse, p: 81. l: 18. l: præter, p: 91. d: Secunda ratio, p: 93. l: 49. id est, p: 99. l: 51. l: Atqui, p: 100. l: 13. l: incognitis, l: 39. l: λόγον nec aliam, p: 111. l: 41. l: parvulis &, p: 113. l: 2. l: excideret, l: 46. l: perstitisset , p: 114. l: 17. l: grat. l: 31. l: profecto, l: ult, l: disputandum , p: 115. l: 7. l: profectum, p: 116 l: 53. l: morti, tum, p: 117. l: 2. l: censendi, &, l: 27. displicare, p: 119. l: 7. l: infectas, l 45. l: quoad literam , p: 123. l: 5 l. sup. quæ, p: 124. l: 5. ad l: 13. quotquot, p: 127. l: 14. l: resipiscentis, p: 133. l: 17. d: diximus, l: 19. d: Quod veri nominis in Adamo seu prava concupiscentia itidem dicendum est , p: 135. l: 25. l. peccatum vere, p: 141. l: 16. l: non, p: 147. l. 3. l: essent rei, l: 6. l: culpabili , p: 152 l: 43. l: profecta, p: 155. l: 2. l: ubi , l: 9. defectoribus, l: 15. iste, l: 22. perducantur, l: 45. l: impactis, p: 158. l: 43. l: prævium, p: 167. l: 1. l: converti, l: 35. l: pura, p: 168 l. 20. l: sicut, l: 2. l: non, p: 169 l: 14. l: subjicit, p: 176 l: 49. l. ad, & nec. p: 177. l: 37. l: quod, p: 180. l: 48. l: haud sunt, l: 55. l: ut, p: 182. l: 9. l: præcipiti, l: 12. fit, l: 18. quæ , p: 183. l: 35. l: placebant.

Præter minores Typographi festinantis lapsus, per ingeniosum lectorem facillimè emendandos.